EXERCITATIONES
PATHOLOGICAE

AUCTORE


JOANNE BAPTISTA PALLETTA

EQUITE A CORONA FERREA HONORISQUE LEGIONE



MEDIOLANI

Excudebat Societas Typographica e Classicis Scriptoribus Italicis nuncupata



M. DCCC. XX.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY



EDITORIS MONITUM

Quæ ante hos triginta et amplius annos opuscula chirurgici argumenti vulgaverat auctor, cum a viris doctis non improbata fuisse intellexisset, auctiora, atque, quantum liceret, emendatiora, prout diuturnior rerum usus edocuerat, denuo typis edere constituerat. Adhortabatur ad id potissimum, dum cum illo familiariter hic versaretur, cl. *Josephus Wenzel* Moguntinus M. D., qui etiam prioribus capitibus aliquot notas adjicere voluit de iis rebus, quæ vel ipsemet in valetudinariis vel celeberrimi in Germania viri observaverunt. Verum eodem optimo viro, quem maxime lugemus, præmatura morte abrepto, et auctore tum anatomicis, tum clinicis administrationibus distracto, in hanc diem inceptum opusculum differre necesse fuit, in qua otium ab infortunio nactus est ea colligendi, quæ dispersa et inculta jacebant.

Etenim idibus augusti anni MDCCCXVII inauspicato accidit ut lævum pedem ad nodum ferreum offendendo in orbem

actus, musculisque diu reluctando, ut æquipondium servaret, in idem sinistrum latus procumberet, allideretque humi majorem femoris processum, sicque eam subluxationis speciem reportaret, in qua femoris caput supra acetabuli supercilium consistit, atque claudus evaderet. Ita qui olim claudicationis causas sedulo indagaverat, perniciosos effectus in seipso expertus est.

Hæ porro Exercitationes non ad systematis formam, sed, prout sese offerebant, breviter conscriptæ, et quoad licuit anatomicis sectionibus illustratæ prodeunt, ut potius historiarum collectio sint habendæ ad condendam quorumdam morborum non satis agnitorum pathologiam. Qua propter non reconditas morborum species inveniet lector, neque elaboratum opus, præcipue cum horum scriptorum editioni, quæ biennio jam ante vulgari potuissent, quædam se incommoda offecerint, quæ tandem Societatis typographicæ Classicorum Italicorum sublata sunt diligentia.

Illud quoque addendum existimo, quod figuræ lineares, quibus librum auctor ornare decreverat, in eximii quidem cælatoris manus pervenerunt, ut melius adumbratas seligeret. Ille, posthabita nonnullarum significatione, eas solum retinuit, quas graphice delineatas conspexit; illas vero, quas negligenter confectas vidit, rejecit, rejectasque disperdidit. Quamobrem plurima emendatione digna invenientur, pro quibus veniam, quam ab eruditis petit auctor, se consecuturum esse confidit.

INDEX

CAPUT X.

CAPUT XI.

CAPUT XII.

CAPUT XIII.

CAPUT XIV.

CAPUT XV.

Pag.	20	lin.	29	ad parentibus	leg.	adparentibus
»	27	»	28	*Hodsson*		*Hodgson*
»	33	»	21	apozamata		apozemata
»	36	»	33	abscesus		abscessus
»	53	»	16	videntur		videatur
»	*ib.*	»	29	nemque		nempe
»	56	»	5	negleverit		neglexerit
»	72	»	26	novembre		novembris
»	92	»	7	elucessit		elucet
»	112	»	26	pupillas		papillas
»	150	»	45	ivito		vitio
»	154	»	38	iteum		iterum
»	158	»	5	thoracesana		thorace sana
»	165	»	30	anulumusque		anulum usque
»	174	»	1	abdome inncidissem		abdomen incidissem
»	199	»	8	per vigilium		pervigilium
»	202	»	16	cutis ntenta		cutis intenta

EXERCITATIONES PATHOLOGICÆ

CAPUT I.

DE POLYPORUM QUORUMDAM INDOLE.

Polypos vix non omnes vel vinctura, vel forcipe eradicari posse, hoc tempore chirurgi fere omnes norunt. Quos vero ea methodus non tollit, evertit alia, quæ, quo vetustior, eo etiam efficacior, atque ab aliquibus exercitatissimis in arte viris dudum ab oblivione revocata est. Quoniam vero polyporum, qui et sede et maligno quodam genio lethales extitere, rara admodum fit mentio; mearum esse partium duxi, funestos, qui mihi obvenerunt, casus literis consignare. Unicam habet *Bonetus* (1) polyposi dissectionem ex *Schneidero*, ex qua tamen omnia salva fuisse, quæ intra caput recondebantur, intelligimus. *Morgagnus* (2) etsi varias sedes, ex quibus polypi progerminant, indicaverit; historiam tamen nullam profert eorum, qui in *subliminiori* sede, sive nati, sive increscentes, ossium vicinarumque partium nexum et fabricam penitus everterunt.

Puero decenni sanguis magno impetu e naribus prorumpens sistitur ab ejus patre multa frigida, atque inopinato in vultum conspersa. Qua quidem perfusione sanguis manare desiit; sed a junio mense anni 1780, quo hæc evenerant, narem dextram, non, ut prius, perviam sibi esse sensit: ea propter mense Augusto chirurgum bonæ famæ adiit, qui, demisso per nares in fauces cathetere partem mucosi polypi avulsit, et simul multum sanguinis elicuit, quo assecutus est, ut spiritum jam liberius traheret puer. Elapsis aliquot mensibus, naris denuo gravari visa est, atque paullatim spirandi difficultas increvit, accedente postmodum deglutiendi quoque molestia. Demum labente prope anno, ex quo hæmorrhagiam passus erat, febri primum haud ita levi correptus, dein stupore quodam, et auris dextræ surditate affectus est.

Die 4 junii 1781 in nosocomium deportatus est puer, cujus fauces cum

(1) *Sepulchreti*, lib. I, sect. 20, obs. 9.
(2) De sedibus et causis morbor., epist. XIV, 20.

inspexissem, velum palati depressum esse observavi, tanquam a corpore, quod superne ipsi incumberet, nec visu, nec tactu facile percipiendo. Facillimum vero fuit a prænotatis animadvertere corpus illud, quod velum palati detrudebat, polyposum esse, siquidem complures polypos e nare dextra pendentes conspexeram; atque ab his primum inchoandam esse curationem censueram, antequam ad gravioris polypi evulsionem me converterem. Quamvis vero puer febri amphimerina laboraret, et dolore frontis obtuso, cum molesta gravitate, stantibus tamen hucusque viribus, polypos omnes forcipe avulsos extraxi, subsequente non modico purulentæ materiei effluxu, atque hinc ampliori via reddita tum ad respirandum, tum ad deglutiendum. Verum haud multo post adaucta febri cum sopore, capitis gravitate et stupore, bulbus primum oculi dextri increvit atque protuberavit; simul etiam pus ex aure dextra effluxit; dein uterque oculus prominere cœpit, magisque dexterum, facies pallescere, sicque extinctis sensibus mors insecuta est decimo quarto, ex quo in nosocomium illatus fuerat, die.

Ablato cranio præter limphæ turbidioris copiam in ventriculis cerebri lateralibus, plexum chorioideum pallidum et veluti aqua maceratum invenimus; in cranii vero basi plurimum puris effusi inde a truncis nervi olfactorii usque ad fissuram perpendicularem communem cerebelli, ibique piam membranam et arachnoideam cum venis quas amplectuntur, corruptam; imo lobi medii partem ex dextero cerebri hæmisphærio cum glandula pituitaria gangræna affectam. Etiam sub ipsa dura menynge sanies tum in fossis mediis baseos cranii, tum ulterius supra os multiforme collecta quintum nervorum par, et clinoideum processum, qui dextrorsum posterior est, corruperat, ex quo postea loco per fissuram ossis temporum Valsalvæ in tympani caveam sibi viam fecit. Musculi, qui dexterum regunt oculum, sani quidem, sed ad interiorem orbitæ angulum, qua parte ethmoidis plana facies cum ossibus frontis et unguis conjungitur, dura menynx nonnihil inflammata cernebatur.

Cranii basi per longitudinem secta, polypus in conspectum se dedit figuræ fere quadratæ, duos transversos digitos longus, et totidem latus. Originem ab ea membranula videbatur trahere, quæ ossis sphænoidis sinum dextrum convestit, tum ex ea cavitate prodiens a partibus etiam quæ in vicinia sunt, omnibus, et a proxima quoque faucium membrana, cui radicibus suis adhærebat pertinaciter. Hujus sarcomatis corpus solidum, fibrosum compactum erat exterius violacei, interius subalbi coloris; basis vero inæqualis, qua palati velo pendulo innitebatur. Naris utraque, ossa turbinata, sinus item maxillaris dexter, sana erant. Cavernæ etiam frontales illæsæ videbantur, quarum membrana flavescente muco oblinita erat. Porro a prætergrediente sarcomate multo magis diductum erat sinus dextri sphenoidis ostiolum, quod in naturali ordine prope ejus rostrum, et post os spongiosum superius aperitur. Os autem ipsum multiforme, a quo dura mater interposito pure, ut diximus, secesserat, nigro fœdatum erat colore, præcipue ad sellam equinam, ubi maxima fuit labes.

Causam hic oppido raram polypis procreandis agnoscimus ; cohibito enim repente per frigidæ impressionem sanguine hujusmodi malum natum esse nec vidimus , nec apud alios legisse meminimus. Observatio autem ob hanc ipsam rem utilitate sua certe non est destituta. Creditur vulgo in narium hæmorrhagia sanguinem fundi a dilatatis finibus arteriarum , qui in narium duntaxat ambitu sunt locati. Verum si ab anatomicis repetimus pituitariam membranam succingere sinus omnes, tum cribriformis ossis , tum multiformis ; et si iis , quæ passim in praxi eveniunt, non adversamur , fateri necesse erit, quandoque sanguinis fluxum ab altiore sede derivare. Etenim tam vehementer nonnunquam prorumpit sanguis, et tam profuse , ut a sola naris alterutrius cavitate esse non possit. Igitur a sinubus superioribus in nares derivat, quod etiam difficultas probat consuetis interdum auxiliis sanguinis fluxum intercipiendi. Ubi enim ejus jactura adeo gravis est , ut vitæ sit periculum , protinus ad illud adminiculi genus est confugiendum , quo nares summæ turunda ex linteo carpto per os traducta perfecte obstruuntur.

Ut primi modo memorati polypi insolita causa fuit, ita hujus , quem descripturus sum, non infrequens. Vir sexagenarius gravi capitis dolore affectus, aliquot diebus purulentæ e naribus materiei profluvium habuit. Malo ingravescente continuo, tumores bini cum inflammatione conjuncti apparuerunt; alter ad oculi sinistri canthum majorem , alter vero sub labio superiore proxime gingivas , et dentes molares primores ; ambo in suppurationem versi , et primum ille, qui inter gingivas et labium erat , qui etiam dissectus magnam vim puris effudit; deinde alter sponte disruptus , ulcus sinuosum reliquit. Vanum erat de his abscessibus bene ominari , quia præsidia quævis eludentes, in fistulas malignas sponte degenerarunt , ita ut inde manifestum esset, eas a causa latente foveri. Et sane prioribus annis bubonibus , verrucis, ulceribusque venereis afflictus fuerat , et nunc etiam dolore interdum recurrente in dextro humero detinebatur. Utut ea fuerint, certe e nare lateris affecti promanabat sanies acris, maxime fætida et varii quidem coloris , cujus plane indolis pus etiam abscessus supra memorati fundebant, quorum superior in ipsam naris caveam , inferior in antrum maxillare ejusdem lateris penetraverat. Præter id ex superiori sinu, sive fistula , polyposa excrescentia prodibat, remotas ex narium anfractibus radices trahens , quæ cum penitus evelli non potuerit , ferocius inde repullulans inæquali superficie, sordida , dolente , ulcerata apparuit; sed ægrotans , jam viribus destitutus, et catharro primum, tum febri continua diutius defatigatus, septimo , ex quo malum cæperat, mense, anno 1782. vivere desiit.

Narem sinistram polypo majori, inæquali nigricante obturatam deprehendimus , qui distractus et ob corruptionem laceratus nonnihil sanguinis etiam post mortem fudit. Quum interiora cranii lustraremus, exempto cerebro , primo cribrosam ossis ethmoidis partem deficere animadvertimus ; atque orbitæ fornicem , qui proximus est, violaceo colore infectum. Polypus

dispersas ducebat radices a membrana pituitaria, quæ ossa turbinata suprema et inferiora et antrum maxillare convestit. Ossa, quæ circum erant, partim destructa, partim emollita; os unguis deperditum; antri maxillaris paries, qui narem spectat; tum ille, qui genam sustinet, et limbus alveolaris ejusdem ossis maxillaris sinistri omnino corruptus deprehendebatur. Cranii basin diligentius exploravimus, postquam maceratione fuit expurgata, in eaque, quod ad ethmoidem attinet, nil præter galli cristam superesse vidimus, hinc antrum sphænoidis anterius lato hiatu apertum cum naribus et sinubus frontis libere communicabat. Hujus ossis cuneiformis processus temporalis, qui ad canthum oculi minorem concurrit, erosus; processus item pterygoidei ala interior cum hamulo, et totum os maxillare relicto perexiguo alveolari spatio, quod caninum dentem recipiebat. Os jugale integrum erat; orbitæ paries interior et inferior deficiebat; sinus frontales et sphænoidei amplissimi.

Vir annorum triginta ex tridentina regione naris sinistræ polypo triennio fere laborabat. Is decembri mense anni 1786 ita demum adauctus est, ut ad orbitæ angulum interiorem succrescens in oppositum latus oculum compulerit. Chirurgus quidam huic vitio subventurus, pertuso tumore, malum exasperavit. Ego, ut primum curationem suscepi 16 junii 1787, ex qua sede polypus oriretur, attentius examinavi. Dolor nullus, neque gravitatis sensus super frontis sinus erat; læva naris a polypo occupabatur tota. Ex sensuum judicio natura benignus videbatur, nec radix admodum remota. His perspectis, haud difficulter sarcoma removeri posse existimans, primum fungosam carnem, quæ ad canthum oculi excreverat, scalpello abscidi; dein fundum exploraturus digito minimo, quem per oculi angulum immisi, profunde in narium caveam penetravi, ex qua facili penetratione apparuit, non solum ossium unguis et ethmoidis partem, sed illam etiam maxillaris ossis, quæ ad orbitam formandam, tum interius, tum infra convenit, consumptam, judiciumque, quod paullo ante feceram, fallax fuisse. Igitur ut graviori malo potens remedium adhiberem, cauterium semel atque iterum infra biduum prope orbitam admotum fuit ad radices sarcomatis extinguendas; mox particulæ ex nare propendenti vinculum fuit injectum: postea sanguis missus est ob vehementem capitis dolorem, et febrim, quæ ab hac operatione subsecuta est: incassum tamen hæc omnia fuerunt, cum altera die vividior ex oculi cantho caro pullularet. Ad novam hanc vegetationem comprimendam duplex vinculum fuit adhibitum, quo tum superior, tum inferior sarcomatis pars constricta emori cogeretur; sed denuo febris insecuta cum capitis dolore adeo acerbo, ut in querelas prorumperet æger; oculus inflammatione prehensus, conversa paullatim in suppurationem carne, quæ ad ejus angulum excreverat. Ob id secta iterum vena fuit, et caput sæpius gelida perfundi jussi; quæ auxilia, et si quidquam levaminis attulerint, ut præter febris, et cephaleæ remissionem, suppurationem quoque ab utriusque vinculi parte promoverent; tamen quatriduo ab gelidæ usu tam atrox iterum dolor oculum affecit, ut is ex orbita jamjam proruptурus esse videretur.

Interea dum pulsus fit tardior, et macies corporis major, polypi nasalis pars abscessit, pars forcipe avulsa. Polypus orbitalis pariter putredinem conceperat, et mole imminutus una cum dolore oculi et febri spem reliquerat, fore, ut penitus absumeretur. Quæ spes eo major erat, quo præterlapsis aliquot diebus continuata frigidæ embroche omnia fere supra memorata symptomata præter opinionem fuere sublata. Fluente copiosius et bonæ indolis pure tum ex oculi cantho, tum ex nare, penicillo sp. nitri fumantis imbuto reliquiæ orbitalis polypi tangebantur; sub cujus usu et dolor orbitæ obtusus, qui perstabat, evanuit, et vis polypo increscendi adempta, et molestus sensus, qui partibus illis insederat, cessavit. Intra duorum mensium spatium, quo hæc peracta sunt, tam ampla enata est cavitas, ut turunda crassior ex oculi cantho in fauces commode demitti potuerit. Interim oculus sinister amaurosi affectus est; et dum evertendo maxillari polypo extrema auxilia adhibemus, æger, seu morbi, seu curationis pertæsus, in patriam rediit, de quo, quid deinceps evenerit, plane nescio.

Hæc in mentem revocat non absimilem polypi maxillaris observationem a *Doubletio* (1) traditam, nisi quod illa fatalis fuit ob polypi radices amplissimas ex toto nempe antro maxillari proficiscentes. Felicior fuit exitus morbi polyposi, quem *Garengeotus* (2) in muliere perdomuit cauterio actuali bis per diem prima hebdomade, tribus vero sequentibus semel tantum quotidie imposito.

Ill. *Richterus* (3) polypum narium prædurum et sanguinem fundentem candenti ferramento peropportune transfixit. Et sane, quoties cauterio opus est ad difficillimos morbos persanandos; toties eodem constanter, repetito, et iterum utendum est, dummodo ad labis usque radices pertingat; frustra enim id auxilii adhibetur, si eo nequit pervenire, ubi vitii origo latitat. Atque hæc est ratio adustionum absque prospero nonnumquam eventu peractarum.

Quod suppuratio validioribus auxiliis promota alias non præstitit, id inflammatio fere spontanea, aut certe a levi stimulo nata hic effecit; scilicet ut potior sarcomatis pars per suppurationem absumeretur. Juvenis octodecim annorum bis per intervalla capite percussus semel baculo, et iterum saxo e longinquo vibrato, utraque vice cecidit exanimis. Ineunte anno 1789 quamdam inter spirandum difficultatem percipiens, ad coryzam, cui se obnoxium credebat, id vitii retulit; mox re cognita ad polypum, eumque grandiorem, emittentem ramos, alterum in narem sinistram, alterum in fauces. Hunc quarta maji 1790 paucis a decubitu diebus febris vehementissima est adorta cum faciei rubore, lingua sordida, palati

---

(1) Mém. de l'acad. de chirurg., tom. V, pag. 241.
(2) Loco citato, pag. 259.
(3) Observ. chirurg., fascic. II, cap. 8.

phlogosi, ingenti per nares humoris pituitosi excretione, aliisque symptomatibus inflammationem comitantibus, quæ tum sanguinis detrahendi, tum expurgandæ alvi necessitatem indicaverunt.

Die a febris ingressu quinto magna sanguinis copia per nares posteriores in os defluxit; posteraque die, cum vincturam polypi nasalis molirer, tanta iterum et repente ex nare affecta facta est sanguinis effusio, ut propemodo animo linqueretur æger. Post tertiam autem sanguinis jacturam ex faucibus, quæ mox insecuta est, febris demum, et sitis, et reliqua symptomata remittere cæperunt; simul autem pus ex auribus, naribusque tum ex ore ferri, in quo quidem abscessus eo loco ruptus cernebatur, ubi velum pendulum cum palato osseo committitur. Jamque intra duas hebdomadas cessante febri, purisque defluxu, melius habuit adolescens. Narium posteriorum polypo per suppurationem sublato, anteriorem aluminis calcinati pulvere per nares attracto, firmandum et exsiccandum curavi; mox forcipe, quam maximam potui partem abrupi, quo id emolumenti sequutum est, ut liberius spiritum duceret. Deinde non intermisso aluminis usu, polypus ita est cohibitus, ut intra mensem non ultra excresceret. Ejus loco carneum tuberculum relictum est, idque altius, quam ut vinctura aut ferramentis apprehendi potuerit. Quare statuebam animo, id quod reliquum erat, setaceo per nares trajecto, absumere; quod præsidii genus ab aliquibus commendatum, proficuum aliquoties sum expertus: in nonnullis tamen molestissimum fuit ob vulnerationes et dolores, quos funiculus ad veli penduli oram extremam excitavit. Adolescens vero, qui nares aëri pervias sentiebat, id experiri noluit, et suis sese restituit.

Suppurationem spontaneam in polypo hoc absumendo maximam habuisse partem, ex historia liquet. Liquet etiam causæ prœgumenæ aliquam, si non omnem, dandam esse partem ad sarcomatis productionem, ictibus nempe capitis, qui ossa concutiendo membranas et vasa labefactant, eaque ad relaxationem disponunt. Relaxatis vasis præcipue venosis, remoratoque circulo stases fiunt sanguinis in partibus debilioribus, quæ tandem fluidi copia nimis distensæ cedunt, disrumpuntur, atque hæmorrhagiis irregularibus locum præbent. Hanc forte partium conditionem voluit designare cl. *Joh. Ehrenfried Pohl* (1), dum asseruit, « eos polypos, quos fere semper præcedit dolor capitis gravis et diuturnus, ex venis varicosis oriri, et hæmorrhagias vel spontaneas vel periodicas excitare ». Quam propositionem libenter amplecterer, si observationibus esset consentanea, et nisi contrarium mihi videretur esse statuendum, nimirum venas fieri varicosas ex polyporum incremento. Quum nempe membranæ mucosæ aliqua pars intumescendo spongiosa fit, et in polypum excrescit; vasa, quibus ea pars prædita est, pari modo dilatantur. Cui vitio si aliud accedit, nempe si aliqua mora refluxuro sanguini opponitur, ut in vasis debilioribus hærere

---

(1) Vid. ill. *Franck*, Delectum opusculor. medicor., vol. VIII, pag. 294.

diutius cogatur; tum hæc vasa sive sanguinem propellendi, sive sese contrahendi robur omne amittunt. Unde fit, ut non solum spontaneæ, sed ingentes etiam abrupto polypo hæmorrhagiæ quandoque sequantur. Quibus quidem malis opitulaturus *Dranius* (1) ex faucibus in nares traducit tæniolam filamentorum glomere præditam satis crasso, ut sanguini iter omne in fauces intercipiat, simulque turunda in nares demissa alteram viam eidem præcludit.

De cœtero quamprimum de sede polypi in sinu maxillari existentis certi sumus, præstat, sinum exterius pertundere, atque per eum hiatum, vel per illum, qui aliquando sponte aperitur in alveolari tractu, vel igne, vel ferramentis polypum aggredi, et vel evulsione, vel excitata suppuratione destruere, cujusmodi felicium sanationum plura exempla protulit *Bordenave* (2).

Nonnunquam polypi variis in sedibus simul exoriuntur, ut videre est ex *Levreto* (3) qui verba facit de singulari sinus maxillaris sarcomate, quod cum binis ex ore sinus frontalis enascentibus polypis communicabat. Sed magis forsitan singulares videbuntur, quas modo subjungam, observationes polyporum, quorum origo licet non obscura, ob peculiarem tamen increscendi modum, videlicet intra ipsam cranii cavitatem, dignæ sunt quæ referantur.

Juvenis diutino capitis dolore conflictatus, dein sopore gravi affectus, obiit 15 decembris 1787. Constabat eum polypo narium laborare; sed non æque constabat de morbi genere, qui eundem æquo citius sustulit. Malum igitur in cadavere pervestigatum est. Ablata calvaria, remotaque duriori menynge, excrescentia quædam ad perpendiculum sese attollere visa est, dimidii fere ovi crassitie, quæ incumbentem sibi lobum cerebri dextrum ob pressionem, quam in eundem exercuit, vitiaverat; atque inde tum ab eadem pressione, tum a continenti dolore pus generatum esse circa polypi ambitum conspiciebatur, cui sanguinis atri multum ex venis erosis, uti videbatur, effusi admixtum fuerat.

Polypus autem ex media parte septi nasalis, qua narem dextram spectat, ampla enascebatur radice, et mox bifariam divisus altero ramo deorsum, altero sursum tendebat. Inferior polypus narem dextram totam occupabat, et potiorem fossæ nasalis partem: superior autem recta ascendens in cranii cavitatem penetraverat, destructo sensim osse cribroso, et diducta ab anteriori parte falcis duplicatura, ex qua tunicam externam sibi mutuavit. Hujus polypi superficies inæqualis erat, et sulcis quam plurimis discreta, ejusque substantia mollis, adeo ut primo obtutu a cerebri corticali non videretur differre; sed incisione per ejus longitudinem facta, lardi naturæ

---

(1) Observation de chirurgie, tom. I, obs. 6.
(2) Mémoires de l'académie de chirurg., vol. V, pag. 226.
(3) Observations sur la cure des polypes, pag. 223.

similis apparuit, tumque ex ejus centro non modica saniei copia prosiluit. Oculus dexter aliquantum prominens notabatur, et post mortem sanguinis atri nonnihil e sinistra nare defluxit.

Ruricola annos natus unum supra viginti sexennio, et quot excurrit, pessimæ indolis polypo laborabat. Per hujus mali initia extirpatio a quopiam, ut videtur, tentata, certe non absoluta fuit. Nam paucis interjectis mensibus, multo, quam antea, durior polypus factus est, inque majorem molem excrevit. Igitur altera vice lubens operationem subiturus nosocomium hocce petit, ubi cum de alia agendi methodo deliberatum esset, timore plus æquo perculsus inconsulto abiit pridie ejus diei, quæ operationi erat destinata. Iterum cum rediisset longo post intervallo, jam eo processerat malum, ut ab omnibus insanabile judicaretur.

Ab anno 1783 polypus majora in dies cœpit incrementa; etenim ossibus nasi mirum in modum diductis altera productione caveam naris sinistram, altera dexteram ita occupavit, ut cutis nimium distracta duobus locis abscedere coacta sit; nempe dextrorsum prope nasi radicem, ab læva vero prope majorem oculi canthum, ex quibus dein ulcusculis luxuriantis polypi caro pullulabat. Hujus ingens moles utpote solidis validisque fibris compacta, ossa palatina ab invicem divulserat, et oris ab narium cavea a sola palati membrana discriminabatur, quæ dein magis magisque adaucta, per posteriora narium foramina descendit, deprimens pondere suo velum palati pendulum, et uvulam cum fornice inflectens contra linguæ radicem, ut angulum acutum facerent. Demum ampliata pedetentim via, multo grandior et durior factus polypus, et in ipsas fauces illapsus spatium earundem sic occupavit, ut ægro fere spiritum intercluderet. Hac spirandi difficultate multis mensibus conflictatus agricola, lingua insuper exserta, oculis prominentibus, deglutitione præpedita, nasoque informi miserrimum sui exhibebat spectaculum. Tandem die undecima septembr. 1784 e vivis decessit.

Adolescentis cadaver, propterea quod æstus erat, non dissecuimus. Caput duntaxat lustrandum suscepimus. Facies ex adverso spectata monstruosa erat, oculis nempe protrusis, naso per longitudinem sulcato, depulsis ossibus propriis, et sola cute protectis, quæ, ut antea dictum est, ab utroque latere ulceribus erat deturpata. Dextera naris opplebatur polyposa carne; sed magis sinistra, ex qua etiam propendebat. Ex ore lingua tumidior prodibat, et oculus sinister magis extuberabat dextero. Remoto cranio et cerebro, quod paullo mollius erat, continuo ab læva hydatis, magnitudine ovi pulli indici se efferebat subalbida gelatina quadam turgens. Hæc a cavitate media baseos cranii, quam penitus replebat, in anteriorem etiam se porrigens tota superficie convexa in concavos, et sinuatos lobos cerebri sinistri anteriorem, et medium sese immittebat, quorum propterea cortex ob illam pressionem densior apparebat circa hydaditis ambitum, et corpori ejusdem alicubi firmius nectebatur. Porro hydatis densiori tunica circumdata recondebat vesiculas quamplurimas tenuissimas lympha turgidas, tum etiam substantiæ cellularis partem aliquam naturæ solidioris, albicantis et limphæ expertis.

Is erat nexus cum cerebro, et structura interior hydatidis polyposa; sed versus cranii basin absque nexu erat, et undique libera super duram menyngem quodammodo recumbebat, quamdam productionem emittens per foramina maxillaria haud procul a fissura orbitali. Corpus hydatidis transversum, quod cranii caveæ anteriori et mediæ insidebat, poll. paris. 3, lin. 2 æquabat. Longitudo ab summa superficie ad ejus radices prope foramina maxillaria poll. 2; diameter vero seu crassitudo erat poll. 1, lin. 9.

Radix igitur hydatidis tendebat extra cranium per nervorum maxillarium foramina, quæ, perrupto osseo septo, in unum abierant. Et radix tunc adscitis fibris, tum etiam circumposita dura matre et nervo maxillari superiori eidem accreto jam validior evadebat. Dein mox sub ipso foramine, atque a parte sui priore binas emittebat productiones, quarum minor superiorque in sinum ossis multiformis penetrabat, ibique cum polyposa substantia coiverat. Membrana ejus sinus corrupta, colorisque cinerei erat; eaque sola prædicti sinus lacunar faciebat; namque detracta ex sella turcica pituitaria glandula cum dura matre, membrana, quæ sinum sphœnoidalem vestit, sine ossis tegmine apparuit.

Productio polyposa inferior majorque osseo septo a superiori distincta paullatim latescebat, ut sarcomati nasali sese immitteret; hinc per fissuram sphœno-palatinam descendens pone maxillæ superioris tuber in ipsam massam polyposam desinebat. Hæc porro massa in binas iterum portiones dividi poterat, alteram nasalem, alteram pharyngeam. Prior antrum maxillare sinistrum occupans, id enormiter ampliaverat, sive tuber maxillæ posterius destruendo, sive processum nasalem dilatando, qui ad chartæ tenuitatem redactus, in basi abruptus est. Præterea os illud, quod orbitæ sinistræ inferiorem sedem perficit, emollitum et ab increscente polypo sursum elevatum, oculum ex orbita propellebat. Polypus hic, qui intra maxillarem sinum erat, mobilis, e nare vix propendens, tres pollices longus.

Portionem pharyngeam ab altera nasali dirimebat sulcus in confinio palati ossei cum palato, ut ajunt, molli. Hujus massæ in fauces illabentis longitudo erat poll. 2, latitudo poll. 2, lin. 6; periphæria poll. 7, lin. 6. Ossa palatina fere absumpta erant, ut vix eorum vestigium superesset. Dum ita malignæ huic germinationi finem aliquem esse arbitramur; ecce polypus alter insignis, ex sphœnoidali sinu dextro prorumpens, in nares venit per hiatum tam amplum, ut ex eodem sinu scalpelli manubrium in nares ipsas commode juxta septum adigi posset. Verum ex altera parte, quæ naris alam spectat, cum ipsa pituitaria membrana coaluerat polypus; et cum non omnino sphœnoidalem sinum repleret, notabili videlicet spatio intercedente inter polypi corpus et ejusdem sinus membranam, videbatur ab ingenti narium et faucium polyposa massa, quacum pariter coierat, deorsum fuisse deductus; quamvis verius forsitan existimandum sit, hunc polypum ejusdem massæ sarcomatosæ fuisse sobolem. Porro totius hujusce corporis polyposi structura erat densissima, duriori tela cellulari compacta, quæ scalpelli et forficum aciem fere eludebat.

Descripto sic habitu partium variis modis a sarcomate vitiatarum, proclive est intelligere, quid in macerata et expurgata calvaria præter naturæ modum observatum sit. Ossa nempe sinistri lateris absumpta propemodum sunt deprehensa. Et primum quidem os maxillare vi distendentis polypi extrorsum actum, et os socium dextrum similiter versus orbitam compressum, narium antrum enormiter dilataverant. Processus nasalis ossis sinistri sinuatus, et a priori parte in aciem extenuatus, et a reliquo osse, ut dictum est, in basi solutus. Tuber maxillæ retrorsum deficiebat, et antrum hygmorianum lamina tenuissima tegebat, undique soluta ab osse, et carnibus infixa. Itaque os maxillæ sinistræ instabile erat, nulli parti cohærens, deficiente etiam spina, qua cum compare osse jungitur. Ossa nasi et lacrymalia emollita; os jugale destructum, spongiosum vero dilatatum; e contrario os cribriforme cum processu *crista-Galli* parum mutatum; cavernæ sphœnoideæ ampliatæ; fornix cavernarum nullus; ossis multiformis processus temporalis sinistrorsum multimodis erosum; foramina cuncta ejus ossis præter spinosum abolita. Os maxillare dextrum itidem mobile apophysi nasali arcuata, et debili majus spatium naribus parabat; orbita coarctata tum ab osse spongioso dilatato, tum a maxillari lamina sursum protrusa. Hæ præcipuæ in calvaria mutationes erant; singulas enim persequi nimis longum esset et tædii plenum.

Quanta vis polypo insit ossibus mutandis destruendisque ex modo enarratis historiis atque ex aliis, liquet. Sed vis alia longe funestior iisdem inest, nempe in cranii cavitatem sese insinuandi sive per naturales sinus, sive ossa ipsa baseos cranii perrumpendo. Quod cum tot mala in encephalo producat, ut supra ostendimus, nos quasi adhortatur, ut, quacunque possimus arte, mature ejusmodi excrescentias evertamus. Quanquam dolendum sit quammaxime, artem sæpenumero non sufficere ejusmodi hydræ extirpandæ, vel quia radices egerit altiores, vel quia levis interdum irritatio non minora excitat mala, quam quæ ipse polypus producit, quod exemplo sequenti confirmabo. Rusticus biennio jam nasali polypo infestatus alterum sibi extirpari passus est, alterum ex faucibus tussis impetus ejecit. Quæ per hyemem et ver lente increscebant polyporum reliquiæ, ineunte æstate, magis infestæ apparuerunt. Nam polypus alter ad oculi sinistri canthum doloribus stipatus, alter ex naribus prorumpebat. Igitur uterque tum evulsione, tum cauteriis sublatus est. Sed interea vel remedii nimis parca administratione, vel morbi ipsius pravitate ulcus malignam naturam adeptum est sarcomatibus denuo pullulantibus, quæ cum ex unica basi, eaque nimis lata prodirent, et naturæ essent vesiculosæ, vinculo rite apteque injiciendo locum non dedisse, chirurgus indicabat.

Huic ægro post medium septembrem anno 1788 polypum, qui in fauces pendebat, vinculo comprehendi, nasalem specillo exploravi num itidem vinculi capax esset; polypum illum videlicet magnum, longum, sanguinem facile fundentem. Post explorationem et vincturam omnia in pejus ruere. Nam vehemens primum febris ingruit, dein totius corporis

macies, mox puris e nare atque ex auricula sinistra fluxus, ad mortem usque continuus, quæ quidem die 6 octobris evenit.

Secto per medium capite, polypus ingens fibroso carneus in sinistra nare repertus est, quam totam ad fauces usque occupabat. Radiculis suis inhærebat ossi cribroso, vel potius tenuibus duræ matris productionibus, quibus olfactorii nervi defenduntur, dum per ejus ossis foraminula transeunt. Os cribriforme perfractum, uti et narium septum, atque os lacrymale. Crassa menynx ab læva parte, qua cranii basin contegit, ad initium usque spinalis medullæ corrupta cernebatur, quæ labes corticali substantiæ lobi medii cerebri, tum hæmisphærii sinistri cerebelli communicata mortem acceleravit.

Anceps hic judicium esse existimo, num inflammatio et cita mors ab äere inquinato sit profecta, an a vinculo polypo faucium injecto, vel ab aliqua inter explorandum irritatione, an vero ab omnibus simul hisce causis. Quidquid de his sentiendum sit, illud certe evidens est, extirpationem periculi plenam esse, si quando polypi sint naturæ fibrosæ, altiusque defixi. Præter insolitam enim vim, quæ iis abrumpendis adhiberi debet, metuenda est valde distensio et vis, quæ menyngibus infertur, aliisve particulis cranii cavo contentis. Et si quandoque sanguis cum periculo erumpit, ubi polypus imis narium partibus inhæret; quanto majus imminebit periculum, si idem a sublimioribus sedibus enascatur? Eam sanguinis profusionem a dilacerato arteriæ nasalis trunco *Morgagnus* (1) derivare existimat; sed nares internæ pluribus ramis ab arteria palatina superiori, tum a pharyngea itidem superiori, atque a sphœno-palatina profectis irrigatæ sunt, quorum alii septum ductumque nasalem, alii ossa spongiosa, antrum hygmori, cellulas ethmoidis perreptant; alii denique multi penetrant in sinus atque in basin ossis multiformis. Hinc mirum non est, nonnullos ab immodica sanguinis jactura mox post sarcomatis extractionem repente occubuisse. Atque illa eo magis est metuenda, quo altiores, ut jam innuimus, sunt polypi radices, et quo ejus natura magis vel ad fibrosam, vel ad carneam accedit, et copiosioribus ad nutritionem vasis est consita.

Tutius igitur esse in morbis hisce percurandis manifestum est modum sequi a cl. *Levreto* præmonstratum; scilicet vinciendi propendentes excrescentias; id quod perraro effectu caret post excogitata ab eodem *Levreto*, tum a præstantissimis viris *Jo. Huntero* et *Benjamino Bell*, ad id apte efficiendum idonea adminicula (*).

---

(1) De sed. et causs. morb., epist. XIV, n. 19.

(*) Subinde una alterave ligandi methodo radicitus evellitur polypus, et tamen succumbit æger ob morbum secundarium.

Decennis puer, polypo naris dextræ jam ab aliquo tempore laborans, nosocomium Ticinense petebat, ut ipsi quantum fieri posset, auxilium ferretur. Instituto examine, patuit polypi sat magni partem unam implere narem, alteram et quidem majorem retrorsum ad fauces descendere, quo velum palatinum antrorsum pulsum fuit. Nulla ceteroquin obstante complicatione, ill. *Scarpa* filum argenteum per narem

CAPUT II.

DE UTERI POLYPIS.

Rustica quædam mulier, annos nata circiter triginta, quæ unico edito partu nullas in naturalibus viis mutationes aut morbos passa erat, post mariti difficilioris ante quatuor annos interitum vitæ et animi mœrore tamdiu fuit affecta, donec in morbum rueret. Prioribus annis, quibus viduas noctes ducebat, menstruæ purgationes rite procedebant; deinde per longius intervallum fluentes, in graves tandem menorrhagias desierunt, et frequentia et facilitate qua irruebant, molestissimas. Huic unus et alter medicus opem suam præstitit eo successu, ut, præscriptis quidem remediis post anni spatium, sanguis cohibitus sit, permanente seri fluxu. Accedente postmodum febri et ischuria, nosocomium adiit. Præter febrim continuam aderat corporis macies, luteus faciei color, lassitudo et quidam interni ardoris sensus. Abdomen molle, urinæ primum pure permixtæ, dein, ablata ischuria, tenues, limpidæ apparuerunt, febri tamen et calore, qui intus erat, perdurante, et molesta quapiam re intra vaginam affligente. Igitur, ut, quid causæ molestiam afferret, intelligeretur, advocor, exploro, polypumque infra vaginæ medium prolapsum ostendo, cujus vertex in capitis formam magnus, subrotundus, mollitie quadam præditus, nullo tamen præternaturali sensu, nullo ulcere nec fungosa natura vitiatus. Uteri ostium ita apertum, ut digitum admitteret, inventum est. Mors vero citius insecuta est, quam nobis vinciendi polypi facultas data fuerit.

Patefacto abdomine seri purulenti duarum et amplius librarum pondo profluxit. Hepar, lien intestina, uterus glutine, ut ajunt, inflammatorio obducta; præterea hepar pallidum; ilei intestini infimi gyri, et coli proxima pars utero adcreta. Omentum et renes secundum naturam. Ovarium

---

circa polypum tam alte duxit, ut deprehensa ejusdem radice, certus esse potuerit; transennam postea duplicis cylindri ope constrinxit, qua pressione in polypi radicem per aliquos dies continuata, factum est ut sexta ab operatione die, præeuntibus anxietatis et suffocationis symptomatibus vehementissimis, polypus integer per fauces deciderit. Illo extracto, sensim mitigantur symptomata, et elapsis quibusdam diebus optime se habet puer, ut de ipso sanitati restituendo vix ullum superfuerit dubium. — Ast subito corripitur febri putrida adeo vehementi, ut adhibitis etiam omnibus remediis, quibus efficacissima medendi vis inest, mors tamen insecuta sit. — Adversus hic curationis successus eo magis dolendus erat, cum, facta sectione, apparuit polypum qui a membrana sinus sphœnoidalis partem nasalem abducentem ad conchæ supremæ et mediæ radicem exortus est, radicitus ablatum fuisse, ita ut nihil, nisi radicis sedes superfuerit. Infra hunc locum autem velum palati pendulum, et quæ amygdalem cingunt partes gangrænosa fuere. Naris sinistra et pharynx naturales; in cerebri vero sic dicto lobo medio dextro (quod notabile est), cum polypus narem sinistram occupaverit, macula gangrænosa, seu abscessus gangrænosus repertus est sesqui pollicis magnitudine, qui a superficie inferiori hujus lobi descendens ad cornu ventriculi lateralis usque penetravit, cornu amoris tamen et adjacentes cerebri partes non læsit. — Simul dura menynx, quæ excavationem alæ magnæ ossis sphœnoidei obducit, in loco, ubi ipsi incubuit, macula gangrænosa cerebri corrupta fuit. — Quæstio hoc in casu oriri posset, an febris putrida accedente ob vicinam mali sedem cerebri et duræ menyngis ad inflammationem proclivitate, abscessus cerebri causa fuerit? an vero in cerebri læsione juncta cum miasmate febris putridæ nosocomialis illo tempore communi posterioris morbi ratio quærenda sit? (*Wenzel.*)

dextri lateris magis expansum ob hydatides in ejus substantia subortas. Ligamenta lata inflammatione correpta; ab læva Falloppii tuba in abscessum mutata. Uterus justo amplior, intus tamen non mutatus, nisi quod polypus ex ejus fundo latiori radice exordium capiens deorsum producebatur sic, ut parieti uteri postico, et cervicis labio itidem posteriori adhæreret; inter quem et polypi massam per venas aliquot satis conspicuas commercium erat. Post hæc tres latos digitos longior factus in vaginam descendit ceterum sanam, excepta parte aliqua retrorsum, quæ ulcerari cæperat. Radicis polyposæ longitudo ab uteri fundo ad cervicem erat pollicis unius et dimidii; crassitudo, duorum pollicum. Hoc corpore per medium discisso, sarcomatosæ indolis esse manifesto apparuit. Pars enim superior, seu radix, ex compacta et subalba substantia constabat. Inferior, seu illa quæ in vagina hærebat, colore sanguini venoso proxima, scilicet livens, mollicula, fibris tamen prædita. Cæterum tota sarcomatis moles veluti intra cystim recipiebatur, ab ipsa uteri interiori substantia producta, et in modum thecæ conformata, ex qua sarcoma veluti ex cortice expelli poterat (*).

(*) Simillimum casum Viennæ in nosocomio militibus destinato observavi. Fœmina quinquagenaria, quæ sæpius peperit, ab aliquo tempore hæmorrhagiis ex utero absque manifesta causa obnoxia fuit. Aliquibus diebus, antequam nosocomium petierat, dolores senserat iis, quos partus adfert, persimiles. Rurali more, confluentes fœminæ partum instare pro certo crediderunt; hinc, ut diligenter laboret, ægram adhortarunt. Sub hisce conatibus tandem tumor extra genitalia propellitur, vero jam primo aspectu differentias sat notabiles ab infantis capite, aut alia parte offerebat. — Itaque nosocomium adibat fœmina habitu cachectico et debili. Cl. *Hunckzovsky*, celebris chirurgiæ in academia Josephina professor, præmisso examine, quo tumorem ex utero provenire et polyposum esse cognovit, ægræ posuit vincturam, et coram reliquis ejusdem academiæ professoribus præstantissimis simplici filo forti feliciter perficit. — Post operationem insequuntur symptomata debilitatis, animi deliquia. Porrigitur vinum, et ob generalem debilitatem etiam chinæ cortex. Mox vagina et ligata sarcomatis pars dolere incipiunt: quod infra ligaturam est, sphacelo corripitur et abscedit; hinc vagina vacua fit, remanet autem tumoris pars uterina. Interim ægra sensim fit debilior, febricitat, tabescit. Abdomen tumet, dolet, et sic extinguitur non diu post operationem. Instituta sectione, magna in abdomine reperitur materiei purulentæ copia, imo et in ipsa uteri substantia pus. Reliqua, quæ sectio docuit, desidero; cum enim non ipsemet interfui, dicta tantum mihi relata sunt. — Etiam vaginæ sarcomatosi vel polyposi tumores subinde, si mole excedant, et extra genitalia propulsi pudendarum ostio constringuntur, similibus concomitantur symptomatibus, quæ superaddita ligatura augentur et accelerantur, imo etiam in mortem abeunt.

Fœmina trigesimum annum agens in Mediolanensi nosocomio ob tumorem sarcomatosum extra genitalia propendentem decumbebat.

Tumor recens nati infantis caput adæquans pro parte jam in gangrænam abierat. Cum advocatur cl. *Palletta*, qui, illum ex pariete vaginæ posteriori prope os uteri ortum ducere, reperit. Ægra jam debilis, pallida, cachectica tumoris separationem ligatura promovere studuit vir cl., quam radici ejusdem intra vaginam absconditæ injecit.

Quinta post operationem die ad dimidium redactum fuit tumoris volumen, et cum undique niger, simulque mollior fuerit; frusta quædam forcipe auferuntur, quin hæmorrhagia subsecuta fuerit. Sexta die tumor minimus, et fere omnino in putridum colorem solutus, abdomen summopere tumidum, tensum, atque ex tactu vehementer dolens; facies hyppocratica, pulsus minimi, suspiria, fæces inscie depositæ. Octava die moritur.

In abdomine nec inflammationis nec humoris cujusdam præternaturalis vestigium reperitur. Uterus duriusculus, et solito paullulum major. Excisis et per longitudinem dissectis genitalibus, patet sarcomatis stylus, cujus prope radicem diameter pollicis unius fuit. Ligatura firmiter adhuc inhæsit tumoris radici, nec tam profunde in ejus substantiam penetraverat. Dissecta radice, quatuor vasa in conspectum

Sanguis, qui non stato tempore ex utero fluit, mala ut plurimum difficilia parit. Polypum primordia cepisse ab irregulari uteri fluxu, videtur tum ex hac, tum ex alia, quam mox proponam, historia posse confirmari. Non ignoro aliter censuisse *Levretum* (1), qui hæmorrhagiæ ortum tribuit matricis sphincteri polypi venas comprimenti. Quod quidem ex ejus sententia fieri nequit, antequam polypus grandior factus per uteri ostium viam sibi pandit. Tunc enim vero in varices dilatatæ venæ supra uteri orificium rumpuntur, et intercalaribus sanguinis effusionibus præbent originem. Quam phænomeni explicationem uti probare non possumus, utpote a vero alienam; cum sanguis prius stillare incipiat, quam ulla polypi signa internoscantur; sic observatione (2) ab ipsomet producta facile refellimus. Etenim menorrhagia a lapsu excitata per tres primum continenter menses, dein per decem ferme annos per vices affligens, *causa* haud dubia fuit, non effectus polypi, qui postea subnatus est.

Uteri polypos ex triplici fonte oriri, statuit cl. *Fridericus Aug. Walther*; nempe a miasmate venereo, a materia quacunque acri, et a guttula quadam menstrui sanguinis, aliusve humoris in uteri cavo commorante, ibique acrimoniam concipiente. Sed hæc fortasse ad remotas causas pertinent. Etenim cum eodem cl. viro opinamur, tunc maxime polypos uterinos succrescere, dum a vasculis interioribus uteri succus quidam secernitur

---

veniunt ita, ut merito exinde, si extirpatus fuisset tumor, hæmorrhagiam timere licuisset. — Vagina maculis quibusdam notata fuit ad gangrænam pronis.

Uteri cavum levi phlogosi correptum, et purulenta materie obductum fuit. Incisa ejusdem substantia, e diversis locis prodiit pus.

Ovaria in hydatides oblongas tenuibus intestinis persimiles exparsa fuerunt. In suprema pulmonis dextri parte exiguus reperitur abscessus. Reliqua sine vitio sunt.

Quod in priori casu universali abdominis ejusque viscerum inflammatione et puris effusione; id in præsenti copiosa, et longiori putridi ichoris resorbtione effectum fuisse videtur.

In illo uterus, ut sedes mali primario, in hoc secundario ob vaginæ nexum affectus fuit. Exitus autem fuit idem lethalis.

An ex hac differentia etiam petenda sit ratio inflammationis, et effusi in abdomine purulenti humoris in primo casu, defectus vero illorum in altero? definire non audeo.

Ex his partim ab auctore, partim a me ratione ligaturæ polyporum uteri prolatis exemplis liquet, tutissimam non esse operationem illam, qualis a quibusdam proclamata fuit. Errare quodammodo illos credo, dum filo idem, quod natura subinde, eademque ratione qua illa, uteri orificio colloque perficere existimant. Utrumque enim et uteri orificium et collum extra graviditatis ultimum terminum crassitudinem non exiguam habent. Quare pressio in majorem transeuntis polypi superficiem, et quidem ita sensim sensimque fit, ut partes quasi priori pressioni assuescant, antequam nova superveniat. Contra vero, dum polypo filum injicimus, minimam superficiei ejusdem partem tangimus ob fili, quo utimur, tenuitatem. Adde, hanc acutam pressionem prope vel proxime polypi ortum, et nec tanta subtilitate, nec ea gradatione fieri, quam qua a natura id effici videmus.

Ex hoc vero methodi sive actionis in polypum differentia etiam symptomata quodammodo diversa esse debere patet. Hinc si arte constringantur polypi, ut plurimum vehementiora observamus, quam si id a natura fiat. Cum autem et celeberrimi artis nostræ magistri pro certo definire nec audeant, nec possint, utrum symptomata polypi ligaturam super accedentia lethalia futura sint, nec ne; existimo suadendum potius esse ligaturam, ceu preparatum ad polypi resectionem, quæ, quotiescunque fieri potest, elapso uno alterove die ligaturam sequatur. (*Wenzel.*)

(1) Observations sur les polypes utérins, pag. 23, 37.

(2) L. c., p. 19.

coaguli capax, qui ita adhæreat vasculis, seu internæ matricis superficiei, ut in telam cellularem commutari queat. Quod longe facilius locum habere censeo, si levis accedat phlogosis, ob quam non solum muci coagulabilis uberior sit secretio, sed etiam vascula ita afficiantur, ut intra novam substantiam pro nutritionis negotio produci possint, et elongari. Quæ mutatio non solum de interiori uteri membrana intelligenda est, sed de ipsius etiam substantia. Nam, quod nos modo observavimus, id etiam *Levretus* diserte se vidisse testatus est (1), polypum nempe ab uteri fundo exorientem, quem examinandum susceperat, ab explicatione interioris uteri membranæ fuisse obductum; sed ad aliam historiam uterini polypi vinculo curati transeamus.

Mulier quadragesimum attingens annum, habitus fere athletici decem et septena prole antehac fœcundata, quatuor ante annos, etsi stato tempore menstrua profluerent, cœpit esse obnoxia quibusdam sanguinis ex utero jacturis sine lege revertentibus; eæque jacturæ magis minusve copiosæ tunc eveniebant, cum vel laboris quidpiam gravioris susciperet, vel alvi deponendi necessitas cogeret, conatusque et pressio penitus in eam præcipue partem intenderent. Postremis dein mensibus, antequam de curatione ageretur, corpus quoddam ad ipsum vaginæ ostium prolapsum est, quod pro uteri descensu habitum et curatum est indito in vaginam pesso. Paucis post diebus, cum stando cunctaretur, extemplo sonitus auditus est a muliere qualem secundæ dilaceratæ edunt, profluente simul magna aquæ vi cum pauxillo sanguinis; et mox corpus, quod paullo ante indicavimus in vaginæ ostio hæsisse, hoc veluti pondere exoneratum altius intra vaginam se recepit. Præter modo dicta symptomata et ponderis et doloris sensum ad os sacrum, tum ad inguen dextrum, nullam præterea molestiam polypus procreaverat.

Explorata muliere vigesima octava maji 1787, corpus cylindricum in ejus vagina offendi, superne exordium capiens, et laxo veluti annulo, nempe ab uteri orificio latiori reddito circumdatum. Huic haud multo post injectum est vinculum ope cujusdam ænei annuli super manubrium firmati, idque feliciter cessit; altera enim die jam fœtor aderat, et saniei ad lateritium tendentis profluvium. Dolebat nonnihil abdomen, et quædam in uteri regione distensio persentiebatur ab ægra, quoties truncum, artusve inferiores extendebat. Postea vero dolores, qui circa vincturam erant, et in nate utraque quodammodo pulsabant. Perstabat idem fœtor absque febri usque ad diem sextum, in quo polypus, qui infra vinculum erat, decidit. Sed abdominis dolores nihilominus aucti sunt, et ab inguine dextro ad umbilicum protensi; imo insequenti die, cum abdomen, cessante saniei fluxu, intumuisset, adhuc graviores facti sunt. Itaque pedibus insistere, vel paullum incedere

(1) L. c., pag. 17.

conata, animo linquebatur. Dumque tussis instabat, corpus quoddam contra uteri collum urgeri sibi videbatur, cui si nisus jungebatur, qui alvo ponendæ necessarius est, etiam sanguinis stillæ aliquot ex utero prodibant. Fomentis ventri impositis, aliisque præsidiis, quæ leniunt et refrigerant, adhibitis, corporis impellentis in vagina sensus evanuit; neque uteri collo jam contracto, clausoque ejus orificio, polyposi quidquam amplius exploranti digito occurrit. Mulieri tamen quædam tensio nec sine dolore circa inguen dextrum adhuc molesta erat; eoque magis, quod venter identidem nova doloris accessione attollebatur, donec quidpiam ex utero prodierit, quod cum nunquam antea observatum fuit, pro vincturæ filo acceptum est, paucisque saniei guttis dilapsis omnia in ordinem redierunt; nihilque aliud in posterum accidit, nisi quod ingesto cibo venter ut plurimum sine dolore tendebatur, digesto vero alimento, subsidebat. Die 2 julii aliquid catameniis simile apparuit: interdum etiam levis dolor a pube ad labrum ossis ilium: interdum alius in lumbi dextri regione infestus erat

Verum quadragesimo ab operatione die vivacissimo abdominis cruciatu stans percellitur præcipue in hypogastii dextri regione, qui ad inguen et ad interiorem femoris partem propagatus limphaticas quasdam stases, dolentesque in cellulari textu, et femoris motus impedientes produxit. Simul tumefacto abdomine, vehemens febris excitata, ad quam sedandam venæ sectio, fomenta, clysteres in usum vocata sunt; interim nihil e vagina fluebat, et mulier interdum velut labentis aquæ guttas, interdum pulsationem velut horologii in eadem hypogastrii sede percipiebat. Circa medium julium collum uteri et ejus orificium secundum naturam inventa sunt; uteri ipsius corpus vacuum et leve. Post hæc frequentibus catharcticis expurgata mulier, balneisque domesticis usa (si leves quosdam dolores in ligamenti lati regione residentes excipimus), satis prospera gaudebat valetudine. Nam dum hæc scribo, 3 maji 1791, polypus nondum pullulavit.

Si *Levreto* (1) credimus, haud adeo raros esse uteri polypos existimandum est, qui pro certo habet quidpiam polyposi fuisse, quidquid ex naturalibus prolapsum et excisum esse ab auctoribus memoratur. Proinde asserere non dubitat, *Benivenium, Carpum, Hollerium, Mercurialem*, aliosque, qui vel ipsimet exciderunt, vel excidi viderunt prolapsum uterum absque vitæ jactura, non dubitat, inquam, asserere, hos hallucinatos fuisse, polyposque veros pro utero resecuisse. Quam sententiam mox confirmare studet *Ætii, Æginetæ* et *Carpi* testimoniis, qui fœminis non modo ablatum fuisse uterum, sed etiam illas, si Diis placet, postea concepisse tradiderunt. Verum sicut nimiæ credulitatis esset fateri, toties revera excisum fuisse uterum, quoties id factum fuisse ab scriptoribus memoratur; ita, ut cum *Morgagno* loquar (2), nimis durum videretur, de tot, qui

(1) Observations sur les polypes utérins, pag. 26 et séq.
(2) De sed. et caus. morb., ep. XLV, n.° 4.

illud ab se factum conspectumve scripserunt, omnes deceptos pronunciare. Hinc maluissem, *Levretum* diligentius perlegisse auctorum libros, quorum testimonia adduxit; tum profecto non utique tam festinanter et libere judicium suum interposuisset.

Et ut primum de exsecto utero dicamus, scire licet, non nisi corruptum uterum excisum, auctores illos prodidisse, neque si *Berengarium* Carpensem excipias, quemquam id per se perfecisse constare. *Antonii Benivenii* testimonium (1) dubium est; ipse enim de corrupta vulva verba facit, quam cum frustra persanare conatus esset, totam putrefactam decidisse ait. Quæ sane, ut quisque videt, ad amputationem non spectant, neque de ipso proprie utero intelligenda esse videntur, sed potius de pudendo exteriori, et de vagina: vulva enim, licet nonnunquam pro matrice accipiatur, a plerisque tamen anatomicis ad significandum pudendum externum sumpta est. *Hollerius* autem (2) et *Hieronymus Mercurialis* (3) partem illam uteri procidentis, quæ putrescit, auferendam esse, auctores sunt: ille quidem Græcorum et Arabum placitis innixus; hic vero *Nicolai Florentini* testimonio, qui id se vidisse testatus est. Neque aliter hanc rem proponunt *Paulus* (4) et *Ætius* (5) qui, ut totam penitus vulvam prolabi a vero alienum esse putant; sic partem, quæ prolapsa fuerit, et per negligentiam computruerit, nullius periculi metu auferri posse tradunt, mulieres nihilominus ablata vulva supervixisse commemorantes. Quin imo *Marcus Gatinaria* (6) Papiensis professor clarissimus mulierem habentem matricem inter coxas pendentem vidisse se perhibet, quæ post matricis putrefactæ recisionem per plures adhuc annos vixit, et pestis tempore Papiæ mortua est. Itaque non temere hi viri uterum prolapsum exscindendum esse voluerunt, neque nisi corruptum ablatum fuisse superiori ætate prodiderunt. Ob hanc temeritatem excusandi nullatenus sunt, qui utero non corrupto operationem illam perficere audent, cujus horrendum nobis exemplum reliquit *Ruyschius* (7). Audax enim chirurgus acum crassam filoque munitam per tumoris cujusdam fundum ex fœminæ naturalibus propendentem transegit. Post citam mortem, quæ altero die insecuta est, invenit *Ruyschius* uterum totum fuisse prolapsum, et unum ex ovariis cum tuba hærere in vaginæ medio. Augetur porro quammaxime hujusmodi operationis periculum, si vesica urinaria simul cum utero deorsum tracta sit (8) et vinculo una cum matrice intercipiatur (9).

---

(1) De abditis morborum, cap. 11.
(2) De morbis internis, cap. 57.
(3) De morbis mulierum, lib. IV, cap. 21.
(4) Lib. III, cap. 72.
(5) Betr. IV, serm. 4, cap. 76.
(6) De remediis morborum, cap. de exitu matricis.
(7) Thes. anat. VIII, pag. 27.
(8) *Ruysch.*, Observ. chirurg., observ. I.
(9) L. c., observ. VII.

Ne quis autem objiciat, putrefactos illos uteros fuisse vaginæ aut matricis sarcomata; audiamus anatomicum clarissimum *Jacobum Berengarium*, cui nemo, opinor, exprobrabit, quod sarcomata ab uteris discernere nesciverit. Is ergo (1) de tribus matricibus, quæ corruptæ erant, ablatis mentionem facit. Et primum vidisse se ait, integram matricem extractam a genitore suo in terra Carpi, sanata diuque superstite muliere. Alteram et quidem gangræna correptam ipsemet Bononiæ anno 1507 salva muliere abstulit. Postremam vero eodem *Berengario*, doctoribus insuper et studiosis quamplurimis præsentibus, extraxit nepos ejus ex fratre Damianus anno 1520, die quinta octobr. De qua sic pergit dicere : *Ista ultima nomine gentilis erat uxor Christophori Brianti de Mediolano, habitatoris Bononiensis in contrata dicta lo inferno, quæ hora ista* 1522 *decima novembris est sana, et exercet negotia familiaria.* — Atque hanc puto virum doctissimum *Joannem Langium* (2) indicare voluisse, dum chirurgo Carpensi matricem extirpanti, quæ in cucurbitæ formam intumuerat, adfuisse se, et crebro deinceps duobus, quibus adhuc Bononiæ commoratus est, annis vidisse se mulierem illam mutilam, integra fruentem valetudine scribit. Ex quibus, aliisque locis perspicuum est, si non semper, saltem aliquando matricem amputatam fuisse, fœminamque sanari non potuisse, nisi corruptam partem auferendo. Illud autem ex indicatis locis, quod alterum accusationis caput est, evidentissimum est, neque *Paulum*, neque *Ætium*, neque *Carpum* de conceptu post exemptum uterum verba fecisse.

His, quæ ex *Berengario* aliisque attulimus, ad matricis excisionem spectantia robur addunt observationes nonnullæ a viris fide dignissimis prolatæ, nimirum *Slevogtio*, *Pardo*, *Faivre* et *Wrisbergio*: quorum ille quidem (3) magnam excrescentiam ex mulieris naturali exsectam cum diligentius inspexisset, deprehendit esse uterum cum tubarum reliquiis; et mulier illa quidem feliciter fuit restituta. Alter (4) sensim et frustatim corpus putridum et sine dolore ex fœminæ trigenariæ naturalibus extraxit, opitulantibus medicis et chirurgis ad id vocatis. Corpus extractum videbatur esse uterus, cujus rei fidem fecit unus ex testiculis simul extractus, tum uteri ipsius defectus; frustra enim in demortua muliere quæsitus est, postquam illa per tres menses incolumis supervixisset. Chirurgus *Faivre* (5) mulieri undeviginti annos natæ, cujus uterus a partu inversus foras prociderat, irritis aliis, et gangræna superveniente, ligaturam injecit. Matrix vigesima septima die decidit, et mulier superata dirissimorum symptomatum serie, pristinæ sanitati fuit restituta. Denique singularem omnino amputati uteri,

(1) Isag. anatom. de matrice non præ.
(2) Epist., t. II, epist. 39.
(3) Apud *Morgagnum*, epist. XLV, n.° 4.
(4) *Pardus*, de hom. generat., cap. 41.
(5) Journ. de médec., tom. LXVIII, pag. 201.

superstite muliere, observationem evulgavit ill. anatomicus Göttingensis *Henricus Augustus Wrisbergius* (1) ut nemo jam de rei, de qua disceptavimus, veritate ambigere possit (*). Ceterum, dum de matricis polypis agitur, operationem semper esse suscipiendam, recte monet supra laudatus *Frider. August. Walter;* etiamsi aliquod subsit periculum. Id certe præstitit experientissimus chirurgus *Dessault* (2) quinquagenariæ fœminæ polypum vinciendo, quem triduo post ad gangrænam vergentem pollicis latitudine infra vinculum abscidit. Massa rescissa quinque librarum pondo erat, quæ præter polypum ejusdem matricis fundi in orbem dissecti portionem ostendebat. Eandem operationem præstitisse alium chirurgum legimus apud *Ruyschium* (3). Tumor carnosus circa os uteri internum ortus erat fluxu uterino stipatus, qui cum major factus ex vagina emergeret, fluxus vero immodicus esset, ut ægra jamjam moritura videretur; a chirurgo primum ligatus est, subsistente illico uterino fluxu; dein paucis post diebus etiam extirpatus est salva muliere, et admirante *Ruyschio,* rem periculi plenam tam feliciter cessisse.

---

(1) Commentatio de uteri mox post partum naturalem resectione non lethali. Gottingæ 1787.

(*) His vel cultello, vel ligatura majori minorive ex parte ablati uteri exemplis sequentia accedunt. Bina refert Th. *Zwinger* (Vid. Neün Samlung der aüserlesene der und neüesten Abhaudlungen für Wundanzte. Stück., 3 Leipzig. 1783. Scite 218) in quorum altero protractus violenta manu adhærentibus secundinis uteri fundus, præmissa ligatura, medici cujusdam consilio resectus fuit. Insecuta est gangræna, hancque mors. Sectio cadaveris matricem dissectam fuisse docuit. In altero mulieri quinquaginta duorum annorum nisu vehementi prolapsus fuit uterus cum vagina. Reductus, iterumque prolapsus uterus nunc intumuit ad infantilis capitis magnitudinem. Phlogosi, imo et gangræna correptus fuit. Suadente medico, chirurgus corruptæ parti ligaturam injecit, qua quotidie magis constricta factum est, ut quarta jam ab operatione die ligata pars ponderis trium cum dimidia librarum deciderit. Adhibitis interea et postmodum remediis roborantibus in integrum fuit restituta mulier.

Tertium casum quammaxime memorabilem enarrat *Marschale* (Vid. medicinisch chirurgische Zeitung. Herausgegeben von doctor *J. J. Hartenkeil* 1794. Zand 1. Beglage zu, n.° 8. Seit 136.

Sexaginta annorum mulier uteri prolapsu post partum exorto per viginti annos jamjam affecta tandem symptomatum atrocitate coacta, nosocomium petens, suum implorabat auxilium. In morbum inquirens tumorem (qui prolapsus uterus fuit), extra genitalia ad sex pollices propendentem, durum, rotundum, inæquabilem, diametri quinque pollicum cancerosum et fœtidissimi ichoris effluxu junctum reperiebat. Ægra simul de doloribus lumborum, abdominis, inguinum, coxarum et femorum, de dysuria et tenesmo conquerebatur. Igitur intra quatuordecim dierum spatium diversa et externa et interna remedia tentavit. Cum vero incassum illa ceciderint, amputationem tumoris, unicum recuperandæ salutis superstes remedium etsi dubium decrevit, et consentientibus collegis desuper consultis suscepit; ligaturam injecit tumori, prima die mediocriter, altera magis constrictam, coactus vero ob accedentia symptomata illam solvere, tertia die id omne, quod infra ligaturam fuit, resecuit. Nullis insecutis symptomatibus, nec hæmorrhagia, vigesima octava ab operatione die sanata fuit mulier, et porro incolumis vixit.

Ponamus uterum in hoc casu revera scirrhosum et cancerosum fuisse; tumque quæstio oritur, num præsente hoc morbo absque uteri prolapsu hic arte promoveri posset, ut affectæ uteri partis amputatio exinde possibilis redderetur. Proposuit vir cl. *Richterus* ad resecandos uteri polypos, inversionem hujus visceris artificialem, qua tutius operatio illa peragi posset.

Denique huc referri potest historia, cujus mentio fit in Journal de médecine, chirurgie, pharmacie, tom. LXXII, à Paris 1787. Fœminæ uteri insigni polypo extra genitalia prolapso graviter adfectæ, curam suscepit cl. *Dessault.* Cum polypi radicem sat crassam ab uteri parte, a qua prodibat, discernere nequiverit, hanc cum illa simul ligavit. Oritur gangræna, exinde diversæ molestiæ, ad quas avertendas ligaturam de novo polypi stylo nunc tenuiori injicit, sic quidem, ut quodlibet styli dimidium peculiari filo ligaretur; post infra hæc rescindit polypum. Resectum ex polypo et parte fundi uteri consistebat. Nulla porro subsequuntur symptomata, ægraque ex integro convaluit. *(Wenzel.)*

(2) Journal de médecine, tom. LXXII, p. 259.

(3) Thes. anat. VIII, n.° 102.

CAPUT III.

DE INFLAMMATIONE VENARUM (*).

Rusticus ex eorum numero, qui findendis vicatim lignis quæstum sibi parant, habitus sicci et robusti, annorum vero circiter triginta, cum ex arbore præceps ruens haud longe a pedis articulo crus sinistrum sibi confregisset, vulnusque amplum in exteriori cruris parte ob carnium lacerationem enatum esset, statim in nosocomium delatus est 25 jan. 1787. Protinus ad auxilia ventum est, quibus inflammatio compesci solet, nempe ad sanguinis emissiones, ad alvum moventia, ad topica demum emollientia, quibus febris mox reversura sublata fuit, et pus copiosius fluere, et omnia in melius mutari cœperunt. Sed invadente denuo febri, vulnus alba tenacique pellicula obducitur; artum totum œdema occupat, et accedente levi horrore vultus cum corpore flavescit, et absque alio symptomate æger intra mensem perit.

Sectionem a crure læso inchoavi, cujus tota cutis et cellularis membrana croceo colore infecta magnam limphæ vim ex cellulis effundebat. Vulnus a lapsu excitatum in infima exteriorique cruris parte hærebat, ubi præter fibulæ fracturam et epiphyseos a tibiæ extremo separationem partes omnes, quæ articulum constituunt, inflammatæ, et cinerei coloris sunt deprehensæ. Musculi insuper omnes ab extremo pede ad inguen ad livorem tendentes, et ex glandulis ibi hærentibus nonnullæ pus continuerunt. Detecta interior saphena justo durior, et quodammodo tensa visa est; cujus per longitudinem

(*) Pace magnorum virorum, qui inflammationem appellant morbosum illum vasorum statum, de quo in hoc capite agit cl. auctor, silentio præterire non possum, quæstionem esse magni momenti, num sit revera inflammatio, quæ sic nuncupatur affectio, num erisipelas, num ex utroque mixta? Et si pateat quid sit, quæstionem alteram esse, an a prima jam origine tale quid fuerit; num vel morbi diuturnitate, vel atrocitate, vel perversa tractandi methodo ex alio in illud transierit, quod reperimus.

Equidem visum nobis est in iis quæ observandi data fuit facultas, tam ex accurata vasorum contemplatione, quam ex symptomatibus in morbi decursu ad parentibus, erisipelas fuisse, quod vasa corripuit.

Sed fallax subinde est post mortem judicium, et, quem offendimus partium statum, is nihil, quamultimæ periodi morbi effectum sistere potest.

Hinc necessario, omnique studio quærendum est, utrum morbus ille vasorum, si cum alio simul incedat, vel ab illo dependeat, peculiaribus gaudeat signis; quænam illa sint, et quando appareant. In binis inflammationis vasorum exemplis, quorum prius gravissimam peripneumoniam, alterum capitis læsionem sat fortem sociam habuit; pulsum durum ad mortem usque observavi, etsi venæ sectiones quam plurimæ et omnes satis largæ institutæ fuerint.

Qui pulsui nimium fidunt, hisce occasionibus, præsertim respiratione simul læsa, venam tundunt usque ad mortem. Sed inquirendum esse credo, an non pulsuum durities, si constans, aut saltem frequens inflammationis vasorum signum esse constiterit, ab ipsa morbi sede, vel adsectis partibus, quæ vasa sunt, dependeat, et pulsus æque duros esse posse, sit ceteroquin malum erisipelas, vel inflammatio?

Interest itaque quammaxime, hæc omnia bene nosse, ut apta certaque tanto malo opponantur remedia; periculosum enim, imo etiam per se lethale illud esse posse, jam ex eo constat, quod ipsas circuli sanguinis vias occupet. *(Wenzel.)*

dissectæ interior membrana nigricante imbuta colore apparuit, sanguisque quem continebat, purulentæ materiei commixtus. Sed hæc labes non ultra genu transcenderat. Igitur ad arteriæ cruralis examen me converti, quæ quidem naturalem statum servaverat; sed vena ejusdem comes non minus, quam saphena inflammata erat, materiamque magis purulentam continebat; imo inflammatio hæc secundum venæ cruralis iter intra abdomen propagabatur, et mox iliacam venam corripiens in angulo tandem venæ cavæ divisæ, in quem inferiores influunt venæ, substitit; et quamvis venæ cavæ truncum non læsisset, id tamen vitii ad oppositi lateris iliacam venam transiit, cujus dimidium cavæ propius non solum corrupto sanguine turgebat, sed etiam tunicæ colore valde livido erant imbutæ. Intestina leviter ab aëre distenta fœtebant. Hepar in parte sima atri coloris, in gibba vero minus; bilis pauca porracea. Cœterum dissectum hepar justæ molis nonnisi sanguine scatebat; cava vena sana.

Grave adeo ac vehemens malum non videbatur in sanguineis pelvis vasis substitisse; sed humorem, quicunque is fuerit, per venæ cavæ torrentem ad cor delatum in remotiori aliqua parte depositum fuisse, jure suspicabamur. Quare reserato thorace in dextero pulmone, qui undique liber, colore et consistentia naturali erat, quatuor abscessus offendimus: duos in superiori lobo, reliquos in inferiori. In læva pectoris cavitate stagnabat limpha turbida jumentorum urinæ persimilis. Pulmo sinister itidem mollis et fluctuans, colore tamen ad lividum accedens, aliquot scatebat tuberculis duris vix suppuratis. Pericardium pauxillum aquæ habebat: cor flaccidum.

Observationem, quam modo proposui, inflammationem *systematis absorbentis* sistere arbitror venarum, nempe sanguinearum, et lymphaticarum. Absorbentis, inquam, Systematis: quamvis enim venis sanguineis absorbendi facultas a cl. viris denegata sit, quam ego sententiam in præsens nolo nec audeo impugnare; in hoc tamen casu tanquam resorbentia vasa possunt considerari. Hæc enim sive saniosam et corruptam materiam ex ipso ulcere exceptam ad interiores partes deportarint, sive quod verosimilius, pus ob tunicarum inflammationem in earum lumine generatum a redeunte sanguine in humorum massam transvectum sit; certe utrovis modo ab extremis partibus ad interiores per hæc vasa materia peccans delata est. Hoc idem præstare et præstitisse videntur limphaticæ venæ, quæ acceptam in cellulis membranæ adiposæ saniem in sanguinis massam invexerunt. Hujusmodi abscessus aut tubercula, aut apostemata, qualia in indicato cadavere conspecta sunt, ab inferiorum partium ulceribus generari quandoque in visceribus infimæ aut mediæ cavitatis notum esse puto, possemque id, si opus esset, exemplis nonnullis confirmare. Quod non ab alia evidentiori causa fieri existimandum est, quam a materiæ purulentæ transvectione a loco in quo concoquitur ad aliam partem quæ eidem excipiendæ apta sit. Si itaque hæc transvectio causa est apostematum in memoratis visceribus observatorum; nonne idem sentiendum est de abscessibus, qui post graves capitis læsiones in hepate, liene, pulmone, pericardio

consequuntur ? Quanquam , si interiores encephali venas absorbere ex cellulari , aut si limphatica quædam vasa humoris noxii partem , quam ex cerebri superficie et cavitatibus hauserunt , in venarum cavitates deponere negaveris; possunt utique sanguineæ venæ ob ictus vehementiam et capitis concussionem inflammationi ut aliæ partes , esse obnoxiæ , et pus quod in earum cavo gignitur , primum ad cor , inde ad visceris alicujus molle parenchyma transvehi, ibique decumbere (*).

(*) Novissima, quod quidem scio, et inter ceteras maximam probabilitatem præseferens conjectura, in qua cl. auctor *Hunterum* tantum antecessorem habet, qui a propagata vasorum inflammatione metastases deducit.

Sed an pus in diversis a capite distantibus locis seu visceribus post obitum repertum per vasa absorbentia et venas , vel ut uno complectar verbo , per circulum sanguinis , qua pus ibi depositum fuerit ; an vero illius visceris et cavi , in quo reperitur abscessus , vasa inflammata sint , et transudatione illius ex sanguine partis , qua postea oritur pus , uti in aliis apostematibus , fiat abscessus , quæstio superest.

Si primum admittamus , dissectionibus accuratissime institutis et repetitis probandum est , vasa absorbentia , vel saltem venas sanguiferas et arterias in propriis suis canalibus continuisse verum pus, seu puriformem materiam. Bene autem notare oportet, videri subinde pus in vasorum canalibus contentum fuisse , cum cellularem textum arteriam vel venam proxime involventem revera implet , sicque vasi incumbit ; quod ipsimet mihi , et socio chirurgo accidit in sectione , quam cum historia infra afferam.

Porro , ne nihil argumenti hujus firmitati deficiat, instituenda sunt ea experimenta quæ proposuit cl. *D. Monteggia* , dum injicitur animali per venam pus , et expectatur in aliquibus exitus , in aliis vero , elapso quodam tempore , instituitur sectio.

Si alteri subscribatur sententiæ , conformem saltem maxima ex parte cum illa de generatione puris in aliis abscessibus a plurimis admissa ideam habemus. Diligenter autem inquirendum est , an in tali abscessu post capitis læsionem orto vasa visceris, vel cavi , in quo reperitur, inflammata vel crisipelacea sint.

Puris stupenda copia , quæ hinc inde hac occasione notatur , forsan altera observatione explicanda est. In illis nempe , qui suppuratione externa laborant , quando debiliores fiunt , et œdemate , vel tantum extremitatis cujusdam vel universali hydrope corripiuntur, puris copia , ut sæpius observavi , immensum in modum , et quidem crescente debilitate augetur; simul et novi et vasti abscessus momento quodammodo oriuntur.

Probabilior autem copiosæ hujus suppurationis ratio in sanguinis solutione majori , et solidarum partium ut vasorum diminuta cohæsione et tono constare videtur. Etenim sanguinis hujusmodi ægris mala arte detractus nihil fere , quam crustam , ut dicitur, inflammatoriam ejusdem caloris , ac mel et copiosum serum ostendit.

Similis causa in prioris generis abscessibus dominari potest , si consideremus abscessus illos in ultimo præcipue vitæ stadio , quo ægri jam valde debiles sunt , oriri , vasa dilatari , friabiliora fieri , mox hujus , mox alterius visceris cohæsionem pati , sanguinem in minima etiam vasa penetrare , et si vasa hæc rubra aquæ immergantur , color statim pallescere , imo et penitus extingui.

Quæ omnia humoris per vasa subvecti , eaque nutrientis corruptionem et solutionem probant , atque transudationem partium separatarum ut limphæ , ex qua postea oritur pus , facillimam reddunt.

Interim tamen inflammationem vasorum a capitis læsione obortam subinde sat fortem esse posse, quin simul oriatur ejusmodi abscessus , aut empiema , ex sequenti historia patet.

Vir procerus robustus quinquagenarius ab alto cecidit , et soporosus, extinctis fere omnibus sensibus, in nosocomium magnum Mediolanense deportatur.

Curæ cl. *Palletta* committitur ; quo vero tum temporis absente , chirurgus ejus secundarius advocatur , qui nullam quidem capitis læsionem externam, sed faciem ægri rubram , tumidam , læsam respirationem et profundum soporem observat.

Hinc instituta jamdum extra nosocomium venæ sectione in brachio , alteram in opposito fieri ; hacque nil proficiente , tertiam , quartam et quintam in vena jugulari , arteria temporali et saphena , omnesque sat largas fieri curat. *(Wenzel.)*

Inflammationis venarum ab alia causa, nempe ab abscessu exemplum decennis puer nobis obtulit, cui tumor limphaticus in femore dextro obortus

---

Applicantur fomenta frigida, clysteres.

Status ægri manet idem. Perdurat sopor, faciei tumor, pupillæ rigor, linguæ et auditus defectus, oris impuritas, inquietudo.

Hoc tempore rediens cl. *Palletta*, statim vesicatorium toti calvariæ imponi jubet, venæ sectiones vero omnino prohibet.

Sed irrita fuerunt conamina cl. viri. Moritur enim æger undecima ab ingressu in nosocomium die.

Altero mane fit sectio cadaveris.

Integumenta capitis externa, cranium, cerebri membranæ, ipseque encephalus, omnia illæsa sunt, neque vel sanguinis, vel limphæ, vel puris collectio in et sub dictis partibus reperitur. Cerebro vero exemto, occurrit sanguis extravasatus per totam cranii basin duræ matri incumbens; et majori quidem copia in latere sinistro, quam dextro.

Ablata dura meninge, quod, facta jam ex parte separatione, sine magna difficultate fit, simile coagulum, sed tenuis in baseos cranii læva parte tantum observatur.

Abluto sanguine, fractura in conspectum venit, in superiori occipitis sinistri parte incipiens per integrum os petrosum ejusdem lateris progrediens, et tandem in alæ majoris ossis sphœnoidei excavatione desinens.

His perspectis in vasorum utriusque generis, venarum scilicet, et arteriarum conditionem inquirimus.

Utriusque carotidis truncus, et ejusdem rami principales et minores, hinc cerebralis et facialis, labialis menti, occipitalis, thyreoidea, temporalis, pharyngea etc. Ab origine ad extremos usque fines rubri fuerunt, cinobaris, vel terræ sigillatæ adinstar; et quidem non exterius tantum is color notabatur; sed et interior eorum membrana eundem offerebat ruborem, ita ut punctum flavum, naturalis alias arteriarum color reperiri minime potuerit.

De venis jugularibus internis et externis, quas similiter dissecui, idem valet; alias lividæ, hic ruberrimæ fuerunt.

Notare autem oportet arterias et venas dextri lateris multo rubriores fuisse, quam quæ sunt in sinistro.

Viscera quæcunque essent, thoraci et abdomini, excepto corde, exemi ita, ut in aortam accuratius inquirere licuerit.

Hanc igitur a corde ad illum usque locum quo renales arteriæ excurrunt, præter naturam dilatatam, simulque interius et exterius ruberrimam inveni, ut vel minimum punctum flavi coloris defecerit.

Quæ superest autem ejusdem pars inferior cum renalibus arteriis, et utriusque extremitatis inferioris arteriis et venis omnino rubri coloris seu inflammationis expertes fuerunt.

Arteria subclavia et brachialis, magis tamen in dextro latere itidem inflammata fuit; nec defecerunt venæ ejusdem nominis; sed minoris momenti fuit earum rubor.

Reliqua vasa majora viscerum præcipue imi ventris non perquisivi, exquirere enim vehemens putredinis odor ex abdomine profectus (quod jam *Morgagnius* de iis qui capitis læsionibus extinguuntur, adnotavit) prohibuit.

Cavitates pectoris et abdominis nihil omnino humoris cujusdam præternaturaliter collecti continebant.

Inter earum viscera cor præcipue adfectum fuit. Ejus color suturæ carnium similis, substantia vero adeo macerata et friabilis, ut minima, imo nulla quasi vi penitus illam dilacerare potuerim.

Singulare nobis visum est phænomenon hoc a nimis protracta sectione non derivandum, quippe quæ elapsis viginti horis jamdum facta est. Cestus quidem sat notabilis fuit, ideoque in alia cadavera diutius adhuc in eodem cum præcedente loco deposita illa die inquisivi, ut appareret an eadem in eorum cordibus adesset mutatio, sed non aderat, neque vestigium tantæ mollitiei.

Hinc jure morbosam affectionem, et quidem notabilem esse censuimus.

Pulmones sani.

Intestina pallida, extensa, friabilia.

Renes et lien, quorum posterior alias tam cito in putredinem abit, incolumia omnino fuerunt.

Hepar, ut solito, densum ac firmum.

Non multo post hujus viri discessum alter extinguitur quadragenarius in eodem nosocomio, ob capitis læsionem et præcipue percussionem cerebri. Sectione instituta, tota cerebri superficies et ejusdem basis materia puriformi, inter arachnoideam et vasculosam membranam effusam obducta erat; vasorum autem nullum (exceptis forsan subtilioribus membranarum cerebri, in quæ non inquisivi) inflammatum; neque substantia cordis, aut alterius visceris læsa fuit. - *(Wenzel.)*

ab interiori et media ejus parte ad condylum internum producebatur. Cutis intacta, dolor levissimus cum febri tamen, quæ ad suppurationem usque non ante mensem confectam perstitit. Tum vero femore extremo in majorem molem adaucto binis amplisque incisionibus sanies, quæ multa erat, excita, et subtus os nudum repertum est. Ob quæ vires sensim amittens puer et tabescens cum exili pulsu, per tempus aliquod cortice peruviano et ejus extracto largiore dosi adhibito refocillatus est, sed cum pus melioris utique notæ, at minori ferretur copia; œdematosus tumor crus utrumque et sinistrum femur ad inguen usque occupavit. Tum vero macies increscere, vultus magis pallescere, contrahi nasus, pulsusque ad fili tenuitatem redigi cœperunt. Copiosus et pertinax extracti peruviani cum vino rubro generoso, et frictionum aceto interfuso peractarum usus, ut œdema artuum inferiorum pene discussit; sic spem fecerunt aliquam recuperandi pueri. Quam spem ademit penitus ex improviso puerum adorta febris cum horrore, et œdematis in artu præcipue sinistro reditus. Artus hic, licet contrectationis intolerans esset, digiti impressionem facile retinebat, et rubore nullo notatus ad inguen tamen vehementius dolebat. Febris postquam tribus diebus continenter protracto frigore præcessisset, puerum sustulit, anno 1788, quarto post decubitum mense.

Quam tunc conjecturam fovebamus, nempe de abscessu intra pelvim paullatim collecto, deque œdemate ob ejus pressionem in artubus inferioribus excitato falsam fuisse, dissecando comperimus. Etenim musculi ad femoris posteriora locati, et qui tibiam flectunt, penitus ab osse sejuncti, relinquebant spatium satis amplum, quod a medio femore usque ad ejus cum coxa conjunctionem pertinebat. Os itaque nudatum erat a carnibus, cujus exteriori lateri adnata erat ossea spina longior et erecta; et cellularis cujusdam substantiæ, cartilagineæ propemodum naturæ, accessione crassior facta saniei quaqua versum sese diffundenti quasi obicem ponebat. Examen dextri hujus femoris prosequentes in crurali vena, cujus tunicæ æquo crassiores erant, certis sejuncta intervallis vidimus parva quædam et alba coagula prorsus non diversa ab illa concretione, quam *crustam* vocant *pleuriticam*; ab illa altera autem longe diversa, quam ob mollitiem et figuram *polyposam* nuncuparunt. Hujusmodi coagula continebat iliaca vena, et etiam cava paullo supra illam sedem, qua iliacæ in ejus truncum conveniunt. Glandulæ ad inguen sitæ turgidæ, sublividæ, inter quas nonnullæ suppuratæ. Viscera abdominis salva.

Artus sinister exhibuit ingens œdema ab succo, ut ita loquar, inerti, certe non aqueo, congestum, et totidem parvos abscessus in intervallis musculorum, et prope vasorum divisionem. Inguinis glandulæ pene omnes pure albo densoque turgebant. Psoas lividus, sub quo cellularis textus fere in suppurationem abierat; in universum autem cellularis substantia, quæ circa illas partes est, et quæ in pelvim desinit, in cinereum colorem mutata conspiciebatur. Nullus tamen in interioribus partibus abscessus observabatur; neque intus causa, quæ malo, quod exterius artum læserat,

inferendo, aut fovendo par fuerit, est animadversa (*). Jam undenam pus in glandulis utriusque inguinis? unde coagula pleuritica in venis? Nonne

(*) Huic non absimile exemplum ipsemet observavi, in quo cum venis etiam arteriæ simul inflammatæ fuerunt.

Vir quadragenarius, robustissimus, perfecte sanus, nescio qua de causa, venam sibi in cubito sinistro aperiendam curavit: infausta sorte subjacens venæ cephalicæ tendo læditur.

In nosocomium itaque Mediolanense se contulit cum tumore inflammatorio circa articulum, et exiguo in loco venæ sectionis ulcere.

De doloribus conqueritur æger et febricitat. Antibrachium flexum et simul in pronatione fuit facta circa ulcus pressione; imo prodit pus, et immisso stylo, chirurgus de abscessu et finibus sub tendine vel aponeacosi musculi bicipitis certior fit.

Statim dilatatur ulcus, et imponuntur cataplasmata emollientia.

Sæpius postea vidi ægrum; sed observavi rem non bene succedere; pertinax enim fuit tumor, et suppuratio quotidie copiosior.

Interea ob temporis æstum gangræna et febris nosocomialis epidemica fuit, quibus et æger correptus, et quomodo tanto habitus robore factum est, nescio, etiam succubuit.

Die sexta julii (duodecima ab ingressu in nosocomium die) cadaveris sectionem instituimus.

Gangrænosum magnitudine unius et dimidii pollicis habebat. Antibrachium et manus ædematosa, etiam humerus, sed minus.

Tela cellulosa pinguedinem continens loco naturalis suæ laxitatis, cæca, densa, et in angustius spatium redacta est. Defuit maxima ex parte pinguedo, et firmiter a deo cum subjacente aponeurosi, seu fascia musculorum communi cohæserat, ut difficillima fuerit separatio.

Idem etiam de venis superficialibus circa cubitum, de arteria et vena brachiali, nervo mediano et vasis absorbentibus profundioribus valet. Nervus enim arteriæ et venæ brachiales, contra naturam incrassatæ, et hæ uti venæ superficiales tali modo adhærebant circumjacenti telæ cellulosæ, ac si ex ipsis suis tunicis lympha transudasset coagulabilis. quæ postea indurata fuisset. Cum venam cephalicam a cubito antrorsum separare studuimus, subito apparet pus in forma rotunda cylindracea, quasi ex ipsa vena hoc loco læsa venisset.

Dissecamus venam, et videtur nobis, ipsi venæ pus inesse; sed quæ sequuntur, in dubium reddunt phænomenon hoc.

Musculi bicipitis tendo et aponeurotica ejusdem expansio inflammatione et suppuratione gangrænosa quammaxime destructa fuerunt.

Separatis his, pus crassum flavum non ita copiosum ex profundo inter musculum radialem externum breviorem et internum prodibat.

Simile pus etiam supra condylum humeri internum ad musculi bicipitis latus egreditur.

Abscessus igitur supra et infra articulum fuere; de quibus vero probe notandum, eos absque omni musculorum substantiæ læsione aut corruptione extitisse.

Ligamentum capsulare similiter illæsum reperimus, etsi pus quammaxime vicinum ipsi fuerit.

Eodem modo sese habebant ossa articulum constituentia, et cartilagines ea obducentes, neque pus in articulo invenire erat.

Sectionem sursum per humerum continuantes in toto illo tractu quem occupat tela cellulosa, inter utrumque bicipitis caput pus offendimus cum destructione textus illius cellularis; cum capite bicipitis longo suppuratio ad axillam fere progreditur, sine omni tamen articuli damno.

Hac occasione simile illi, quod supra citavimus, phænomenon circa venam observavimus. Apparet pus ejusdem formæ juxta venam; dissecamus canalem venæ sursum et deorsum, quin tamen puris vestigium in illo videre licuisset. Accuratius itaque in ejusdem sedem investigantes, in tela illa cellulari venam ut reliqua vasa involventem reperimus.

Interim exiguæ hæ suppurationes nucis avellanæ magnitudinem adæquantes in certis quibusdam locis tantum, minime vero per integrum vasis tractum locum habuerunt.

Venæ cephalicæ sinistræ canalem aperientes internam parietem omnino rubram, in ulceris loco vero decolorem et gangrænosam quasi invenimus.

Eundem prorsus colorem servarunt etiam arteria axillaris, subclavia, carotis cum omnibus suis remis principalibus in utroque latere; et quidem non solum quoad parietem internum, sed omnes eorum membranas ad externam superficiem usque. Aortæ pars tantum, statim sub ejus arcu rubra fuit; reliquum vero, uti et arteriæ et venæ extremitatum inferiorum brachialis, et radialis sinistra, et cephalica vena dextra coloris naturalis fuerunt. In cavo pectoris sinistro magnam aquæ subfusæ fœtentis copiam invenimus. Pulmo mollis, et fluido illo obductus. Abdominis viscera magnam in putredinem proclivitatem prodiderunt, quæ tamen morbi et temporis æstus simul effectus fuisse videtur. *(Wenzel.)*

puris ab osculis vasorum limphaticorum vel venarum excepti pars hæsit in glanduloso parenchymate, et in ipsarum venarum lumine; pars in sanguinis massam delatum horrorem, febrim, extremam maciem, ac denique mortem attulit? Sed ne longius his immorer, quæ nondum solido nituntur fundamento, singularis mortis ab affectione, ut videtur, systematis itidem venosi tertiam proferam observationem.

Ratiocinator Mediolani degens jampridem infirmæ valetudinis sentiens molestias, tribus continuis diebus ventris fluxu cum torminibus vexatus est; quorum dierum altero prunorum ad libram consumpsisse relatum mihi postea fuit. Hinc noctu postremæ diei, quæ erat 10 augusti 1789, frequentius quam alias e cubili egressus est, ut fere sub dio alvum deponeret: Deponebat autem aquosa, paullo subviridia. Hæc non sine perspirationis detrimento facta fuisse videbantur; nam mane alterius diei vehemens crampus invasit manus pedesque, quem per intervalla remittentem excipiebat dolor, et quædam earundem partium molesta constrictio. Tum vero sanguis in artubus inferioribus consistere cœpit; dein per gradus in superioribus quoque, et in ipso capite, ut motum in venis, quo ad cor tendit, amisisse videretur. Ita mox totum corpus ex fusco livens factum est, venæque, quæ sub cute repunt, singulæ ita distinctæ, ita sanguine nigrante turgentes apparuerunt, non secus ac si per injectionem repletæ fuissent. Livebant item ungues, vultus, labia. Artus ad motum pigri, sed flexibiles tamen, quorum musculi graciliores, et quodammodo exsiccati videbantur; corpus totum perfrigefactum; sudor ad frontem gelidus; pulsus cordisque motus extinctus; vox absque sono; respiratio autem facilis absque anhelitu; caput turbatum erat cum sensu flantis venti, vel pulsati tympani. Diarræa sponte cohibita; leniens ex pulpa tamarindorum a medico datum est.

Hora tertia pomeridiana advocatus, cum, quæ modo exposui, ipsemet conspexissem atque ægrotans mentis cæterum compos anxie rogaret, ut, quæ eidem profutura essent, quantocius præciperentur; mox balneum tepidum imperavi, et frictiones pannis laneis simul perficiendas; post quæ venam secandam suasi. Sanguis e vena tardissime effluens, illico in atrum coagulum abiit, limphæ pauxillum dimittens. His irritis, neque alio præsidio adhibito, mente viguit æger usque ad horam noctis undecimam; tunc amissis sensibus, intra horæ dimidium placide exspiravit.

Cadaver triginta ab obitu horis sectum est, per cujus superficiem minus quam antea, copiosæ minusque turgentes venæ comparebant. Cutis livor fere nullus, maximum vero conservarunt ungues et latus cui incubuerat. Abdomen prius molle, nunc distentum et apertum intolerabilem fœtorem exhalavit. Omentum et intestina fracida, eoque colore satura, qui carnium loturæ proprius est. Eodem cernebatur colore infecta interior stomachi facies, dum externa, uti hepar et lien, sana erant. Pleura in utraque pectoris cavitate inflammata; si ita dicendum est, quoties vasa multo sanguine infarta sunt, ut quammaxime rubent. Pulmones non item,

etsi in iis, qua parte dorso sunt obversi, plurimus sanguis stagnaret. Neque mediastinum et pericardium ab ea phlogosi erant immunes; cor amplum et laxum. Auricula dextra nigricans; vena cava multum atri sanguinis et concreti continebat, nihil tamen polyposi habens. Sanguinem hujusmodi naturæ in ventriculo et auricula cordis anteriore reperimus, et cunctas hasce partes, nempe venam cavam, auriculam et ventriculum cordis nonnihil inflammata fuisse animadvertimus; scilicet horum interior membrana eo fœde subrubro colore imbuta erat, qui in partibus ad mox putrescendum dispositis observatur. Color idem erat ventriculi cordis posterioris, et extimæ aortæ tunicæ; nam intus sana erat. Sana item naturalia. Caput non lustravimus.

De vitæ genere ab ejus fratre, quocum degebat, hæc accepimus: cibi parcus fuit, somni et laboris multi. Etenim vix pransus a mensa ad lectum confugiebat, vestibusque exutus tres ferme horas somno dabat; quæ ad somnum proclivitas post cœnam quoque adventabat. Interdiu assiduus in expediendo officio; hoc tamen cum discrimine, quod per æstatem sæpius vestes abjiceret, et rursus, si occasio ferret, depositas assumeret. His accessit animi mœror diuturnus, et tacita indignatio; tandem malorum persicorum haud multo ante morbi ingressum tempore, esus immodicus, tum etiam prunorum intempestivus iis ipsis diebus, quibus alvi levitate laborabat.

Fateor multa hic desiderari eorum, tum quæ ad accuratam morbi historiam spectant, tum præcipue quæ ad sectionem: illa, quam exacte potui, intra brevissimum tempus a me collecta et conscripta est; hæc vero ob æstum et fœtorem festinanter absoluta fuit. Videtur tamen morbi hujus adeo exitialis causa non fuisse valde remota, videlicet extremi morbi causam fuisse transpirationem cohibitam ea nocte, qua sæpius nocturno aëri sese exposuit. De inflammatione et morbis systematis sanguinei videsis *Traité des maladies des artères, et des veines, par Jos. Hodsson,* traduit. Paris, 1819.

CAPUT IV.

DE TIBIÆ DIAPHYSI REGENERATA.

Optabat quidem vehementer cel. *Ludwigius* (1), ut cum exempla complura extent partium in ossibus longis restitutarum; ossis hujusmodi restituti ac sanati pars anatomice disquireretur; id quod ego aliqua saltem ex parte hic præstare conabor.

Vir annorum 50, ulcere cruris sinistri laborans, in nosocomium receptus est die vigesima quarta decembris anni 1789. Gangræna, quod frequenter evenit in magnis nosocomiis (*), mox ulcus invadens, paullatim totam fere

(1) Advers. medico-practica, vol. III, p. 55.

(*) Fatale et exitiosum malum est gangræna nosocomialis, magnis præcipue xenodochiis proprium

tibiam denudavit; ita ut posterior solum ossis facies a carnibus obduceretur; eratque proinde exspectanda ossis necrotici abscessio. Sed cum hæc in longius traheret tempus, experiri placuit, quid partim terebratio, partim quid dimidiata excisio serræ ope esset præstitura. Revera autem nil præstitit. Diaphysis enim tibiæ sinistræ, 10 maji duntaxat anni sequentis, a solis naturæ viribus separata est multo supra eum locum qui a serra utrinque discissus fuerat. Frustum nempe abscessit integrum tibiæ quinque poll. paris. longum, triquetrum in diaphysi, extremis vero dentatis, quales semper in separationibus spontaneis observantur. Protinus ex fundo vegeta caro pullulavit, ulcus paullatim explens; donec plaga fere adstricta, crus tantum firmitatis obtinuerit, ut elevari propriis viribus posset, quin pedis pondere artus in illam partem inflecteretur. Verum paullo post accedente febri vehementissima, atque erysipelate crus totum occupante, intra dies tres ad tumulum perductus est miser.

Defuncti crus anatomice disquisivimus 21 septemb. 1790 coram cl. *J. B. Monteggia, Bernardino Manzotti, J. Masino*, aliisque sive chirurgis, sive ejus artis cultoribus; etenim sine ratione conjiciebamus aliquid in eo molitam esse naturam. Tegumentum quod cutis loco renatum erat, constabat ex gelatina concreta, et veluti in veli formam expansa: itaque nec tenax, nec ductile erat, sed in frusta facile discerpendum. Nova hujusmodi cutis si diligenter a cellulari substantia dividebatur, pellucebat, et per eam repere minutissima vascula sanguifera parallelo fere ordine disposita cernebantur. Cellularis vero substantia justo densior erat, atque in fasciculos distributa ab uno tibiæ extremo ad alterum productos. Non penitus tamen pinguedine carebat; etenim quasdam pinguedinis particulas sub nova cute vidimus, præcipue autem circa ejus peripheriam, quæ ex cute veteri et organica prodibat.

Vacuum, quod in anteriore cruris parte depascens gangræna reliquit, neque a cellulari superinducta, neque ab ossis recentis incremento deletum omnino fuerat, magnam tamen istius vacui partem tum anterius, tum interius complebat substantia alba, fere cartilaginea, flexilis tamen, et satis

---

certis anni temporibus, in vere et autumno præcipue sæviens. Nulli vel ætati, vel sexui, vel habitui, vel vitæ generi, vel loco parcit.

Exiguis sese malis adsocians, ea magnopere exacerbat, et periculosa reddit; ad majora vero accedens, ægrorum interitum causat vel promovet.

Quandocunque autem incidit, citissime devastat partes quas corripit, quod sæpius aliquorum dierum spatio destructum sit, quod septimanarum, imo mensium tempore sanatum fuerit, idque præcipue de iis subjectis valet, quæ vel a nativitate vel longiori in nosocomio mora, vel morbi genere, vel ejusdem complicatione, vel tractandi methodo debiliora facta sunt. Subinde altera vice redit; mox citius, mox diutius, postquam feliciter prima vice fugata fuit; et nunc mortem adfert.

Ulcerum ab illa productorum aspectus formidabilis et nauseosus est, ut, quoad hoc caput, cum nullo alio ulcere, exceptis cancerosis, computari possint. Necrosis partium forsan nulla alia causa citius excitatur, et simul latius extenditur, quam hoc malo nosocomiali; quo fit ut sola amputatione sæpius ægri vita servari possit, vel æger per annos in nosocomio decumbere coactus sit.

Ex multis qui hoc morbo intereunt, plures certe servari possent, si præter rectum antisepticorum et roborantium usum, ea etiam in deligationis apparatu mundities, et deligationis renovatione observaretur diligentia, quæ ad coercendum tantum malum absolute necessaria est. *(Wenzel.)*

valida, quæ longiori tempore firmiorem certe naturam induisset. Periosteum, seu velamentum, quod ejus fungebatur vice, naturali non erat crassius; imo ab recenti osse ita detrahi poterat, ut eidem duntaxat instratum fuisse videretur.

Os autem ipsum recens reparatum coloris erat valde sanguinei, naturæ spongiosæ, refertum undique nodis quibusdam lævigatis, atque leniter in latus exterius, nempe versus fibulam inflexum. Inter ossa hæc comparia arteria tibialis anterior diametrum naturalem servaverat, nisi quod crustula quædam ejusdem cylindro superaddita observabatur, quæ, an ossea fuerit, an, ut aliis placet, cretacea, seu calculosa, mihi definire non licuit. Ossea substantia ab utroque tibiæ extremo producta ad mutuum contactum properabat; sic tamen, ut, ubi partes reparatæ concurrebant, non coaluerint inter se, sed sic mutuo junctæ essent, quasi cartilago quædam inter eas intercessisset. Porro quidquid recenter productum fuit, a facie tibiæ exteriori, fibulæ videlicet obversa exoriebatur, adeoque sub forma coni procedebat, scilicet initio latiori, fine vero graciliori, quo invicem jungebantur. Quidquid erat spatii, inter angulum tibiæ anteriorem, interioremque, non refectum est; adeoque reticularis tibiæ substantia et cavitas medullaris ab eo latere in conspectum veniebant. Quanquam in extremo tibiæ superiori ab aggesta materia ossea fere obliterata fuerit cavitas; in inferiori vero ipsius tibiæ compactus cortex ita sensim contrahebatur, ut similis aliquando cavi medullaris obturatio exspectari potuisset.

Fibrarum ordo nullus observatur in novo osse, quod spongiosam veluti massam (nam reliquo osse levius est) repræsentat innumeris foraminulis seu lacunis perviam, quorum alii minimi, alii majores, plures autem rimarum more quaquaversus substantiam ossis penetrant. Observatum est etiam in hoc typo tibiam dimidio pollice breviorem esse redditam, nimirum accedente inferiori tibiæ extremo ad superius, tot lineis fibulæ facies articularis excedebat, quot nempe tibiæ capitulum superiora versus recesserat. Superior tibiæ pars leviter fibulæ erat adcreta, effusa inter eos ossei succi portione (1).

His, quæ breviter exposuimus circa ossis refecti particulam, mature consideratis, hæc statui posse videntur. 1.° Cutem in maximis substantiæ ejus jacturis non regenerari; nihil enim commune habuit cum veteri structura, si pauca excipias vascula sanguifera, eaque minora, non in retis formam, sed per longitudinem ducta. 2.° Reparari copiosius cellularem substantiam, quæ tametsi non adeo spongiosa, neque cellulis donata sit, eo ipso naturæ prodit solertiam, ut quæ compactis cellularis textus fasciculis inania explere studet, et robur augere renascentis ossis. 3.° Neque musculosam carnem denuo produci; nihil enim carni simile animadversum est. 4.° Partes regeneratas nunquam regularem illum fibrarum ordinem et

---

(1) Tab. I.

vasorum obtinere, quem partes amissæ habebant; id quod non in externis solum; sed etiam in internis partium læsionibus contingit: quum enim circulantium humorum et nutrientium turbatus est motus, nunquam in eum redit ordinem, quem in intactis partibus servabat. 5.° Denique novi ossis incrementum non ex periosteo, quod destructum erat, sed ex ossis ipsius substantia derivari: etenim cum supra laudato *Ludwigio* (1) arbitramur, mollem massam ex sano osse propullulare, quæ firmior reddita cum opposita ossis parte similiter succrescente coalescit (*).

CAPUT V.

DE ISCHIADE.

Postquam suos de ischiade nervosa commentarios evulgavit vir in medica et anatomica facultate præstantissimus *Dominicus Cotunnius*, in iisque singulari eloquentia et multiplici doctrinæ apparatu sententiam suam stabilire conatus est; plerique medicorum, neglectis aliis ischiadis speciebus, quotiescunque hujusmodi mala occurrebant, unice de medendo ischiadi nervosæ solliciti erant. Quæ sollicitudo, quam vanas persæpe reddiderit eorum contentiones, ex frustra tentatis curationibus satis intelligitur. Nervosæ ischiadis duas facit species supra laudatus vir: alteram posticam, in qua dolor a summa coxa per exterius femoris latus ad malleolum exteriorem et ad pedis dorsum desinit: alteram anticam, in qua dolor ab inguine per interiora femoris ac suræ propagatur, quas propterea in nervorum, tum ischiatici, tum cruralis affectione consistere autumat, etsi, ut integritate perquam rara fatetur (2) sors non tulerit unquam easdem in ischiatici cadavere investigare. Causam vero hærere in acri materia a cerebro descendente, vaginisque cellulosis contenta dolorem excitare, vel nervorum stamina irritando, vel redundantia nervos comprimendo, vaginasque ipsas nimium distendendo.

Quæ celeb. viri placita jam a *Coitero* producta, ut animadvertit *Morgagnus* (3) qui spatium inter infimam spinæ medullam, et crassam hujus menyngem in arthriticis, ischiaticis et podagricis se multoties tenui sero, interim pituita viscosa refertum deprehendisse scribit; tum a *Fernelio* (4)

---

(1) L. c., pag. 62.

(*) Confer, quæ desuper vir ill. *J. P. Weidmann* in splendidissimo suo opere nuperrime evulgato: *De necrosi ossium*, cum tab. XV. Francofurti ad Mœnum 1793, fol., graphice exposuit; cui, si perill. viro superfuerit tempus, mox accedet simile supplementum. *(Wenzel.)*

(2) Comment. de Ischiade Nervosa, cap. 5.

Exhibet quidem *Cotunnius*, cap. 35, pag. 69 et 70, unicam ischiatici sectionem, quam ipsemet instituit, sed pag. 67 ait: « Quin hæc dissectio mihi pro eo, ac voluissem, satisfaceret, plurima obstitere » et pag. 70 addit: « Nihil omnino sum ausus ex hac dissectione decernere. *(Wenzel.)*

(3) De sed. et caus. morb., epist. LVII, n.° 5.

(4) Lib. VI, de part. morb., c. 18.

qui hanc ischiadem notham appellat; dum nempe dolor ob affectum nervum a coxa ad suram, et extremum pedem exporrigitur; non ideo attuli, ut opinionem validissimis argumentis superstructam infirmarem, vel refellerem; neque quod nervosam ischiadem inter commentitias res recenserem, sed ideo a me sunt allata, quia visum mihi fuit, persæpe coxæ dolorem ab longe alia causa proficisci. Præterquam enim, quod præsidia hucusque commendata, atque secundum artis leges adhibita parum levaminis attulerint coxariis, observavi etiam, dolores eandem, ac illi nervosæ ischiadis directionem tenentes, imo ab utraque parte, scilicet antica, posticaque afficientes a causis intra articulum latitantibus fuisse suscitatos. Insuper cum in male curata aut neglecta ischiade artus claudus fiat, et brevior, quod certe vitium extra articulationem non est, videbantur sane a quocunque demum nervo male affecto ossa nec vitiari, neque e sede sua propelli posse. Ad alias igitur causas, quæ molestum adeo in coxa dolorem producerent, erat respiciendum.

Dolor coxarius vel repente, vel paullatim invadit; atque modo in inguine, modo post majorem trochanterem desævit, modo in utraque parte simul. Quum autem posteriorem partem tenet, plerumque sursum extenditur ad orum ossis ilii, ad os sacrum, tum etiam deorsum secundum femoris externum latus ad fibulæ capitulum, et ad pedem usque. Eidem interdum febris jungitur, plerumque tamen absque ea est; artum gressui imparem reddit dolor, cujus nonnunquam tanta est acerbitas, ut eodem laborantes lecto affigat. Quo malo diutius procedente tabes cruris (*) vel semiparalysis (1); fere autem semper claudicatio supervenit insuperabilis (**).

Quæ omnia si attentius perpendantur, dolorem præcipue individuum coxariæ passionis comitem, ac denique claudicationem cum insigni articuli labe conjunctam; dein si hæc symptomata conferre lubeat cum iis, quæ nervorum ut plurimum passionibus supervenire solent, longe ab modo memoratis signis diversa, tum fateri necesse erit, dirum hunce morbum ab

---

(*) Subinde tabes illa non solum affectam extremitatem inferiorem, sed et superiorem ejusdem lateris simul occupat, ut observavi in puella, de qua ulterius loquar. *(Wenzel.)*

(1) Commentatio de ischiade, n.° 4, in paralysin nunquam transire, se vidisse, testatus est; neque id me animadvertisse recordor; quod tamen accidere debuisset, si totum malum in nervo hæreret.

(**) A claudicatione oriuntur adhuc alia incommoda præter tabem, cujus jam facta est mentio. Ob dislocationem nempe et distorsionem musculorum flectitur genu; hinc tendines flexorum in poplite collocati cum extendi porro nequeant, rigescunt, et labente tempore non raro, subinde etiam vehementer dolent.

Altera, et quidem satis valida ratio, ob quam coxæ articulus non solum præ cæteris inflammationi obnoxius est, sed et inchoata illius phlogosis citius augetur, ea est, quod exceptis quibusdam positionibus continuo totum corporis pondus ipsi incumbat, et præter magnam pressionem exinde necessariam etiam continuo fere moveatur articulus. Hinc non obstante synovia sensibilitas quædam oriri videtur, quæ, cum alia causa occasionalis accesserit, eo citius phlogosin admittit. Quamprimum autem inflammatio etiam exigua coxam occupavit; citius augetur, et obstinacior est, quam in alio articulo, cum dolores exinde provocati communiter et vulgo cum rheumaticis permutantur; hinc articulus continuo adhuc, et si cum incommodo movetur, usque dum ob humoris et dolorum continuum incrementum omnis motus fit impossibilis. *(Wenzel.)*

inflammatione partium coxæ articulum componentium proficisci. Hunc autem articulum præ cæteris inflammationi obnoxium esse posse, ostendunt præprimis cel. *Ruyschii* (1) observationes, qui mirabili arte vasa sanguifera per membranulam distributa, qua acetabuli cavitas obducitur, cera replevit, atque elegantissime depicta præsentavit. Eas arteriolas nos quoque sumus prosecuti, dum ligamenti interioris acetabuli fabricam et usum investigabamus; atque illas potissimum a trunco obturatoriæ arteriæ proficisci observavimus (2).

Porro inflammationum aliæ vehementissimæ sunt, aliæ non item; cujus rei discrimen tum a temperamento et adjunctis, tum potissimum a causarum varietate derivare solet. Quam ob rem *Hippocrates* (3) coxarii morbi quatuor species facit: aliam nempe ab exsiccato humore, qui articulis inest; aliam a bile, a pituita aliam, atque etiam a sanguine, quibus dolor interdum acutus, rigor et febris supervenit. Atque hinc eventus etiam varius est, coxario morbo nunc in suppurationem abeunte, modo depulso femoris capite claudicationem inferente; perraro autem excussa inflammatione, aut resoluto congestu penitus conquiescente.

Causa vero non una est, quæ vel inflammationem vel congestum in acetabuli vasis efficere potest. Inter illas numerantur virus arthriticum, venereum, artus perfrigeratio, coxæ contusio, et aëris cujuscunque humoris in articulum defluxio. Jam pridem *Sennertus* (4) ad arthritidem retulit morbum, qui in coxæ acetabulo fit, monens simul, ad defluxionem pertinere dolorem illum, qui ab humore in musculos et membranas decumbente excitatur circa easdem partes. *Morgagnus* postea (5) demonstravit arthriticum humorem, contra ac aliis placitum, posse ad articulorum cava perferri, cartilagines et ossa abradere, quin partes, quæ in vicinia sunt, afficiantur. Ob frigus noctu susceptum (6) dolor circa collum sinistrum monialis cujusdam obortus est, qui in pectus, ad lumbos, et ad os sacrum delatus tandem in coxendice sedem fixit, ubi adeo mordens et dirus evasit, ut mori potius mallet, quam eum in modum excruciari. Fit etiam ischias ab humorum redundantia, suppresso nempe hæmorrhoidum uterive fluxu, quorsum istud Hippocratis (7), *si per sanitatem, hyèmis tempore, lumborum frigiditas et gravitas levi ex occasione orta sit, et alvi suppressio, superiore ventre probe officio suo fungente, coxendicum vel renum dolor* (8) *aut urinæ stillatio forte exspectanda est.* Item

---

(1) Adv. anat. II, cap. 1.
(2) Vid. *Haller*, fascicul. IV, tab. V, et pag. 32.
(3) Sect. V de internis affect., p. 560.
(4) De arthritide, cap. 6.
(5) De sed. et caus. morb., ep. LVII, n. 2, 5.
(6) *Epiphan. Ferdinand.*, hist. 94.
(7) Coac. prænot., sect. II, n.° 487.
(8) *Cœl. Aurel.*, chron., lib. V.

illud (1) *oritur hic morbus, ubi bilis et pituita ad venam sanguine manantem decubuit.* Demum ab epota aqua (2) quæ ex imbribus, nivibus, glacie et magnis fluminibus colligitur.

Ne autem videar, conjiciendo solum proposuisse, quæ de congestione intra acetabulum, et desuper veniente inflammatione superius dicta sunt; jam, quid in eorum, qui ischiade denati sunt, corporibus observaverim, qua possum diligentia et fidelitate exponam.

Faber lignarius Mediolanensis, ännorum 47, in hoc nosocomio decessit 18 martii anni 1787, quem cum diutius coxario morbo laborasse, atque hujus demum ferocia extinctum fuisse audirem; occasionem, quam adeo optaveram, non prætermisi in cadavere perscrutandi, quænam esset pervicacis hujus morbi sedes. Sed priusquam ad sectionem veniam, pauca de symptomatibus, et de medela quæ eidem fuit adhibita, præmittam.

Vir iste habitus robusti, quam primum nosocomium adiret, 30 julii 1783 retulit, se, dum stans muniis suis vacaret, protinus ab acutissimo dolore in lumbi dextri regione perculsum fuisse, qui per eandem regionem extensus et validior factus cruribus insistendi facultatem ademit, brevique artum dextrum totum occupavit. Medici, qui ad consulendum convenerant, nihil non eorum præceperunt, sive quæ dolorem lenire, sive quæ inflammationem poterant præcavere, veluti sanguinis emissiones, purgationes alvi, fotus et apozamata, quibus frustra adhibitis contra tantam mali sævitiam, ea, qua dictum est, die in nosocomium intravit. Medicus nosocomii, qui ejus curam susceperat, serum vaccinum herbis amaris, ut ajunt, älteratum, atque opiata præscripsit, quibus adjunxit decoctum ex ligno sassafras et guajaco. Præterea quum hocce malum ischiadem esse nervosam pro certo haberet, tria statim vesicantia partibus in commentario indicatis apponi jussit. Et revera dolor tamdiu, quam ulcera manarunt, quæ propterea diutius aperta servabantur, conquievit paullum; verum exsiccatis iisdem ulceribus, dolor recruduit; eademque, qua prius, atrocitate femur et crus dextrum invadens, ægrum lecto immobilem affixit (*). Quæ cum a chirurgo essent observata, qui medicas præscriptiones exequitur, efficax non solum, sed etiam salutare præsidium in actuali cauterio positum esse ratus, coxam paullo infra trochanterem profunde adussit; qua ratione femori motus restituti sunt, tum ob validam ignis vim, tum ob copiosam, quæ mox secuta est, suppurationem; atque post menses aliquot visus est sibi viribus ita constare, ut e nosocomio satis valens excederet.

---

(1) De affect., sect. V, pag. 524.

(2) *Hippocrat.*, sect. III, de aëre, locis et aquis, pag. 286.

(*) Aliquoties ischiade laborantibus largum vesicans ad genu externum latus secundum *Cotunii* præcepta applicare jussi. Quod ubi statim post primum mali insultum factum fuit, manifesto mitigavit dolores; sed surrexerunt de novo, nisi post aliquorum dierum spatium nova ope cantharidum irritatio suscitabatur. Quod si vero malum vel inveteratum jam, vel atrox fuit; nihil, vel parum adjumenti præstiterunt vesicantia, etsi per longum tempus aperta servata fuerint. *(Wenzel.)*

Sed revera, etsi inducias daret dolor; nunquam penitus depulsus fuit, adeo ut muniis suis assidue perfungi nequiret; et intra annum ineptus ad quæque perfungenda redditus, iterum ad nosocomium confugit, ubi vitam finivit.

Defuncti igitur corpus mensæ anatomicæ impositum, artum dextrum inferiorem tres latos digitos altero breviorem habebat. Trochanter major sursum, et nonnihil retrorsum positus erat crure non extenuato et pede paullo introrsum converso. Remota fascia lata ejusque musculo, occurrit primum gelatina quædam subflava musculis instrata, et reclinato musculo glutæo maximo concretiones quædam naturæ, ut videbatur, steatomatosæ in conspectum venere, quarum origo profundior erat; nam ex ampla cavitate sub medio glutæo existente, cujus marginem devastaverant, videbantur exsurgere. Glutæorum minimus a femoris capite, quod obtegebat, distractus lividum colorem contraxerat. Maxima autem subtus erat cavitas inde a musculo gemino, pyriformi, quadrato, sub glutæis, vastisque ad minimum tricipitis femoris caput producta. Quæ cavitas, aut si mavis, abscessus eo amplior videbatur, quo ob capitis femoris recessum atque positum super dorsum ossis ilium, majus spatium inane relinquebatur.

Porro eadem ossis ilium exterior facies nuda erat et aspera, capitisque dimidium, quod ossi ilium innitebatur, absumptum, et in scabram superficiem complanatum. Dimidium alterum, quod supererat, capitis, gelatina subrufa obvolvebatur, qua abstersa, reticularis capitis substantia absque cortice osseo conspiciebatur. Cotile nihil de naturali amplitudine amiserat; sed ejusdem cavitatis fundus perraro certe exemplo ita corrosus, atque obliteratus est repertus, ut musculus obturator internus in conspectum se dederit. Itaque ligamentum teres, tum cartilagines interarticulares, et labrum acetabuli cartilagineum penitus desiderabantur. Ligamentum quoque, quod orbiculare vocant, ab omni acetabuli ambitu abrasum, præterquam inferius ad acetabuli scissuram, ubi, quod reliquum erat, lineas quinque crassitudine superabat. In eam, quam diximus cavitatem, sive abscessum vocare malueris, sinus quoque confluebat, qui in lumbis excavatus sub originibus psoæ magni, quibus integebatur, deorsum tendens carnes hujusce musculi et iliaci interni in lividum colorem mutaverat. Mirari autem subit, cur in amplo adeo spatio, cur in tanta partium corruptione, nec puris, serive, nec alius humoris inventa sit collectio. Glandulæ frequentes erant, et duræ in inguine, vasa sanguinem vehentia inania, et diametri naturalis præter arteriam cruralem, cujus membranæ crassiores paullo visæ sunt. Nervus autem ischiaticus, quem haud dubie male affectum fuisse existimabamus, nullo, quantum oculis dijudicare potuimus, vitio, scilicet nec inflammatum, nec macie, duritie, aut seri collectione læsum offendimus (*).

(*) Simillima fuit conditio partium mollium, et ossium coxæ articulum componentium et ambientium

Rusticus annorum 30 cicatricibus strumosis circa collum fœdatus, quas quadriennio antea perpessus fuerat, dolore ad femoris dextri articulum afficitur, præcipue ad inguen, haud adeo tamen molesto, ut et pedibus insistere et incedere posset. Principiis hisce nullo opposito remedio dolor auctus est; atque ad genu, ad suram et ad pedis dorsum propagatus intra duos menses hominem negligentem lecto dedit. Tunc ille, extenuato corpore, squallida facie, habitu cachectico, nosocomium petiit die 10 maji 1790. Femoris dextri superior pars latior, trochanter extrorsum actus, ac si femur excidisset, artusque brevior est observatus. His jungebatur amphymerina febris, quæ octava augusti hominem confecit.

Cadaveris examen ab nervis inchoatum est, hinc sectio ex utraque parte producta, qua cruralis nervus et ischiadicus decurrunt, et incisa simul, quæ eos involvit, et vicinis partibus alligat, adiposa membrana, copiosa ex cellis limpha prosiluit, fluidissimaque, quæ rivi adinstar in subjectam tabulam depluebat. Totus vero generatim cellularis textus, tam qui dextrum artum ambit, quam qui intra pelvim progreditur, eadem limpha distentus erat, ob quam laxata muscularis caro pallidior, articulus vero coxæ turgidior evaserat. Persecta capsula articulari, inane spatium repertum est, cujus exiguam partem complebat perrosum femoris caput; alteram itidem exiguam substantia quædam steatomatis, aut sebi naturam referens, quæ in eo potissimum sinu collecta inveniebatur, ex quo ligamentum teres radices colligit. Hujus autem ligamenti, uti neque cartilaginum articulatas facies obducentium vestigia nulla erant. Orbiculare ligamentum, quod intus quamplurimis granis osseis conspersum erat, a naturali conditione multum recedebat; etenim præter substantiæ ejus crassitudinem et mollitiem æquo majorem quamdam etiam fragilitatem erat adeptum. Præter hæc abscessus retrorsum erat inter utrumque trochanterem, qui in alium desinebat materia vini fœci persimili scatentem, atque inter musculos,

---

in viro juvene, qui moribundus in nosocomium magnum Viennense deportabatur. Paucis ab ingressu in nosocomium horis defunctus, sequente mox die mane sectioni subjicitur. Prehendimus vastum pure crasso refertum abscessum sub gluteis musculis, qui destructis, et consumptis ligamentis articularibus fere omnibus per fundum acetabuli vix non omnino corrosum pelvis interiora petebat; dein sub musculis iliaco interno et psoa secundum internam ossis ilei superficiem similiter scabram ascendens, tandem in suprema ilei parte per foramen rotundum ossea substantia absorbta iterum exibat, cumque supra dicto abscessu externo communicabat. Hac ratione pus quasi per circulum agitabatur; nec tamen spina, aut viscus quoddam abdominis, aut aliæ ejusdem partes exinde læsa fuerunt. Cartilago, acetabuli cavum, et femoris caput naturali modo obducens defuit omnino cum subjacente exteriore lamina ossea; quare reticularis substantia nuda apparuit Juxta acetabulum et femoris trochanteres exostoses sunt plures, sed exiguæ. Glutei musculi, hisque subjacentes minores una cum iliaco interno, psoa, omnique superstite cellulari textu, instrata limpha spissa densi et duriores facti sunt; partim etiam colorem lividum receperunt. Ischiatici nervi vagina simili tenaci limpha densata, nervus ipse autem incolumis fuit; neque illum inter et vaginam minima humoris cujusdam collectio. Principii, decursus, symptomatumque hujus morbi notitiam nullam neque æger, nec illi qui attulerunt eum, nobis dare potuerunt; hinc pro certo morbum definire non audeo. Sed, si ex tanta hujus dissectionis cum illa, quam cl. auctor modo descripsit, partiumque adfectarum conditionis convenientia suspicari quid liceat; ischiadem neglectam, vel male tractatam fuisse crederem. *(Wenzel.)*

glutæum minimum, pyramidalem et geminum latentem. His musculis parva mutatio acciderat, maxima vero psoæ magno et iliaco interno, quorum carnes ab originibus ad insitionem usque coloris erant ad nigrum vergentis. Exiguum alium abscessum, quem ad patellæ exterius latus vidimus, compressioni, quæ genui in id latus reclinato obtigit, tribuimus. Nervi singuli lumbares, ischiatici, crurales (nisi ab oculis nostris decepti fuimus), non solum ab hydrope, verum etiam ab alia quacunque labe immunes erant.

Vir annorum ferme quadraginta, habitus gracilioris et phlegmatici, februario mense anni 1787 corripitur rheumatico dolore, qui ab latere colli sinistro in homoplatæ et pectoris musculos derivatus, tandem assidua febri stipatus in coxa et crure ejusdem lateris resedit. Sanguine iterum, iterumque detracto, adhibitis fomentis, atque antiphlogisticis remediis, febris, dolorque, qui superiores artus torquebat, remisit quidem; at in femore idem dolor circa musculi sartorii originem magis erat infestus; et paucis post diebus artus totus intumuit febri rursus invalescente, et suppuratione, quæ inde metuebatur, in extrema femoris parte se prodente. Majo mense pertusus abscessus magnam puris vim evomuit; qua copia, ut fit, postea decrescente, febres denuo et dolores recruduerunt; atque adeo novi abscessus in antica et postica femoris parte emerserunt, quorum sanie, etsi mature evacuata, major tamen trochanter haud ita multo post e sua sede dimotus est, et crus brevius evasisse observabatur, ut altero crure læsus post hæc incedere debuerit.

Adolescens Mediolanensis, annorum sexdecim, oblectamenti gratia transnatare amnes, et in vado morari solitus, anno superiore 1790 dolore rheumatico correptus est, circa ischii sinistri regionem, qui ad genu exporrectus, mensis unius spatio claudum artum reliquit, femore duobus latis digitis breviore facto, genuque introrsum converso. Interea dum dolor vexabat vehementius, quater eductus est sanguis e brachio in Taurinensi nosocomio, ubi decumbebat. Cucurbitulæ item cum scarificationibus admotæ sunt, et litus aliquot mercuriales; quibus, aliisque forsitan auxiliis (nam æger summatim hæc narravit) a doctissimis ejus nosocomii professoribus sagaciter et opportune adhibitis, claudicatio, seu femoris excessus præcaveri non potuit. Cæterum nullus in eo artu abscesus fuit, nec ædema, nec macies, nec alia labes, quæ mali ab ischiade diversi notas præ se tulerit.

En ischiadis observationes quatuor a dissimilibus causis enatæ, cujus tamen sedes et exitus idem plane fuit. Singularum enim sedes in acetabulo fuit, quod in prioribus dissectione compertum est; in postremis ex accidentium potissimum natura, et ab femoris emotione plane liquet. Eventus fuit claudicatio ob femoris vel acetabuli, vel utriusque partem erosam; quod cum itidem in duabus observationibus demonstratum sit per morbi investigationem in cadaveribus; in tertia et quarta dubitare non licet, ab alia causa, quam a capitis corrosione femur excidisse, et artum decurtatum fuisse, quum vis nulla extrinsecus accesserit. Quoad ipsas vero

remotas causas discrimen utique intercessit; scilicet ischias primo loco memorata characteres præbuit inflammationis sinceræ seu phlegmonis; altera vero a viru scrophuloso in articuli cavum decumbente videbatur esse pronata; cujus quanquam exempla hucusque satis certa non existant; virus tamen hujusmodi quamcunque partem, cui inhæret, lædere posse, manifestum est. Tertia rheumaticum humorem in acetabuli sede consistentem agnoscit; postrema denique congestum in ejusdem acetabuli vasis humorem ob frigus natando susceptum. Hic autem monere debeo, me nec læsiones in cadaveribus, nec ulla symptomata in ægrotis ischiaticis, quos tum et deinceps observavi, deprehendisse, quæ aliquo modo ad cyphosin pertinere potuissent.

Jam de prima specie ischiatici morbi, nempe de phlegmonode articuli affectione, quam extra controversiam esse arbitramur, et cujus effectus a nobis superius commemorati sunt, dicere supersedemus. Non alienum autem videtur, quemadmodum in altera historia proposuimus, a viru quoque strumoso circa acetabulum hærente similem ischiadi dolorem et tabem concitari posse, imo strumas, antequam in suppurationem abeant, quod practicorum testimonio est confirmatum, aliquem inflammationis gradum concipere, eundemque ferme, ac phlegmona, exitum habere. Et sane parvæ glandulæ pus concretum continentes atrocissimos dolores in ischio sinistro fecerunt ad extremum pedem sese extendentes (1). Neque dubitari posse, videtur in illa, quæ post alteram sequitur, historia, morbi primordia ab rheumate fuisse primum in coxæ articulum, dein in inflammationem transeunte, quod postea in pus versum fuit. Ejuscemodi affectiones minus quidem sunt frequentes; abscessuum tamen ab ischiatico dolore natorum leguntur exempla quædam apud *Benivenium* (2) atque apud virum amplissimum *Tulpium* (3).

Perpensa itaque symptomatum serie in viventibus observata, atque animadverso partium affectarum in denatis habitu, dubium haud est, congestum textus cellulosi limphaticum, aut si mavis dicere, hydropem non morbum fuisse articuli primarium; sed effectum inflammationis, aut congestionis illius humoris qui articulum occupaverat; proindeque symptomata, quæcunque ea fuerint, ab inflammatione fuisse excitata, vel a proxima ad eam proclivitate. Enim vero supremum femur inflammationi concipiendæ aptissimum est ob vasculorum copiam ad musculos, ad ligamenta, ad glandulas distributorum, cui ob sedis profunditatem opitulari difficillimum est.

His positis, explicatu difficile non est, cur sæpenumero symptomata morbi coxarii, qui in articulo resedit, nervosam mentiantur ischiadem. Etenim

---

(1) *Riverius*, cent. II, observ. 53.
(2) De abdit., cap. 79.
(3) Observ., lib. III, cap. 25.

si diligenter perpendamus phœnomena ischiadi propria, non solum partes articulo contentas, sed alias etiam, quibus eadem vasa sanguinea prospiciunt, inflammatione corripi posse fatebimur. Insuper si adjiciamus, quemadmodum ostendunt nostræ observationes, eandem inflammationem ad musculos propagari solere, qui femoris apophysibus inseruntur; eo magis manifestum erit, cur tam sæpe indoleant partes supra articulum ad lumbos, ad oram iliacam, ad nates sitæ, et cur his ut plurimum condoleat nervus ipse ischiaticus. Etenim prima ex quatuor veluti radicibus, quibus ille nervus componitur (1), ex ultimo et penultimo lumbali nervo orta contegitur ab hypogastricis vasis, et ab aliquot psoæ capitibus. Per ansam vero primæ et secundæ radicis transit arteria iliaca postica cum vena; et tertia demum radix obtegitur nonnunquam pyriformi musculo; quæ portiones quarta radice ex sacro tertio auctæ et in unum conflatæ una cum pyriformis cauda e pelvi foras educuntur, et inter marginem posteriorem acetabuli, et tuberositatem ischii pone musculum femoris quadratum descendunt, mittentes nervea fila ad proximos musculos, obturatorium utrumque, ad geminum, ad pyriformem, ad quadratum, ad glutæos, inde etiam ad bicipitem et ad cutem tum supra, tum infra. Itaque si vasa, vel musculi, qui radicibus nervosis proximi sunt, vel eas excipiunt, inflammentur, et si circa hos vel circa coxæ articulum, quem ischiaticus nervus transcendit, abscessus fit; nil mirum, si nervuli, ex quibus ischiaticus ille compingitur, vel qui ab eodem discedunt, male afficiantur, doloremque toti trunco ischiatico et partibus in quas surculi ejusdem nervosi abeunt, impertiantur.

Quandoque etiam vesica molestiam sentit ab ischiade, et urinam cum aliqua difficultate reddit ob quamdam arteriarum vesicæ, quæ ex communi trunco prodeunt, cum iis, quæ ad articulationem spectant, ad concipiendam phlogosin proclivitatem (*). Eadem est ratio præpediti femoris motus, quia male affectis musculis flexionem potissimum et extensionem efficientibus artus eum situm deligit, qui evitandæ distractioni, et dolori sit accommodatior.

Perobscura hucusque fuit ratio, ob quam femur prolabitur in ischiade. Existimarunt plerique ligamenta crassiora facta, vel cartilagines, vel glandulas tumefactas, vel denique synoviam coacervatam, sicque cavum acetabuli vel coarctare, vel opplere posse, ut caput femoris ex sinu suo tandem extrudatur. Sed dissectiones, quas perfeci, non infrequentes, nihil hujusmodi ostenderunt, imo longe diversa obtulere. Suppuratio nempe, quæ partibus illis accidit, cartilagines fere semper dissolvit, nonnunquam

---

(1) *Camper.* Demostrationes anatomico-pathologicæ, lib. II, cap. 3, § 3.

(*) Hui pertinet etiam suppressio mensium, quam observavi in puella, cui, cum decimo octavo ætatis anno subito ischiade correpta fuit, statim post primum mali insultum evanuerunt menses; nec usque huc, elapsis jam duobus annis, quo tempore clauda facta est, reverterunt. *(Wenzel.)*

etiam ligamenta et glandulas. Dein ossa ipsa aggreditur, et capitis maxima parte exesa, femur, quod cum acetabulo non amplius conjungitur, excidit, et in altiorem sedem a musculis trahitur. Quam ob rem claudicatio, quæ inde sequitur, insanabilis est; ulcera vero, si abscessus rumpitur, cicatricem quandoque admittunt, dummodo pars ossis læsi abscedat, ut nonnulla exempla docent.

Sed non semper femoris caput coxario morbo laborantibus excidit; ideoque silentio premere non possum, quod in rustico post obitum dissecto animadverti; quia hæc affectio facile ad eam speciem traduci potest, quæ ab nervi hydrope proficiscitur. Itaque villicus annorum 54 mense aprili anni 1789 in nosocomium exceptus est, qui per hyemes annorum 1788 et 89 coxæ et femoris dextri dolore pertinaciter fuit vexatus.

Is dolor paullatim auctus, et per intervalla excrucians in crus descendit, ex quo claudum factum est. Vesicantia duo de more applicata nil profuere. Congruum itaque visum nobis fuit operationem a cl. *Petrino* laudatam instituere, qua candens ferramentum inter postrema duo metatarsi ossa profunde demittitur. Quamvis nodus ille ab aqua in vagina nervi contenta, ut illi placet, efformatus, et qui locum adurendi indicat, a nobis non fuerit observatus; is tamen fuit adustionis effectus, ut quinta die dolore immunis æger fuerit. Sed eventus curationis tristior fuit; nam ulcus primo aridum dein inflammatum, in gangrænam abiit, quæ ad crus serpens, comitante febri, ut videbatur, nosocomica, hominem e medio sustulit.

Insequenti mox die nervum ischiaticum præ aliis examini subjecimus, visuri, num hydrope affectus esset. Hydrops quidem fuit, at non in nervo, sed in laxissima et copiosa cellulari quæ nervo circumposita est: nervus et ejus vagina intacta videbatur; musculi in vicinia flaccidi. In articulari cavo hærebat synovia multa subflavi coloris; partes osseæ acetabuli illæsæ, nulla inflammatione aut corruptione tentatæ; cartilaginum et ligamentorum color parum mutatus. Etsi hunc dolorem, propterea quod limpha stagnans erat, ad nervosum referendum esse censebit fortasse aliquis; et quamvis eundem conquievisse constet remedio adversus nervosam affectionem probato; attamen neque puram nervosam fuisse ischiadem illam existimo, neque hujusmodi auxilio penitus devictam. Ut enim sic existimem, suadet tum nervi sanus habitus, tum humor in acetabulo repertus, qui, si diutius vitam homo protraxisset, forsan cartilagines et ossa contaminare non omisisset (*). Dolor autem, qui sedatus est, nonne a superveniente grangræna,

---

(*) Ipsa solito major synoviæ copia inceptam jam in articulo phlogosin præbere videtur, præsertim, cum cartilaginum et ligamentorum, forsan etiam glandularum synoviam secernentium color quidquam a naturali alienus repertus fuit ab auctore. Experientia enim et ratione constat, cum inflammationum ingressu augeri in parte affecta humorum secretionem. Sic copiosius secernuntur lacrymæ in mediocri ophtalmia, sic saliva in oris inflammatione. Quare non idem de synovia valeat in inchoata acetabuli inflammatione? *(Wenzel.)*

quæ sentiendi vim penitus delevit, sedari potuit? Id eo verisimilius esse censemus, quod ulcus saniem non fudit, ex cujus tantum subvectione doloris causam ablatam esse in iis, qui sani fiunt, arguere possumus (*).

Quamvis extra dubium positum esse videatur, id quod vehementer adeo torquet in ischiade, et quod ossa adeo turpiter emovet, in acetabuli inflammatione et corruptione consistere; non adeo tamen pronum est, decernere quodnam curationis genus seligendum sit. Certe, ubi inflammatio præsens est, non aliud adhibendum esse videtur, quam quod vocant antiphlogisticum, præsertim si febris, si doloris acerbitas tanta sit, ut deambulationem interdiu, noctu vero quietem adeo homini necessariam auferat. Inter auxilia quæ sævitiem doloris et inflammationis rapiditatem compescunt, sanguinis detractiones primum obtinent locum. Vir expertissimus *Zecchius* (1) suadet in morbi principiis secare venam poplitis, vel malleoli affecti lateris; scribit enim detracto ad octo vel novem uncias sanguine ex vena illa, quæ post malleolum externum ascendit, eadem fere hora dolorem coxendicum etiam vetustissimum deleri consuevisse. Et profecto consiliarius quidam (2) coxendico dolore vexatus aperta vena malleoli e directo partis affectæ intra paucas horas dolore liberatus est. Hujusce observationis auctor (3) testatur, se ischiaticos dolores æstatis tempore biliosis supervenientes, secta vena et clysteribus opiatis profligasse. Mirum etiam in modum ischiaticis opitulatur sanguis per hirudines evocatus e venis, quæ in doloris sede sunt (4) vel ex iis, quæ circa ani marginem sunt (5). Idem præstare poterunt cucurbitulæ cum multa flamma et cum incisionibus dolenti coxæ impositæ.

His tamen auxiliis parum vel nihil interdum perficitur, vel quia non

---

(*) Cum dolor post adustionem, et quidem prius evanuit, quam totum crus gangræna correptum fuit, non absurdum esset credere evanuisse illum ob excitatam vehementem irritationem; quæ etsi in loco adusto momentanea tantum fuit; tamen in partibus circumjacentibus inflammatis perstitit, et gangræna accedente adhuc vehementior facta est. Constanter enim animadverti, inter omnia ulcera nulla majorem excitare dolorem, quam gangrænosa; adeo ut animi deliquia et motus convulsivos sub deligatione non rudi aliquoties observaverim.

Effluxu, materiæ purulentæ doloris causam ablatam fuisse, tunc demum pro certo constabit, quam primum suppurationem ad sanandam ischiadem omnino necessariam esse apparebit: sed in ischiade et in aliis morbis inflammatoriis sæpius observavi, excitata irritatione sufficiente in parte vicina, dolorem vel omnino, vel magna saltem ex parte statim, vel prius profligatum fuisse quam suppuratio inceperit; ideoque mihi persuasum habeo, id quod de dolore superfuerit, inflammatione in ulceris peripheria remanente sensim, nisi altera vehementior excitatur, auferri, et suppurationem in ischiade aliisque morbis similibus nil aliud præstare, quam quod in simplicissimo abscessu illa efficitur. (*Wenzel.*)

(1) Consult. XLIII.

(2) *Riverii* Observat., cent. II, observ. 25.

(3) Cent. IV, observ. 52.

(4) Hoc præsidio feliciter usus est chirurgus nostras, qui cum a me accepisset, ischiadem ut plurimum ab acetabuli inflammatione procedere, curandumque esse, ut, quantum posset, sanguinis educeretur ex parte maxime dolente; non dubitavit hujusmodi ægro quinquaginta hirudines apponere, quo facto, brevi a morbo liber evasit.

(5) *Zacut*, Praxis admiranda, l. II, observ. 168-171.

satis sanguinis evocatum est, ex intimioribus acetabuli partibus; vel quia malum pervicacius est, quam ut hisce obsequatur; quo in casu ad doloris immanitatem mitigandam opio intus, extraque sumpto opus est, donec alia remedia in subsidium vocentur. Inter validiora censentur phœnigmi, quibus humores altius impacti derivari possunt ad cutem, et servatis diu ulceribus expurgari. Et sane ischiaticus dolor (1) nullis cedens pharmacis, cantharidibus admotis sanatus est.

Viro valde obeso, qui ob ischii dolores a sumptis remediis magis increscentes quatuor menses insomnis traduxerat, dolenti ischio tres uncias emplastri vesicatorii applicare jussit *Scultetus* (2). Elapsisduodecim horis, mitigatos sensit dolores æger, et consolidato postea ulcere, iterum impositum fuit vesicatorium, ac tandem usu petrolei externo contumax dolor fugatus est. Cantharides mirabiles sæpenumero præstitisse effectus in ischiade nemo ignorat, neque ignotum cuiquam esse potest, non minus insignes esse effectus, quos edunt in morbis inflammatoriis internis, præcipue thoracis. Itaque si cantharides præcipuum auxilium constituunt adversus nervosam ischiadem; non minus easdem proficere in ischiade inflammatoria certum est. Ut autem indicatio maturius et cum quadam securitate expleatur; præstat interdum ad ipsas causas procatharcticas respicere, per quas sanguis, sive humor quicunque in articulo congestus est. Ita si hæmorrhoides et menstrua provocentur, dum ab iis retentis dolor processit (3), coxarius a morbo liber evadit. Bajulum, qui tibias per multas horas aquis immerserat, dolore ingenti ab ischio ad tibiam sese exporrigente captum fuisse narrat *Riverius* (4), qui tamen idoneis pharmacis profuso sudore elicito convaluit. Est etiam, ubi a miasmate venereo coxarius morbus inducitur: quo quidem in casu ad hydrargyrum plerumque est confugiendum; quamvis et hydrargyro suus esse locus possit adversus malum hocce ab aliis causis procreatum, ut non semel nosmetipsi irritis aliis observavimus.

Sed, quis crederet? validioribus sæpe adhibitis pharmacis ischiadem non cessisse; profligatam vero fuisse ignobilibus quibusdam unguentis extrinsecus admotis? Nonnullis enim pinguedinem animalium profuisse testatur *Morgagnus* (5). Aliis inunctiones olei capparum, genistæ, petrolei; aliis emplastra quædam emolumento fuisse, scimus.

Memini, non incelebrem medicum hujus urbis post universales, ut ajunt, evacuationes solitum fuisse præcipere linimentum, quod ad ignem dolenti parti illinitum intra tres fere dies dolorem extinguebat. Etsi unguentum hocce inter illius arcana erat; aliqui tamen divinare volentes, illud compositum esse ex olei olivarum unciis viginti et octo, ex unciis

---

(1) *River.*, in observ. anonymi, observ. 20.
(2) Armamentar. chirurg., observ. 73.
(3) *Hipp.*, epid., n.° 33.
(4) Cent. 1, observ. 4.
(5) De sed. et caus. morb., epist. LVII, n.° 8.

totidem vini rubri generosi, atque ex unciis quatuor olei Hipperici compositi, sibi persuaserunt. Singula capita commixta in vase figulino clauso bullire sinantur B. M. usque ad vini consumptionem.

Postremo loco venit præsidium ab ipso *Hippocrate* commendatum (1). *Quibus diuturno coxendicis dolore conflictatis femoris caput suo loco excidit; iis crus tabescit; et claudicant, nisi urantur.* Quem aphorismum cum videam ab omnibus sic expositum esse, mirari subit, cur *Hippocrates* ustionem proposuerit, postquam femoris caput suo jam loco excidit, scilicet postquam cruris tabes et claudicatio averti amplius nequeunt. Modum etiam urendi idem *Hippocrates* (2) postquam purgationes fotus et victus rationem memoraverat, hisce verbis tradidit: « *Et si quidem ab his juvetur; sat est; sin minus ei multas et altas crustas in osseis quidem partibus per fungos, in carnosis vero per ferramenta inurito* ». Quod etiam *Celsus* (3) probat, inquiens: « *Ultimum est, et in veteribus quoque morbis efficacissimum, tribus aut quatuor locis supra coxam cutem candentibus ferris exulcerare* ». Qua in re illud animadvertatur velim, quod uterque præcipiat, pluribus locis coxam esse adurendam; secus enim metus esset, ne ex unico ulcere evacuari non possit omnis materia perniciosa intus cumulata. Nisi forte præferendum atquè imitandum quis existimet exemplum animosi juvenis (4) qui chirurgo copiam adurendi fecit, non tam cutem coxæ impositam, quam exulcerandi eodem ferro carnem ad ipsum os usque; unde perenne ex profundo ulcere profluvium a recidiva eum vindicavit. Qua constantia et animi fortitudine si unusquisque ægrotorum præditus esset, morbi nonnunquam perdifficiles felicius ab artis magistris superarentur (*).

---

(1) Aphorism., lib. VI, § VI, aphor. 60, edit. Foesii.
(2) Sect. V de intern. affect.
(3) Med., l. IV, c. 20.
(4) *Tulpius*, observ. med., l. III, c. 26.

(*) *Scultetus* in ischiade jam profecta quammaxime commendat inustionem fonticuli in poplite inter principia musculi gastrocnemii. In armamentario chirurgico, pag. 182, sequentia desuper affert.

« Laudat quidem *Adrianus Spigelius* ob transitum venæ popliteæ inustionem fonticuli in sura, « seu musculi gastrocnemii principiorum coitu. At quoniam locus ille ob suam declivitatem ad deli- « gandum valde est incommodus; ego, juxta *Andream Vesalium* (de musculis), locum paullo superiorem « elegi, eumque non sine ratione: habet enim hujus loci fonticulus omnes boni fonticuli conditiones: « 1.° venam popliteam, quam antiqui et recentiores in ischiade, aliisque morbis pluribus, quos « *Aurelius Severinus* collegit, magno certe cum successu aperiebant. 2.° Interstitium principiorum « gastrocnemii; neque enim metuendus ille nervus satis insignis, qui sub genu transcurrit, ut lædatur; « nam ubi fonticulus conficitur, nervus progrediendo jamjam profundiora petiit, ut ferro candenti of- « fendi nequeat. 3.° Deligaturam firmiter consistentem. 4.° Patiens ipse ipsum regere et gubernare potest.

« Notissimum est, qui semel ischiaticis doloribus vexatur, non facile ab iis liberatur, ita ut sibi « polliceri possit, se in posterum ab ejusmodi cruciatibus fore immunem. Sancte tamen testari possum, « memetipsum post usum balnei Thalfengensis (vulgo Gesündbrünn) in agro Ulmano siti, beneficio « hujus fonticuli per novennium a paroxysmo præservasse, et, si vixero, forsan ulterius venæ ischia- « ticæ sectioni, omnibusque purgantibus sudoriferis et topicis medicamentis, quæ per annum integrum « ex clarissimorum medicorum consiliis assumpsi et adhibui valedicens. Quare si in futurum in tali « cruciatu ischiadis diuturno tam interna, quam externa remedia sine successu usurpata fuerint; meo « consilio et spe bona salutis ad hanc chirurgiam, tanquam ad sacram anchoram confugiant, inustio- « nem scilicet fonticuli in loco signato; non dubito enim, quin patiens sanitatem, chirurgus vero ma- « ximam laudem deportaturus sit ». (*Wenzel.*)

Sunt aliæ quædam affectiones, quæ quanquam ischiadis notas saltem peculiares conjunctas non habeant, attinent tamen ad id genus mali, quia eandem præcipue sedem ac illæ obtinent. Mediolanensis virgo sanis parentibus progenita, optimique habitus ab teneris annis integra usa est valetudine usque ad ætatis sextum decimum: tunc temporis enim febri cum ventris profluvio correpta ita fuit extenuata, ut nonnisi plurium mensium intervallo vires habitumque recuperaverit. Febris dein intermittens per duos menses eam exercuit; qua tandem superata, rebus domesticis percurandis sedula, menstruisque ordinate procedentibus nihil ei ad beatam vitam deerat. Quum sub vesperam diei nonæ junii, ætatisque anno tertio et vigesimo derepente, dolor haud adeo mitis femur sinistrum invadit, adeoque vehemens brevi est redditus, ut postquam ægre adolescentula scalam conscendisset, non solum cruri insistendi incapax esset, sed quantocius lecto se prosternere fuerit coacta. Triduum exegit doloribus, anxietate, vigiliis defatigata, in quibus sensus partis affectæ ad eum gradum pervenit, ut nec minimum motum, nec levissimam contrectationem ferre posset, quin dolores illi invalescerent, quos tamen utcunque atroces, sola post modum farina calefacta coxæ imposita ita paullatim mitigavit, ut e lecto surgere et incedere aliquantulum potuerit. Quia autem isti motus moleste, et non sine claudicatione fiebant, et valetudinis ex integro recuperandæ spes protrahebatur; statuit mense junio 1786 valetudinarium nostrum adire, ubi tum dolor circa coxæ articulum contractus, videbatur ægræ in os ipsum magis sævire. Medicus ischiadem nervosam hic subesse ratus vesicantia, ut mos tulit, adhibuit, sed absque ullo successu. Interea post vagas horripilationes febris accedit continua; intumescit articulus, et artus sinister fit longior, pedis apice in neutram partem converso. His malis afflicta puella, ut quoquo modo, qui jugiter persistebat, dolorem paullum demulceret, cubabat femore et crure leniter inflexo, in quo positu diutius perseverans, artus rigiditatem quandam contraxit, ob quam extendentibus musculis ægrius obtemperabat. Mensis ferme spatio, quo in nosocomio decubuerat, cachexia et macie confecta, præcipue vero febri diuturna sub vesperam exæstuante, profusosque per noctem sudores proliciente ad eum statum perducta erat, de quo, cum ad eam visendam accessissem, vix quidquam licebat sperare. Tamen ne id prætermitterem, quod quodantenus prodesse poterat, statim de moxa femori inurenda cogitavi, idque continuo infra Falloppii ligamentum factum est, ubi maxime urgebat dolor.

Posteaquam ulcus in suppurationem versum est, tumor coxæ desidere, dolores mitigari, pars contactum ferre cœpit; imo et in latus puella se convertere potuit; nec minus artus, qui transversum pollicem longior erat, sensim contrahebatur; ex quibus cum optimum eventum prædicere liceret, alteram moxæ inustionem eidem proposui, quam tamen posthabita recentis beneficii memoria constanter detrectavit. Igitur tumore circa coxam, doloribusque intra mensem discussis, artus ad pristinam rediit longitudinem et figuram; tum etiam restituto membri motu, in quamcunque partem

decumbebat, ceterisque symptomatibus remotis perfectam sanationem eidem spondere licuisset; nisi intra alium mensem ob neglectum certe cauterium artus transverso pollice brevior, quam antea, esset factus.

Quod nunc sequitur, exemplum inflammationis circa coxæ articulum longe ab aliis hucusque memoratis curatione et exitu dissimilis fuit. Puer undecim annorum sexta julii 1788 coxæ dolore afficitur. Parens ejus villicorum morem secutus, crus dextrum (nam ex eo latere morbus erat), manibus comprehensum, vehementer distendit. Ab ea rudi medela nullum levamen. Die decima julii in nosocomium delato puero perdolebant major trochanter et acetabulum coxæ, quibus illico hirudines et dein frequentes sacculos ex contrita glacie apponendos curavi. Quatriduo post crus duos transversos digitos longius erat, femur superne latius, natis sulcus magis depressus, dolor ad trochanterem molestus. Hirudines denuo et glacies admota. Altero die cucurbitulam cruentam eidem parti affigi jussi, et glaciei usum iterari. Hactenus femoris motus non præpediti. Die decima sexta julii femur attolli nequit; dolor ad trochanterem circumscriptus; sub cute dolente quidpiam fluctuantis percipitur: inciditur cutis; puris pauxillum prodit, exinde intra triduum fere ad naturalem longitudinem crus redactum est. Sed, quod in nosocomiis evitari nequit, gangræna superveniens, ulcus dilatavit, quæ tamen limoniorum succo feliciter fuit cohibita. Mundatum ulcus squamulam osseam expulit, ac postmodum ad sanationem properavit crure cujuscunque vitii experte.

Hæc, quæ memoravimus, symptomata satis declarant, periosteum, quod trochanterem obvestiebat, et forte etiam alias partes eidem contiguas inflammatas fuisse; atque ita ex omnibus, quæ hucusque attulimus, illud præcipue demonstratum fuisse videtur, quod initio proposueramus; nempe ischiadem sæpius ab inflammatione, coxæ articulum vel vicinas partes occupante, proficisci.

Postquam hæc commentatus fueram, ante triennium, et quot excurrit; ecce nova exempla tam pervicacis mali occurrunt, ex quibus id, quod superius proposui, luculentius adhuc confirmatur; nempe ex tot causis, per quas ischias generatur, nullam esse, quæ directe in nervos agat; sed singulas coxæ articulum vexare, atque pessumdare.

Art. I.

Ischias a variolis.

Februario mense labentis anni 1793 in nosocomium importabatur puella septem annorum, quæ nondum a variolis convaluerat. Etenim crustis adhuc male olentibus corpus omne scatebat, abscessus homoplatæ sinistræ insidebat; et artus inferior sinister ita turgebat, ac si totus in abscessum esset transiturus: et prior quidem mox incisus fuit; fœtorem autem cum artus œdemate, balnea universalia, quibus aliquot diebus usa est, fere prorsus

sustulerunt. Tunc eundem artum duobus latis digitis breviorem esse, et ad motum inertem, præterea magnum trochanterem eminentiorem comperimus, indicio haud dubio, aut coxæ articulum fuisse vitiatum, aut femoris caput e sede sua propulsum. Etenim crus introrsum spectabat, et femoris suprema pars ad angulum acutum ossi innominato committebatur. Adjungebatur hisce febris amphimerina, et denuo increscens œdema, quod in multas et longas suppurationes abiit. Ulcera pallor dein occupavit, et extremam noctem ejulando puella transegit, quam mors vigesima septima maji insecuta est.

Postera die artus infirmus dissectus est ea sedulitate, ut nihil eorum negligeretur, quæ aliqua observatione digna videri potuissent. Cellularis textus in omni femoris ambitu limpha plurimum redundabat, quæ tamen neque in vaginas cellulosas, neque inter stamina ischiatici nervi penetravit. Cellularis, quæ pone magnum trochanterem multa est, aliquas inflammationis notas habebat, eidemque nervus, quem modo nominavimus, paullo firmius jungebatur; musculi singuli femur cingentes propemodum lividi et gangræna infecti. Eandem labem contraxerant interni musculi, iliacus et psoas, sub quorum carnibus tamen nil purulenti, aut serosi deprehensum est, si excipias interiorem ossis innominati faciem floreni circiter spatio nudatam.

Malum hocce intra pelvim traductum fuisse apparebat a cellulari textu, qui tum circa femoris articulationem, tum circa musculos ipsos ex pelvi venientes multo crassior, quam oportuisset, est repertus. Neque inde mirum fuit, si capsula articularis justo durior fuerit; atque si incisa tota interius liveret, nec puris, nec seri quidpiam continens. Caput ossis femoris, quod aliqua ob epiphyseos mollitiem mobilitate supra reliquum os gaudebat, e sede emotum supra dorsum ossis innominati videbatur consistere; sed novum ex depressione marginis cartilaginei et ossei acetabulum enatum erat, supra quod articulare ligamentum se produxit, ut novam itidem capiti intra se contento capsulam daret. Hæc vero, uti a prima capsula non discrepabat, nisi extensione; ita eandem crassitiem et fuscum colorem retinuit. Ligamentum teres totum, et cartilago, quæ caput obducit, absumpta, caput ipsum asperum, nigrumque redditum.

Art. II.

Ischias a rheumate.

Virum annos natum quinque supra triginta, per annum fere dolores, ex eorum genere qui vulgo rheumatici nuncupantur, varie vexarunt, et in artu inferiore sinistro præcipue substiterunt. Anno exacto, quum nequaquam remitterent, in suppurationem versi sunt. Abscessus, quia latissimus, tribus locis pertusus fuit mense majo 1793; nempe ad latus externum femoris paullo infra trochanterem; ad medium item femur anterius; tum ad sartorii radicem, a quo plaga introrsum fere ad medium femur producta

est, digitusque in eam conjectus ad radicem trochanteris minoris perveniebat. Dorsi spina recta, crura non torpida, evacuationes secundum naturam erant; sed febris, quæ prius aderat, mox post abscessuum incisionem vehementior evasit cum insigni virium collapsu (*). Itaque sine mora datus est cortex peruvianus ad semiunciam quotidie cum vini generosi libra; deinde cum æger pulveris pertæsus esset, extractum ejusdem corticis et liquor anodynus Hofmanni dosibus non exiguis. Interim puris tenuis ex plagis prosilientis insignis erat copia, quotiescunque deligaretur; deligabatur autem quotidie plus una vice. Pulsus debiliores et celeres erant, et jam artus infirmi adiposa membrana in magnum œdema attollebatur. Æger continuo lateri dextro incubabat, quem situm per menses quatuor usque ad mortem conservavit, nempe usque ad diem tertiam septembris, dum summa macie confectus fuit.

Vitia in ægrotante artu deprehensa non dissimilia fuerunt iis, quæ alias indicavimus: nempe summum femur, in quo ulcera existebant, undique a circumpositis musculis separatum. Caput ejusdem nigricans cartilagine et tereti ligamento orbatum, in cavitate tamen sua permanens. Acetabulum pariter cartilagine carebat sua, et præter latam ejus fundi erosionem aderat quoque foramen, quod sub iliaco musculo in pelvim ducebat. Is musculus sano similis erat; psoas autem peculiari modo affectus conspiciebatur: nempe carnibus ejus fere absumptis supererat cellulare involucrum, quod exterius spectatum verum musculi habitum retinebat; interius vero nonnisi amplum vacuumque sinum continebat.

Art. III.

Ischias ab herpete.

Puella novem annorum sanis parentibus progenita, sanaque nutrice educata, et ipsamet bona semper usa valetudine, nisi quod herpes circa lumbos diu eam tenuerat, anno 1790 vagis corripitur doloribus, nec continuis, nec molestis, qui modo coxam, modo femur, crebrius vero genu

(*) Docent chirurgi fere una omnes, exacerbationem febris post abscessuum aperturam vel spontaneam, vel arte factam, ab aëris ingressu oriri; docent puris tenuitatem, fœtorem et decolorationem in iis circumstantiis eandem causam agnoscere: docent, nigri coloris quo ossa affecta subinde imbuta prehenduntur, similem rationem esse.

Quæ jam antiquius ad nostra usque tempora obtinens opinio, num veritate nitatur, vehementer dubito; quamvis non negarim, aëris ingressum et communicationem unam præter ceteras eorum phænomenorum causam esse posse. Quoad ossa in Academia Ticinensi cum dilectissimo fratre experimenta institui in fele et cuniculo. Calvariæ maximam partem in utroque animalculo denudavi, sanguinem omnino purgavi, et ne quidquam vel sanguinis vel puris ex inscissarum partium mollium marginibus supra ossa efflueret; has linteo carpto emplastroque texi. Ossa igitur penitus denudata, continuo aëri exposita fuerunt; color autem naturalis ad mortem usque animalium perstitit, ut unicuique ex præparatis, quæ in collectione nostra asservamus, videre licebit. Plura in tractatu de ulceribus desuper proferam.

(Wenzel.)

dextrum infestabant sine ulla artus illius mutatione. Atque dolores hi exsiccato primum herpete excitati noctu plerumque molestiores erant; et quia in crampi modum artus afficiebant; ideo etiam plus justo contemnebantur.

Exeunte anno 1792 dolores interdiu quoque torquebant, præcipue tempestate pluviosa aut procellosa. Præter hæc artus dexter debilior evadere cœperat, ita ut impar esse sustinendo puellæ corpori videretur; et propterea non nisi baculo sustentata gressus aliquos domi faciebat. Quod si rhedæ insidebat, demissis cruribus eadem vehi non poterat sine dolorum exacerbatione. Demum mense aprili insequentis anni frequentius desævieruut tum dolores ad rotulæ imprimis sedem, tum succussiones quædam in toto artu noctu potissimum exagitantes. Sub his intumuerunt modo glandulæ inguinales, modo adiposa, quæ circumposita est, membrana; modo artus ipse longior esse visus est. Sed non multo post idem artus præcedente supremi femoris tumefactione brevior effectus est cum majori ad motum difficultate. Demum circa medium majum aucta ferocia dolores ita continenter afflixerunt ægram, ut aucto simul circa coxæ articulum tumore uno fere ictu tres latos digitos crus decurtatum sit. In hoc statu licet excidisse femur evidens fuerit, tamen nec genu, nec pes introrsum spectavit. Hactenus morbus processit sine febri.

Interim præsidio adversus hoc malum fuerunt frictiones ex linimento volatili, sinapismi, dein vesicantia iterato, et diversis locis tum in femore genu, crure et pede apposita, quibus jungebantur pillulæ ex calomelano cum decocto sarsaparillæ. Statim vero ac febris adfuit, post notabilem illam totius artus decurtationem, hirudines confertæ circa coxæ articulum fuerunt admotæ, evocatoque sic sanguine, et ducta alvo febris elanguit, et quies rediit, tumore, tensioneque partium mollium evanescente. Dolores non nisi noctu, et quasi furtive, scilicet post horas aliquot somno datas, iique constanter et leviter invadebant.

Quamvis igitur cognoscerem ejusmodi juncturæ labem esse irreparabilem, et malum post impetum tam immanem confiderem esse conquieturum; placuit tamen balneis uti, et paullatim totum artum linimento mercuriali illinire. Quod eo successu præstitum fuit, ut dies noctesque pacatas haberet. Interim tamen ab mali hujus effectibus non immunis erat puella, etenim artus altero adhuc pollice brevior effectus est; tum mutus quidam dolor orbitam subinde sinistram obsidebat cum levi utriusque palpebræ tumefactione. Interdum subsultus convulsivi, et quasi ictus quidam in genu dextro persentiebantur, et palpitantes subtus musculi manum admotam feriebant, præcipue si liberiori aëri artus aliquamdiu exponeretur. Dolores item ejus generis aliqui, qui vulgo ischiatici nervi ramis male affectis tribuuntur, per fibulæ caput, perque externum pedis latus vagari denuo cœperant; et denuo iis locis affectis vesicantia sunt imposita, sed emolumento vix ullo. Tandem tum balneis, tum inunctionibus ex mercurio per intervalla factis eo perducta res est, ut prima augusti innixa baculo

puella gradum commode sistere, pedis plantam contra humum firmare, et, si decumberet, femur cum genu flectere posset.

Circa id tempus, quo supra memorata acciderant, adultæ virgini, cui post perfrigerationem ischias oborta est in coxendice sinistro, et protracta ad multos menses medicina fuit, artus duobus latis digitis decurtatus est, et decurtato licet artu, dolores supererant, qui gressum præpediebant. Quid agerem hic, non liquebat. Exemplo tamen et pollicitationibus *Sculteti* animatus (in explicatione tab. XLIII, lit. *K*) fonticulum popliti inussi spectante et administrante cel. viro *Josepho Wenzelio* Mediolani tum commorante. Protracta ad duos menses suppuratio dolores non lenivit, quos demum sustulit, et artum aptiorem reddidit ad motum aqua saturnina guttatim ex suspenso vase super coxam defluens.

Art. IV.

Ischias a scrophula.

Rusticus annorum circiter 40 scrophulosis affectus tumoribus, quorum bini molis non exiguæ basi inferioris maxillæ dextrorsum subjacebant, mense augusto 1792 circa juncturam femoris sinistri corripitur dolore ita acerbo ingentique, ut, ejus verbis utendo, usque ad cor pergeret. Medicus, quem advocaverat, primum e vena brachii dextri, dein e pede sinistro sanguinem detrahi jussit, ac femori cucurbitas cum stuppa imponi; hisque dolor fere fugatus est. Quum igitur animadvertisset æger, se esse sublevatum, ad rusticos labores conversus est, quibus non diu indulsit; etenim recrudescens dolor ab agro eum avocavit; et sine mora consilium cœpit nosocomium intrandi autumno anni 1792. Ibi (quisquis ejus curam gesserit), non multum decubuit; malo enim generalibus præsidiis sopito, æger dimissus est.

Ineunte hyeme, dolores multo intensiores rediere, qui tum primum per femoris, tibiæque latera ad pedem usque porrigebantur. Itaque in nosocomium reverso viro ea curatio adhibita fuit, quæ ischiaticis convenire solet, videlicet vesicantia iterata, et moxa ad caput fibulæ, cujus ulcus diu servatum fuit.

Quæ quum frustra fuisse præstita viderentur, 23 maji sequentis anni ad visendum ægrotum advocor; invenio genu, crus sinistrum, pedem insigni œdemate tumentia; artum æquali, ac alterum, longitudine, sed dolentem, atque ad motus haud idoneum. Inguini sinistro accumbebat magna glandula, maxillaribus supra indicatis affinis, quæ post ischiadis inchoationem increverat. Femur erat iners; quodsi huc illucve diduceretur, crepitus quidam subaudiebatur, aut certe rudioris confricationis sonus in acetabuli cavitate, non secus ac si ossium extrema cartilaginibus essent destituta.

Maximo et desperato malo nonnisi magnum opponere remedium placuit.

Quapropter candente ferramento excitatus est fonticulus sub poplite, eo loco quem *Scultetus* designavit. Præter alios, qui mecum inspiciebant ægrotum, aderat vir amicissimus, *Josephus Wenzelius* supra laudatus, experiendi et ipse cupidus, quid ferramentum adversus hocce vitium posset. Mox post inustionem, et intra eundem diem melius sibi haberi visus est ægrotus, altera vero die indoluit iterum vehementer articulus, ita ut necesse fuerit hirudines circa juncturam admovere, a quibus solatium aliquod habuit.

Sed multo majus solatium habuit ab ustione, quam inter duo postrema metatarsi ossa ad *Petrini* mentem imperavi. Dixi, hominem solatii quidpiam accepisse, quia dolores mitigabantur; at licet cauteria humorem funderent; reliqua symptomata, ut cruris torpor, œdema, juncturæ crepitatio eodem modo ut prius se habebant. His postea accesserunt quotidianæ febres cum rigore, quæ hominem tandem jugularunt pridie calendas julii.

Artum sinistrum rimaturi, utpote qui ante mortem multifariam excruciatus fuerat, œdemate totum obsessum invenimus, sectaque cuti ex cellulari textu copiosius serum exsudabat (*). Hisce involucris remotis, statim

---

(*) Notum est, œdema inter validiora latentis in profundo abscessus signa pertinere: sæpe enim præ omnibus aliis signis de *empyemate*, si pectus, *de puris collectione* sub cranio, si in *capite*, de *abscessu* inter abdominis integumenta interiora, vel sub fascia femoris hærente, si *exterius* supra locum affectum appareat, nos certos reddit, et intrepida manu operationem suadet. De œdemate autem, et signo puris in ipso ligamento capsulari articulorum vel prope illud collecti, nescio, an auctores pro rei dignitate locuti sint. In primo hujusmodi casu, qui mihi obvenit, sedem mali, quæ in cubito fuit, me non cognovisse candide fateor. OEdematis insignis, et vehementer affligentis, quod integrum antybrachium, manumque occupaverat, ortum a debilitate duxi, ægra enim vetula fuit. Cubitus nec magis doluit antybrachio et manu, nec tumidior fuit illis. Suasi roborantia pro usu interno et externo; sed in pejus abiit res.

Demum natura ipsa de mali indole et sede me, chirurgumque, cujus euræ ægrota commissa fuit, edocuit aperiendo abscessum prope articulum. Puris magna copia effluxit, et dilatato ulcere immissus digitus de capsularis ligamenti consumptione, ossiumque carie testatus est.

Incidi postea bis in eundem casum; et neuter chirurgorum, qui tractaverant ægros, morbi naturam citius cognoverat, quam ego. Hinc sedulo inposterum in omnia hujus generis exempla inquisivi, quorum aliqua hic proferam.

Observ. 1.ª Vir ætate profectus in nosocomio Mediolanensi ob tumorem circa internum articuli pedis latus, et infimam tendinis Achillis partem satis elevatum, nec parvum, parum tamen dolentem, et manifesto fluctuantem decumbebat: simul in exteriore articuli latere, et toto pedis dorso ad digitos usque perspicuum satis œdema fuit. Inciso ab ill. *Palletta* tumore, magna puris copia exiit; et paullo accuratius illum perlustrantes ipsum articuli cavum apertum invenimus: ligamentum enim capsulare ex hac parte destructum, et in ipsa articulatione pus adhuc dum superfuit.

Observ. 2.ª Mediolani ob oculos venit fœminæ cadaver, cui sinistrum genu perspicuo satis tumore, crus vero, et ejusdem lateris pes œdemate tumidum erat.

Articulum pus continere suspicatus sum, neque me fefellit forma mali. Immissus per ulcus gangrænosum supra condylum femoris externum stylus, statim in articulum ipsum penetrabat, et nuda ossa offendebat.

Dilatato ulcere, et aperto a parte anteriori articulo, sub utroque musculo vasto insignem abscessum reperi, qui ad manus latitudinem femori incumbens assurgebat, absque tamen omni ossis corruptione.

Totus articulus pure crasso et subflavo plenus erat. Magnæ illius bursæ mucosæ, quæ in articulo supra patellam sedem habet, vestigia tantum reperi; suppuratione enim quoad maximam partem consumpta erat.

In utroque poplitis latere etiam abscessum detexi præcedentibus tamen minorem.

eo direximus manum oculosque, ut quisnam esset habitus magni nervi ischiatici, appareret. OEdema non in sola adiposa membrana constiterat, sed cellularem etiam, quæ inter femoris serpit musculos, occupavit. Nervi autem, de quo loquimur, vagina retecta ita eidem nervo, quod mireris supertensa et applicata est deprehensa, ut nec aquæ guttula inter eam truncumque ishiaticum reperiretur. Et profecto truncus ille albedine, consistentia, dispositione sano quamsimillimus erat; ejusque fibræ non sejunctæ a cellulosis septis limpha turgidis, sed in naturalem modum collectæ conspiciebantur. Sanum huncce habitum in toto nervi tractu observavimus; etiam sub poplite, ubi cauterium apposuimus, nisi quod ibi nervi thecam multo duriorem, quam oportuisset, offendimus. Perspecta nervi majoris sanitate ad coxæ articulum indagandum nos convertimus, et glutæos musculos a geminis, pyramidalique separantes statim vidimus ingentem puris vim in tabulam prosiluisse. Ii musculi, et alii, qui articulo erant proximiores, præcipue vastus internus, pectineus, magnus iliacus et psoa plus minusve livescebant, sub quibus et sub communi tendine iliaci et psoæ non minor saniei copia stagnabat. Huic autem tendini imposita erat glandula illa indolis scrophulosæ superius memorata, quæ multas pariter suppurationes, aut si mavis, vomicas inter se distinctas continebat. Hæc glandula duritiem suam communicavit cellulari telæ, quæ vasis cruralibus adjecta forsan in abdomen migrat, et usque ad medias psoæ carnes indurata est inventa. Porro ligamentum circulare femoris semierosum erat, sinebatque pus ex cavitate effluere inter musculos; teres ligamentum coloris fusci, et ad mollitiem redactum. Femoris caput, et acetabuli cavum cartilaginibus orbata scabras superficies præseferebant. Visa etiam est ossea crusta, aut potius lamina hinc margini cotyloideo externo adhærere, illinc libera, mollisque; unde causa forsan crepitationis illius, quæ inter femoris agitationes oriebatur, repetenda est.

In cavitate genu, cujus ceterum ossa sana erant, pus etiam repertum est; deinde secundum suræ latus externum inter musculos, vaginamque aponeuroticam, sub qua peronæus longus, brevisque fere ad putredinem ab sanie perducti erant. In cavitatibus majoribus nulla de reliquo damna observata sunt.

Observ. 3.ª Ticini septendecim annorum juvenem vidi, qui a gravi in axillam lapsu, tumore hujus articuli insigni et dolente afficiebatur. Oriebatur abscessus, quem aperuit natura tribus ulceribus magnam puris copiam fundentibus. Immissus per illa stylus articuli cavum adibat, et cariem satis profectam cognoscendam dabat. Supra cubitum incipiebat œdema, quod per antybrachium ad manum usque sese extendit. Reliquum corpus macilentum erat.

Observ. 4.ª Ticini dilectissimo fratri obvenit viri cadaver, cujus extremitas inferior sinistra a femoris media parte ad pedem usque œdematosa fuit. Circa inguen apertam fluctuationem sentiens, in tumorem incidit, quo magna puris copia emanaverat. Subjecto accuratiori examini abscessu, pus non solum circa articulum, sed et in ipso capsulari ligamento contentum fuisse expertus est. Consumptum fuit ligamentum femoris rotundum, et ex parte etiam capsulare.

Probabilem abscessus causam in fractura femoris statim sub ejus trochantere majori quæsivit.

(Wenzel.)

Art. V.

Ischias ab inflammatione.

Vir annorum ad 50 tussi et sanguinis sputo per decennium conflictatus, post varia medicamina et multas sanguinis detractiones tandem convaluit. Biennio post in vertigines incidit, quas pariter vena aliquoties secta, et refrigerantibus, nescio quibus, sedavit. Mense septembri 1792 dolore ad coxam sinistram corripitur, qui identidem ægrum divexabat; nam sensus aliquis doloris nunquam deerat; per intervalla tamen ita augebatur, ut hominem claudicare cogeret. Dolor hicce, qui initio circa summum femur erat, nempe in inguine, et circa trochanteris magni regionem, mox sursum migravit, versus ossis ilii cristam sese diffundens; inde deorsum delatus juxta externum genu et suræ latus ad pedem interdum frigentem pervenit. Multa intus data sunt, plura vero exterius admota, quemadmodum cucurbitulæ, vesicantia, calidi potus; quibus tamen omnibus nil profectum est. Postremo balnea domestica imperata, quibus vigesies circiter usurpatis, dolor adeo auctus est, ut lecto ægrum affixerit. Ad hunc cum 28 junii 1793 accersitus essem, inveni trochanteris regionem parum quidem intumuisse, ad contactum tamen dolorem persentiscere; inguen etiam et pedis dorsum una dolere, præsertim ingruente nocte, dum paroxysmus instabat; nec fieri posse cubitum in latere sinistro, artum denique totum dextero paullo fuisse longiorem.

His cognitis, non obscuram esse morbi diagnosin judicavi, quem posse inflammatoriam ischiadem nuncupari, existimabam, eo quod vehemens esset cruciatus, ut somnum penitus abigeret; et quod paullo longior esset artus, non obscuro scilicet indicio, partes articulo contentas ob prægressam inflammationem turgere. Ad hanc igitur tollendam, simulque ad avertendam ossis luxationem præcepi, ut non exigua hirudinum copia circa juncturam apponeretur, ut artus statis intervallis mercuriali unguento illiniretur, dein ut vesicantia opportunis locis renovarentur; denique ut opii usum faceret, dosi per gradus aucta, donec dolor penitus consopiretur.

Post sex fere dies mitigatum quidem fuisse dolorem sensit æger; attollere item artum, eidemque baculo suffultus insistere potuit; ei tamen incumbere lateri nequibat; præterea muti, ut ajunt, dolores in coxendice, in genu, in pede interdum molesti erant; sed molestiores subinde, relictis partibus prædictis ad suram reddebantur.

Igitur tribus elapsis hebdomadibus methodum a nobis commendatam deseruit; atque pulmento ex cocta oryza et floribus chamæmeli ab anicula proposito per decem dies usus est, quod, si vera retulit rusticus, dolorem penitus sustulit. Interea neglecto etiam pulmento, rediit dolor ea vi, ut ei decumbendum esset. His per nuncium auditis, ut præmissa, hirudinum ope, sanguinis detractione denuo pulmenti experimentum faceret, suasi, confidens, sicuti inflammationes nonnullæ emollientibus discutiuntur, ita etiam

malum coxarium fere similibus compesci posse. Quid autem evenerit, postea non comperi; neque enim quidquam de ægro sex milliaribus ab urbe dissito relatum est.

Ischiaticos nonnullos convaluisse et emollientium et resolventium usu, non negari posse videtur, præsertim eos qui sic fortuito percurati fuerunt a mulierculis vel ab agyrtis. Novisse me virum coxario morbo graviter afflictum assiduis fomentationibus ex lini semine cum incocto angue integre convaluisse, memini. Et fortasse in ischiade vere inflammatoria, quæ laxandi vi prædita sunt, præstant iis, quæ stimulant et cruciatus augent. Hæc autem cum fructu usurpari videntur in coxario malo, quod nondum in phlegmonem transiit, aut quod lente admodum ad inflammationem tendit. Ejus census, ni fallor, sunt sanationes duæ ab ill. *Ricthero* memoratæ (1), altera ischiadis a perspiratione cohibita natæ, quæ obtinebatur pulvere Doweri, balneis tepidis, et quocunque sese loco dolor ostenderet, iteratis vesicantibus: altera fœminæ fuit, cui per intervalla quinque e moxa cylindri inusti fuerunt, et vesicantia quatuor superposita, non omissa interim artus perfricatione ex spiritu salis ammoniaci et cantharidum tinctura.

Qualiscunque igitur dolor, aut cruciatus, qui coxæ articulum afficiat, excepta femoris luxatione aut fractura, non male ischiadis nomine venit. Hæc enim vel subito inflammatoriis symptomatibus se prodit, vel post lentam demum congestionem inflammatio excitatur. In utroque casu morbus vel per resolutionem evanescit, vel absumpto osse et ligamentis claudicatione terminatur; vel denique in magnos profundosque erumpit abscessus, qui febrim et totius corporis maciem advehunt.

Quare existimo, tabem coxariam non differre a coxario morbo vulgari; sive, ut aptius loquar, tabem corporis universi ab *Hippocrate* (2) observatam non nisi effectum esse coxarii morbi in vastam suppurationem versi. Ita intelligendum puto *Hippocratis* textum. Alterum vero textum, quem libro de glandulis habet, non ad hunc pertinere locum arbitror; sed ad veram artuum inferiorum paralysin, et tabem a spinalis medullæ vitio advectam.

Quod autem secundo loco proposui, videlicet malum coxarium in claudicationem desinere, ob capitis femoris, vel acetabuli aliquam consumptionem; neutiquam vero ob nervi ischiatici passionem; id non omnibus æque verum videtur. Verum utique videbitur iis, qui claudicantes attente observaverint, et qui sectiones ischiade demortuorum administraverint. Observavi non semel, artum excruciatum elongari, antequam luxatio consequatur. Id ego tribuo inflammationi perichondrii, et cartilaginum articularium, et ligamenti teretis; quæ partes adauctæ et tumentes femoris caput e cavitate tantisper extrudunt. Expulso autem capite, devastato ligamento interiori et cartilaginibus, artus ad duorum, trium, imo quatuor transversorum digitorum brevitatem redigitur.

(1) Medicinische und chirurgische Bemerkungen, cap. XI, Göttingen, 1793.
(2) Coac. prænot., n.° 144.

Denique huc illuc addendum superest, de ægro conclamatum esse, ubi artus vexatus œdemate totus intumuit; designat enim œdema, læsionem articuli maximam esse, nullisque auxiliis tollendam, ut ex secunda et quarta observatione hic enarrata evincitur (*).

Art. VI.

De coxitide.

Ischiadi valde affinis est morbus coxarius, et quid inter utrumque discriminis intersit nondum satis liquet. Nam uterque morbus coxam obsidet; uterque modo lente procedit, et sub frigidæ affectionis specie diu detinet; nunc immanis dolor prehendit, et sine intermissione excruciat; uterque ita malignus est, ut coxæ, summique femoris pars ocyus seriusve contaminentur. A nonnullis hæc affectio coxæ abscessus appellatur, causamque ad scrophulas referunt. Incipit a dolore, et universali lassitudine; artus sensim emaciatur et articulus perit. Frequentius impuberes invadit, qui incedendo parum claudicant, sic ut causa plerumque ignota sit, vel levioris momenti esse videntur, quam ut tanti periculi capax sit. Sunt tamen complures offensiones in testibus, matrice, vertebrarum corporibus, in articulis observatæ, quæ viru scrophuloso attributæ sunt.

Ubi atrox articuli malum in mortem desinit, non solum cervix, et caput femoris carie deperdita deprehenduntur, sed etiam cotyle et magnam partem adjacentium ilii, ischii, pubisque et ligamentorum, quibus ipsa colligantur. Visa est etiam caries per medium cotyle in pelvim penetrasse. In malo inveterato syncondroses solvuntur, pelvis obliquatur; innominatum os læsi lateris antrorsum fertur; interdum superius extollitur, interdum detruditur, prout membri actio, vel cubandi modus, vel ligamentorum laxitas, in superiorem, vel inferiorem partem os ilii propellit.

Etsi ubi malum processit caries acetabuli, femorisque valde tormentosa sit, tamen ab initio observatoris effugit attentionem, quia blande plerumque incedit, vultu nemque pallore, corpore pigritia affecto, artu gravitate, nunc lassitudine, nunc succussionibus vexato, quæ sympthomata imminentem claudicationem prænunciant. Inter hæc coxæ, et cruris carnes extenuantur; articulus ipse elongatur, quod supinato corpore intelligitur, si femora conjunxeris. Clunis ejus lateris minus plena, minus globosa, sub qua tumor aliquis præter naturam percipitur. Neque prætereundus est dolor, qui genu afficit, cujus tanta interdum est violentia, ut somnum tollat, et

(*) Œdema hujus generis ingens et pertinacissimum est, nullisque cedit auxiliis, manifesto indicio, truncos omnes vasorum absorbentium et profundorum et superficialium inflammatione, pressione partium phlogosi tumidarum, suppuratione, aut gangræna muniis suis obeundis omnino impares esse.
(*Wenzel.*)

ejulare cogat, licet genu inoffensum sit, et incassum pulmenta eidem apponas.

Artus infirmus sustentandæ corporis moli ineptus divergit a linea centrali, quam in pollicem pedis transmittit, inflexo nonnihil genu. Jamque artus in dies ineptior fit ad motum, magisque claudicat et ammissum robur suppositis femori manibus utcunque revocare studet. Hinc proclivior ad cadendum est æger, dum pars mane torpet, sero dolet, ut cubare solatio sit. Circa juncturam lenis doloris sensus permanet, asperior si premas pone rotatorem, ubi gracilius femur est, et ad inguen, ubi lymphaticæ glandulæ plus, minusve intumescunt.

Horum sympthomatum varii sunt gradus sic, ut procedendo claudicatio et dolores sint intensiores, artusque gracilior et imbecillior evadat. Demum artus qui longior erat, retrahitur, denotatque suppurationem esse perfectam, eidemque difficillime esse succurrendum. Quo copiosior est suppuratio, aut colliquatio, eo dolentior et tumidior fit junctura, præsertim sub majori glutæo: os, ut dictum, brevius redditur, et reclinatur ad exteriora, inutile pondus futurum. Quo statu diutius perseverante, abscessus rumpitur, emittitque pus densum, aut serosum, aut caseosum. Novam hanc periodum excipit singularis debilitas, anorexia, hectica febris, sudores colliquantes. Gravibus hisce malis si æger superest, artu contracto, imbecilli, quoad vivit, incedit, qui cum innominato osse male nectitur, vel cum eodem per anchylosim coalescit.

Quamvis per signa, quæ enarravimus, dignoscatur coxarius morbus, sunt tamen congeneres affectiones, quibus commisceri potest. Sic per lapsum, aut vehementem percussionem os femoris ita labefactari potest, ut emollitis per inflammationem cartilaginibus, et absumptis ligamentis caries in articulo enascatur, et æger claudicet. Discerni interdum difficulter a coxitide solet lumborum abscessus, qui ob præcedentem inflammationem plerumque a carie vertebrarum dorsi vel lumborum progignitur, quia sanies, quæ in eo generatur, viam sibi facit sub peritonæo, per abdominis musculos, et per ligamentum falloppii, ubi inguinis integumenta abscedit; ossa enim et musculi crassiores impedimento sunt, quo minus per lumborum et natium regionem perrumpat. Plerumque itaque saniosus humor psoæ iter legit, et in interiori femoris parte consistit, ubi tendo psoæ minori femoris processui alligatur. Tunc femur introrsum paullo inflectitur.

In morbi principio cavendum sedulo, ne in suppurationem vertatur. Ad eum finem vix proficua censentur emplastra, stillicidia, cicuta, spongia marina, mercurius, peruvianus cortex et alia. Quamvis balnea ex aqua maris plurimum celebrentur, præcipue in affectionibus a scrophula progenitis; tamen videntur magis profuisse balnea ex aqua fluviatili, hirudines, scarificationes, vesicatoria sæpius iterata, quæ omnia in articulorum morbis præcipua auxilia sunt. *De Haen* utebatur emplastro ex calce et melle confecto; alii ex ammoniaco cum radice scyllæ; quæ etsi ad labis scrophulosæ affectiones profligandas valere possunt, ad acetabuli abscessus tollendos non valent.

Hippocrati videtur innotuisse dirissimus hic morbus; ait enim (1): « Quibus coxendicis dolore conflictatis, coxendicis articulus suo loco excidit, ac rursus recipitur, iis mucores innascuntur.

« Quibus diuturno coxendicis dolore conflictatis femoris caput suo loco excidit, iis crus tabescit, et claudicant, nisi urantur ».

Suspicari nobis licet hos duos aphorismos aut non esse *Hippocratis*, aut male fuisse exscriptos, aut saltem in duos ex uno fuisse sectos; tum quia prima utriusque periodus iisdem verbis eandem sententiam comprehendit; tum quia eorum doctrina rationi et experientiæ repugnat. Nam si per diuturnos dolores coxendicis articulus suo loco excidit, quomodo rursus recipi potest in eundem locum, cum satis constet cartilagines interarticulares esse colliquatas, ipsumque femoris caput vel ex parte, vel omnino deesse, sic ut reponi nullo modo possit?

Nec minus absurdum est quod aphorismo 60 continetur; in eo enim asseritur, claudicare eos, nisi urantur, quibus caput femoris suo loco excidit, et crus tabescere incipit. Jam pronum est intelligere, quod si caput femoris e sua sede excussum est, ob allata superius articulationis vitia, rursum restitui nequit, neque proinde tabescens crus instaurari. Quare etiam si hujusmodi ægri urantur, tamen in tanto coxendicis vitio perpetuo claudicabunt.

Neque experientiæ nostræ consona est explanatio quam dedit experientissimus alioquin *Bernardinus Genga* (2). Is enim, neglecta priori parte aphorismi 59, ad alteram conversus ait: Sinoviam interdum ita abundare in articulo, quæ non tantum ligamenta (coxæ) distendat, verum etiam ex distensione sequatur dearticulatio, et de facili etiam dicta luxatio reponatur, eademque causa rursus recidat. Insuper existimat, quod cum excrementum hoc (sinovia) augeatur, et dissolvi non possit, densetur magis, et in mucum convertatur, sicque cum *Hippocrate*, *mucores fieri.* Nobis, ut fateamur quod res est, aliisque nunquam contigit tantam sinoviæ copiam in coxæ articulo reperire, quanta expellendo femori sufficiat; etsi quidpiam purulenti, aut sanguinei humoris excipias, vix in articulo aliud conspicies quam gravissimam organicarum partium læsionem. Itaque femur semel excussum ob structuræ vitia nunquam reconditur.

Ad illustrandum aphorismum 60 *Genga* multis verbis utitur, quibus probare conatur tabescentiam cruris post secutam luxationem procedere ab impedita succi nervei distributione, ratus nervos, qui per fœmoris et ischii articulationem disperguntur, esse compressos. Deinde ad ustionis utilitatem celebrandam se convertit, non solvens difficultatem, quæ a luxato femore emergit. Ita enim scribit: Hanc ischiaticam ustionem pluries atque pluries per me, et Deo favente, semper felici eventu peractam fuisse confiteor;

(1) Aphor., s. VI, 59, 60. Edit. *Foesii.*
(2) Comment. in Aphoris. *Hip.* Romæ.

imo non tantam in affectionibus ischiaticis, sed in aliis etiam spasmodicis doloribus. Hanc ustionis facultatem, quæ atrocibus medetur malis, lubenter concedimus, et ipsi ejus efficaciam experti sumus; sed ex auctoris verbis pronum est intelligere, quod cum priorem partem aphorismi 60 explanare negleverit, indicare quoque néglexit in quanam doloris ischiatici periodo ustionem adhibuerit; aut quæ potissimum symptomata eum adduxerunt, ut formidante ægroto candens ferramentum imprimeret (1).

Verius rem attigisse videtur *Celsus* (2) qui aperte scribit: Coxarum ingentem dolorem esse consuevisse, eumque hominem debilitare, et quosdam non dimittere, difficillimeque curari, ultimumque esse, si finitus dolor non est, aut tumor accedat, tribus aut quatuor locis super coxam cutem candentibus ferramentis exulcerare. Majorum itaque auctoritate et exemplo edocti ulcera, vel fonticulos aperire chirurgi nostra et superiori ætate inceperunt, præcipue si finitus dolor non est aliis præsidiis, aut si tumor accedat, ut inquit *Celsus*. Et quia vel ægrotantes, vel ipsi artis magistri candens ferrum pertimuerunt, exedenti medicamento usi sunt, quod exteriori femoris parti apponitur in eo sinu; qui pone majorem apophysin est, et qui articulari ligamento proximior est. Atque hic *Genga* opportune monet cavendum, ne, dum quovis modo ulcera excitamus, ligamentum externum perforetur, quod femur cum innominato osse colligat. Nam qui per ejusmodi ulcus adauctam sinoviam extrudere cogitabant, nunquam, testante *Genga*, felicem exitum consecuti sunt, sed accedente putredine superficies femoris et ischii asperiores factæ in ulcera fistulosa transierunt.

Ne autem frustra ægrum novis doloribus torqueamus, curandum ut ulcus latum sit, ut sæpe exulceretur vel ferro, vel cantharidibus, vel rodentibus, ut *materia inutilis*, docente Celso, *evocetur, neque, ut primum fieri potest hujus generis ulcera sanentur, sed trahantur, donec id vitium, cui per hæc opitulamur, conquiescat.*

His præsidiis optime curatur coxitis, si longe absit suppuratio, aut emollitio, vel quæcunque sit illa causa, quæ ossa ad cariem disponit. Verum ubi femoris et cotylis cartilagines ita exsolvuntur, ut abscessus fiat, pejora enascuntur sympthomata, ut sanatio in ancipiti sit. Nam abscessum pertundere mortiferum est, et femoris excisio temeraria, cum sæpius acetabulum ipso femore profundius læsum inveniatur. Itaque in tali abscessu curandum in primis ut symptomata mitiora fiant, quod

---

(1) Hic, ni fallor, ad rem nostram egregie facit Græcophili horum aphorismorum translatio, quæ sic habet:

Aph. 59. Morbo coxario diuturno laborantibus, femur extat, et retrorsum incidit; his superveniunt suppurationes.

Aph. 60. Morbo coxario diuturno laborantibus, femur extat, his tabescit crus, et claudi fiunt, nisi usti fuerint.

Translatio *Almeclovenii*, *Vorstii*, *Chartresii* et *Hollerii* loco *retrorsum incidit*, habent *coxa excidit; rursus incidit;* vel *rursum recidit*, quod manifeste sensum aphorismi detorquet.

(2) Med. l. IV, 22. Edit. *Vulpii*.

præparatis, ex opio, quiete, nunc roborantibus, nunc cauteriis obtineatur sic, ut sanies absorbeatur, et articulus immobilis reddatur.

Dum sanies exitum sibi parat sub rotatore majori, super gluteum magnum, circa lumbos, ad inguen; dum ob articuli cariem femur excidit, medico nil reliquum est, quam ut vires erigat aëre puro, diæta pleniori, ut si mortem evadere potest æger, articuli rigiditatem consequatur. Quamquam quæ huc usque dicta sunt, morbi naturæ, et terminationi consentanea sint; tamen vidimus sæpe curationem recepisse eos, in quibus trochanter nonnihil extrorsum protrudebatur, et in quibus ob crus brevius, et dolorem ambulatio præpediebatur. Vidimus, inquam eos, vel ustionibus, vel ulceribus excitatis, vel illito mercurio esse sanatos. Sed vidimus etiam sanationem perfecte consecutam in hoc ipso morbi periodo ope emplastri ab empirico impositi. Is tam in inflammatoria, præmissis venæ sectionibus, quam rheumatica ischiade, etiam in eo stadio, ubi femur ex acetabulo jam jam protrusurum est, eodem emplastro tuto et feliciter utitur, quod facultatem habet lympham paullatim eliciendi, quæ quo majori copia exsudat, eo citius dolores leniuntur, et artus, si brevior, pedetentim ad pristinam redit longitudinem, sicque plures incassum a medicis in hac urbe curatos intra duos tresve menses sanitati restituit.

Cum igitur symptomata sæpius prolata ischiadi et coxitidi communia sint; cum item morbi exitus in utraque persæpe infaustus, et utriusque medela eadem prorsus sit; non frustra quæsivi, quale inter has affectiones discrimen esset. Multi enim in eo sunt, ut fere tot morbos confingant, quot sunt symptomatum varietates; id quod in artis detrimentum, et in medelæ ambiguitatem vertitur. Igitur tenendum est per ea, quæ exposuimus, ischiadem inflammatoriam et rheumaticam, coxitidem et coxalgiam, unam eandemque esse ægritudinem; atque in eo solum differre, quod aliæ exquisita inflammatione comprehensæ velociter stadium percurrant; aliæ vero chronica, ut ajunt, laborantes lente admodum, et sine gravibus symptomatibus trahant.

In chronica coxalgia, quæ lente, fere absque dolore procedit, et claudicare cogit, et a scrophula pendere creditur, celeberr. *Portal* (1) utitur syrupo mercuriali, cujus cochlearia duo quotidie sumuntur; atque linimento, quod recipit medullæ recentis bovis purgatæ uncias tres; mercurii depurati drachmas quatuor; camphoræ drachmam unam. Hoc unguento illinitur articulus bis in die. Fonticulum simul aperire jubet, victumque ex oleribus commendat. Eadem curatio valet, si spina dorsi contorta est, vel artus inferiores, quam deinde perficiunt balnea sulphurea. Nos quoque ab hac medendi ratione non parum utilitatis consecuti sumus.

Militem, qui ultra annum lecto se continuit, et ob cariem coxitidis obiit, secuimus 2 aug. 1817. Femur reclinatum erat in exteriorem partem, uti in

---

(1) Traité du Rachitis, part. II, art. 6.

cervicis fractura. Caro femori circumposita dura, compacta, in suprema parte artus ulceribus fistulosis pertusa. Patefacto articulo, inventum est cotyle cartilagine destitutum, carie hinc inde abrasum, præcipue foveola, in qua teres ligamentum immittitur, cujus nullum vestigium erat. Margo acetabuli, qua pubi committitur, perfractus; caput femoris nudum, cervix avulsa ab osse et magnam partem absumpta, ut videtur a lymphaticis, sicut caput fere insideret basi trochanteris. Juxta apophysin majorem cellularis tela et musculi lardi duritiem assumpserunt, coloremque ex rubro fuscum.

Adolescens tres supra viginti natus annos, gracilioris temperamenti, inveterata jam, et suppurata coxitide, in nosocomium illatus est 1816, ubi tredecim mensibus patienter et constanter lateri sinistro incubuit, donec tabe confectus expiravit.

Hunc, cui nulla medela adhibita fuit, inspeximus. Textus cellularis et musculi femori, et nati dexteræ circumpositi in lardi substantiam conversi videbantur. In hujus substantiæ intervallis densus humor, atrosanguineus latebat, qui per totidem fistulas extus stillabat. Symphises sacro-iliaca, pubisque ita resolutæ, ut os innominatum dexterum sese attolleret, neque amplius pubis tuberculum alteri pubi, neque ischii tuber alteri ossi responderet.

Os præterea ilii magis sinuatum sinistro, in superficie interiori iliaca hinc inde corrosum, et prope ejus spinam anterius multimodis perforatum. Tota compages ejusdem ossis emollita, extenuata, præcipue in acetabuli regione, in qua nullus humor aut sanies deprehensa est. Cartilagines hujus articuli attenuatæ, et ab ossibus sejunctæ, firmo inter se nexu cohærebant. Eandem mollitudinem contraxerat femoris suprema pars, quæ manibus leviter diducta frangebatur, atque ob eandem affectionem periosteum tam ab ilio osse, quam a femore facile detrahebatur.

CAPUT VI.

DE ARTICULATIONE HUMERI ANALOGA.

Fracturas interdum vix, interdum non, nisi longo post tempore coalescere, notum jam inter medentes est. Minus autem notum est, quod fracturæ, etiamsi non coalescant, articulationi tamen analogum statum et facultatem acquirant. De hujusmodi articulationum genere, quod ossium fracturis supervenit, primus, ni fallor, disseruit *Jo. Salzmannus* (*), cujus lucubrationem in manus nostras non pervenisse dolemus.

Gualterus van Dœveren (Specimen observ. acad., cap. XIII) memorat se vidisse costas quatuor in medio suo corpore mobiles in vetulæ

(*) Dissert. de articulationibus analogis, quæ fracturis ossium superveniunt. Argentorati, 1718, in 4.° (*Wenzel.*)

septuagenariæ cadavere. Erat autem ejusmodi articulatio, quæ fit ope intermediæ cartilaginis, ut synchondrosin appellare potuisses.

Alia exempla analogæ articulationis mihi non occurrunt (*), præter nova acetabula ab luxato femore efformata, atque a cl. *Moreau* primum descripta (1), quæ tamen ad fracturas proprie non pertinent, licet ad articulationes analogas referri mereantur.

Sed mittamus aliena et exemplum nostrum paucis proferamus. Juvenis annos natus quindecim ex sublimi tecto deorsum præceps actus in humeri dextri summitatem incidit, eamque in humum ita defixit, ut fovea in ea extiterit.

Intumuit post lapsum humerus, doluitque, quibus malis accersita muliercula, ut potuit, subvenire studuit. Sed quum mulieris artibus humeri usus non recuperaretur, chirurgo cuidam se concredidit, qui baculo sub axilla posito, humerum, quem luxatum putabat, attollere magno conatu, et restituere annisus est. Qua imprudenti molitione id forte consecutum est, ut si prius humeri caput e sede tantum excesserit, nunc per vim, quam sustinuit ob duas oppositas potentias super articulum agentes in partes fuerit diffractum.

Quæcunque autem fuerit prima læsio ab humero terram percutiendo suscepta, quia a vulgari homine nemo, quod verum sit, exquirere potest; certe post mensem a lapsu in nosocomium delatus est. Tunc humeri integumenta ad habitum naturalem redierant: in ejus summitate, et paullo extrorsum aliquid sub cute extuberabat, veluti si ossis diaphysis per vim ab epiphysi sejuncta sursum fuisset propulsa, atque musculi deltoides carnes dividendo propius cuti accessisset. Illa pars ossis, quæ in acutum desinebat et extuberabat, duos latos digitos ab acromii apice distabat. Eo factum est, ut brachium transverso pollice brevius esset sinistro. Illud non potuit extensionibus, quæ adhibebantur, ad pristinam longitudinem reduci; quod an ab elevatorum contractione, an a peculiari fracturæ specie, an ab enatis novis ligamentis evenerit, non facile dictu est.

(*) Wirceburgi anno 1789 in magno nosocomio Julianæo virum quinquaginta circiter annorum vidi, cujus extremitates a rachitide perquam incurvatæ fuerunt. Fracturam femoris sinistri in medio suo corpore per lapsum is passus fuerat, quæ etsi secundum artis regulas omni cura tractata fuerit, sanationem tamen non admisit. Mobile remansit femur in loco fracturæ, fugatis ceteroquin omnibus consuetis fracturæ symptomatibus. Extinctus est postea æger, quo, nescio, morbo. Instituta femoris sectione, extrema fracturæ capita lævigata, superficies quasi articulares offerebant.

Similia exempla observarunt:

B. Bell (Lehrbegriss der wundarznei kunst aus dem Englischen. Vierter theil, Leipzig 1789, 8.° Seit 381).

I. T. Boettcher. Abhandlung von den Krankheiten der Knochen, Knorpel und Sehnen Erster theil, 2.tn verbesserte Auflage. Kœnigsberg und Leipzig 1790, in 8.°

Aliique, quorum mentionem facit *Boettcher*, pag. 124.

Post vulnera ab ictu profecta articulationes analogas aliquoties observarunt ill. *Sömmerringius* et amicus *Bauch* chirurgus legionis primarius apud copias Hasso-Darmstadienses. *(Wenzel.)*

(1) Mémoir. de chirurgie, tom. II, p. 155.

Humeri tum anterius movendi, tum retro agendi facultas erat; aliorum motuum non eadem facilitas. Nam brachium attollere, et manum fronti opponere non nisi anxie annitenti concessum erat. Dum autem humerus tum ante, tum retro agebatur; sonitus quidam sese prodebat prope juncturam, qualis ab aspera editur superficie, non secus ac si summa ossis fracti pars contra caput in cavea glenoide retento allideretur.

Aberat cæterum dolor et tumor, ut jam monui, sed pristina vis artui non redierat, et de quadam ejusdem imbecillitate querelæ movebantur. Quamobrem, ut visum est, ita suasum fuit, ut juvenis exercitiis et deambulationibus plus indulgeret, quam nosocomii ferunt leges, quibus etiam motus expeditiores facti sunt. Interea mollis quædam substantia succrevit, os acutum involvens, et quasi cutem, ne vulneraretur, defensura; cum qua simul et robur brachio restitutum est, ut motus sano similes perageret, et aquas e puteis hauriret. Quod beneficium intra duos menses consecutus est arctiori partim vinctura, partim tonicis et adstringentibus humero superpositis.

Alteram nunc accipe articulationis humeri analogæ historiam a *Petro Bononio,* cl. apud Genuenses chirurgo, mihi suppeditatam.

Vir erat sex supra quinquaginta annos natus, qui ab hæmophtisi graviter decumbebat, et ab ea tandem oppressus fuit. Is cum fortuito viseretur ab modo laudato chirurgo, retulit, humerum sibi sinistrum ab adolescentia fuisse confractum, qui cum juxta artis præcepta fuerit deligatus, non tamen coaluit, sive ob quietem non servatam, sive ob alias forte obscuras causas; nec unquam postea callo induratus est. Atque humerum attrectando, fracturæ sedes statim apparebat, non solum quia inferior pars humeri non sustinebatur a superiori, sed etiam quia insignis ossis portio deficere videbatur. His ita se habentibus admiratus est chirurgus, videns scilicet, motus quosdam prorsus singulares a brachio illo læso edi; hincque iterato eos contemplabatur. Dum enim motum auspicabatur vir ille, cubiti musculos veluti intorquebat; quo singulari artificio inferiorem humeri partem adducebat ad superiorem, natoque sic circa confractum locum puncto aliquo fixo, ut elevatores viribus junctis humerum attollere possent, alterius brachii subsidio in iis sese exercebat diligenter, quæ erant artis suæ; ita ut manum capiti etiam imponeret. Tanta est naturæ solertia, ut aliis atque aliis, quoad potest, consiliis sedulo provideat, ne vitæ nostræ munia penitus intereant.

Post hominis interitum humerus revera fractus est inventus, et densior, quam esse solet, cellularis substantia tum in fracturæ intervallo, tum circa ejus ambitum, quæ musculos superiores cum inferioribus, ac si per medium secti fuissent, quodammodo committebat. Extrema fracturæ capita lævigata et polita quamdam superficiem articularem exhibebant, unde præternaturalis veluti junctura inter ossa fracta subnata erat; dexteri humeri longitudo pedis unius Parisiorum erat; lævi autem utraque pars fracta simul sumpta nonnisi dimidium pedem et pollices tres æquabat. Pondus item dexteri unciarum sex, sinistri unciarum duarum. Itaque quarta parte brevior erat

sinister humerus, et plus dimidia parte levior dextero, quod non videtur respondere proportioni ejus longitudinis.

Hujusce discriminis ratio inter pondus utriusque humeri sita esse videtur in diaphyseos jactura, quæ cum ossis pars sit firmior solidiorque, est etiam ceteris partibus gravior. Et sane humeri sinistri, quæ supererant extrema, fabricam spongiosam, levemque plusquam debuissent, retinuerunt, quod ætati minus firmæ tribuendum est, in qua fractura acciderat; tunc enim ossa nondum perfectum adepta incrementum fuerant.

Articulationem analogam in humeri osse bis vidi, in femore non prolapso semel tantum, quod præsens historia, nisi oculus me fallit, ostendit.

Juvenis annos natus 23 in latus dextrum procumbens, vehementer percussit ejus lateris coxam, et per dies aliquot conquievit. Postquam e lecto se proripuit, claudicavit diutius, dein æquo passu incedendi facultatem recepit. Triennio postquam ceciderat, mihi sese præbuit spectandum 30 oct. 1807, in eoque hæc potui animadvertere: quod femur dextrum crassius esset sinistro; artus eadem longitudine; os innominatum a dextris aliquot lineis depressum; demum processus major introrsum propulsus. Dum femur dimovebatur, crepitabat articulus, et trochanter æque in interiorem quam in exteriorem partem commode convertebatur.

Quibus cognitis, visum mihi fuit, cervicem femoris transversim prope caput fuisse distractam, videlicet supra eam sedem, qua ligamentum orbiculare cervici inseritur. Quare musculi, qui in sinu trochanteris infiguntur atque ad ejus basim, quoquo versus femur circumagere poterant. Hinc etiam apparebat nihil de cervicis substantia deperditum, aut absorptum fuisse, quemadmodum in plerisque cervicis fracturis evenire solet; atque fractas extremitates ita continuo usu fuisse lævigatas, ut in femoris motionibus sine tædio extremitates inter se confricarentur. Neque aliter explicari poterant musculorum actiones, qui ferme sponte in orbem ducebant femur ab interiori parte in exteriorem et contra. Cæterum commode ingrediebatur, plicarique articulus, et extendi sine injuria poterat.

Hoc itaque judicium hac super re protuli; neglectam cervicis fracturam non conferbuisse; interim tamen membranas, musculos et ligamenta eam firmitatem aquisivisse, ut in propria sede ossa continerent, inde factum esse, quod rarius contingit, ut insolita articulatio naturali analoga conficeretur.

CAPUT VII.

DE DUOBUS RARIORIBUS CERVICIS TUMORIBUS.

Quos hic profero cervicis tumores, etsi inter se dissimiles, inter rariores tamen ponendi sunt: alter cum brachii paralysi, alter cum capitis obstipitate erat conjunctus.

De priore nunc dicam, qui 29 maji 1787 in viro trigesimum annum attingente a me fuit observatus. Is tumor ad latus colli dextrum situs intra duorum mensium spatium lente increverat adeo, ut cum a me spectaretur, totum eum occuparet tractum qui inter processum mastoideum et sternum jacet. Huic tumori conjuncta erat brachii dextri movendi difficultas; quam quidem ob causam eum incidere verebar tum propter positionem, tum etiam ob naturam, quæ mihi satis perspecta non erat. Quare malui setaceo illum aperire, lymphæque flavescenti ac tenui, quæ intus continebatur, exitum dare. Mox illa in saniem conversa abundantius fluere; brachium simul tumere, et ad motum ineptius reddi. Saniei vim auxit febris, quæ non tarde accessit, et setacei a summo ad imum incidendi imposuit necessitatem. Exactis duodecim fere ab incisione diebus, brachium attolli paullulum poterat, licet ponderis sensu non careret. Quod pondus postea imminutum est adeo, ut collum et brachium motus proprios recuperaverint; imo ulcus intra duos menses ad fistulæ tenuitatem redactum est, ex quo pauxillum seri cutem subjectam rodentis prodibat. Quare septembri mense veluti expers mali et periculi discessit; paullo post vero rediit, et mox post reditum repente obiit. Dissecta festinanter cervix ostendit processus transversos postremarum quatuor cervicis vertebrarum esse carie affectos, nervosque, qui inter eos prodeunt, fere nudatos. Me certe pœnitet, non ultra rimatum esse caput; alias enim vel intra cranium, vel in theca vertebrarum hujus mali originem detexissem (*).

Cervicis alter tumor hærebat in puero annorum duodecim, qui per menses quinque prægnantis nutricis ubera suxit. Bene tamen valuit usque in septimum ætatis annum, in quo præter exspectationem capitis tinea fuit correptus. Hæc idoneis pharmacis in hac urbe ministratis feliciter propulsa est. Crevit postea cum ætate prospera valetudo, liberius jam indulgebat puerilibus ludis, aliisque exercitiis corpus nimium fatigantibus et sudorem prolicientibus, quem compescere solebat frigore, quod fronti lapides admoti communicabant.

Anno 1792 febris, ut ajebant, catharralis eum tenuit saburræ intestinali conjuncta, cui quidem opportunis evacuantibus occursum est. Verum si,

---

(*) Tumoribus, ut vocari solent, limphaticis non absimilis videtur ille, cujus historiam modo retulit cl. auctor; et si conjecturæ locus est, cyphoseos specie illum excitatum, vel saltem comitatum fuisse dicerem. *(Wenzel.)*

quod ego sentio, libere proferendum est (vix etenim de præcedentibus sincera relatio obtineri potuit), febris amphimerina nunquam puerum dimisit, ex quo eum invasit: medicus enim, qui ineunte anno 1793 curationem susceperat, affirmabat januario mense ejusdem anni febrim se observasse non ex intermittentium genere, sed ejusmodi, quæ macie, sudoribusque totum corpus absumeret. Dein cum febri adfuisse tussim, quæ frigidiori tempestati tribuebatur, et tumorem ad colli latus dexterum et glandularum conglobatarum obstructionem, et herpetem in carpo et cubito dextero sese ostendentem.

Re quidem vera febrim amphymerinam præcessisse videtur, aut saltem tumori comitem fuisse dolorem aliquem ad cervicem cum quadam caput attollendi difficultate, quem mox insecuta est intumescentia plana et latior, cutemque non afficiens sub ipso trapezio dextero leviter tum dolente. Eam ob causam caput in priorem partem, et paullo sinistrorsum reclinatum erat; ideoque puer sedendo pulvinar sinistro tempori supponebat, super quod caput recumberet; et stando utrisque manibus illud sustentabat, non secus ac caryatides in magnis ædificiis mento ad sternum appresso, firmatoque per manus capite conspiciuntur ingentia onera sustinere. Præter hæc omnia torpor quidam, et formicatio molestior erat, brachium subinde, subinde crus dexterum afficiens, qui tamen neque in debilitatem, neque in paralysin earum partium transiit.

Puerum huncce valetudinis causa ex patrio montano solo in hanc metropolin parentes deportarunt, in qua sine ullo interno medicamine intra mensem profecit sic, ut febri, sudoribusque nocturnis dissipatis, tumor ad cervicem contraheretur, et quandam etiam mollitiem ostenderet. Alterius mensis spatio vividior factus puer, et sine extremorum formicatione expeditior domo exire, et per urbem inambulare potuit. Inter hæc non mollities amplius in superiore cervicis parte, sed fluctuationis quidpiam deprehendebatur. Atque ideo loco incisionis plagam lapide caustico excitavi; et post decem dies plagam alteram paullo infra superiorem eodem caustico admoto aperui, per quas elicita copiosius materie detumuit cervix, promptiusque caput auxilio manuum elevari potuit.

In patriam dein secessit per duos illos menses, in quibus æstus hic maxime noxius est, servatis ulceribus, melioriqne rediit valetudine, quam dum discesserat: febris etenim jamdudum abierat, corpus enutritum erat, et caput absque manuum ope erigebatur. Durities tamen, sive congestus dimidiæ cervicis nondum discussus erat; plagæ a cauteriis excitatæ fere coierant; hincque causticum denuo appositum est, sed ampliori sedi, ingentique suppuratione mota melius in dies habuit puer, et præter cætera id jam, quod prius optandum erat, eidem contigit, ut caput absque fulcro sustineret, et pedibus ita valens esset, ut per integrum diem cursitaret. Interim per hyemem decocto corticis peruviani usus est, quo vires mirum in modum erectæ, et cervicis plagæ ad cicatricem feliciter perductæ permiserunt puero ut circa medium februarium anni 1794 ad suos rediret capite nonnihil ad lævam reflexo, et cervice nonnihil rigida permanente.

CAPUT VIII.

DE QUIBUSDAM COXÆ VITIIS.

Ossis femoris cum osse innominato commissura ejus est naturæ, ut robore et firmitate reliquas corporis articulationes longe antecellat; id quod procedit tum a figura modoque, quo ossa hæc sese excipiunt; tum a validis ligamentis, plenisque musculis, quibus articulus ipse comprehenditur. Partium, quæ coxæ articulum aut constituunt, aut circumdant, numero et varietati fere respondent morbi, qui sæpius juncturam illam male afficiunt. Morbi hujusmodi eo sunt deteriores, quod non semper evidentibus et propriis signis se produnt; sed persæpe communibus, aut dubiis, ut diagnosin incertam reddendo magistrorum artis judicia confundant.

Et ad diagnosin quod attinet, in historia chirurgica illud est memoratu dignum, quod Paræi duntaxat ævo cervicis femoris fractura innotuerit. Quæ res effecit postea, ut medici statuerent, multo frequentiorem esse cervicis fracturam, quam capitis femoris luxationem. Argumenta, quæ a practicis ad hanc opinionem firmandam in medium proferuntur, tam solida esse videntur, ut, qui contrarium sentire velit, vel rudis omnino sit, vel aliud omnino sentire nequeat, nisi propria certaque experientia suffultus. Etenim cavitas in osse innominato profunde excavata femoris caput recipit ea magnitudine et figura præditum, quæ cavitati, in qua excipitur, quodammodo respondeat; in eaque continetur tum ob peculiarem configurationem, tum ob robustissimum ligamentum, quod articulo circumpositum est. Huic in subsidium venit ligamentum alterum, *internum* dicunt, et *teretem*, quod lacerari facilius posse autumant, quam ut femoris caput ex acetabulo prolabi sinat. His rationibus addantur aliæ ex ipsius articuli structura petitæ, veluti acetabuli margines multum elati, et validorum musculorum numerus circa articulum dispositorum, quorum singuli quovis modo excessuro capiti sese opponunt (*).

Quamvis autem femoris luxationes difficillime videantur posse contingere; iis præcipue, qui obstacula omnia, per quæ femur retineri creditur in cavitate, considerant juxta leges ab recepta theoria pendentes; illæ tamen eveniunt; neque raro eveniunt, multumque sæpe negotii chirurgis facessunt, ubi sedulo de ossis elapsi restitutione cogitandum est.

(*) *Petit*, Maladiés des os, liv. 1, c. XI. *Portal*, Précis de chir. (*Wenzel.*)

Art. I.

De acetabulo.

Ne autem, quæ proposuimus, parum firmis niti videantur argumentis, juvabit articuli femoris structuram paullo attentius contemplari, ut inde pateat, num obstacula, quæ opponuntur a partibus tum duris, tum mollibus prope articulum sitis, adeo valida plenaque sint, ut luxationem difficillimam reddant.

Et profecto, si osseas partes articulum componentes diligenter observaveris, hinc nempe sinum coxæ, inde femoris caput, multo ampliorem, atque, ut ita loquar, assymetricam reperies acetabuli cavitatem, proportione habita ad capitis femoris crassitiem. Atque inde fit, ut caput modo memoratum non in omnibus superficiei internæ punctis acetabulum contingat; atque ideo utriusque etiam ossis connexio et susceptio minus firma sit, valensque, quam hucusque plerique existimarunt.

Ut rem, de cujus utilitate minime ambigebam, magis magisque perspectam haberem, sæpius alterius lateris os innominatum cum femore ex cadavere evulsum examinavi, et ex aversa ossis innominati parte modo superius, modo infra de fundo aliquid scalpro ademi, sic ut coxæ sinus patefieret; idque interdum ampliori, interdum minori hiatu: videlicet vel a parte interiore fundi cotyloidei ossis particulam ex concava ossis ilii facie detraxi; vel a parte superiore acetabulum nudavi ex ramo pubis transverso quidpiam præcidens. Hac ratione haud modica capitis superficies intra acetabulum nuda conspiciebatur, illæsis, quæ articulo inseruntur, ligamentis et musculis qui juncturæ sunt circumpositi.

Res enim vero anatomico digna nec injucunda fuit contemplari varios motus capitis femoris, positusque varios, quos idem in ampla cotylis cavitate sumit, et miras, quas facit ligamentum teres, contorsiones. Sunt autem hæc quæ observavi: Femoris caput cotylis fundum contingit, dum pes super tabulam firmabatur; dum vero pes nulli fulcro subnixus, artum pendere cogit, videtur caput recedere a fundo acetabuli intervallo linearum duarum cum dimidia. Si femur inflexum est, ejus caput ad cotylis posteriora accedit; proptereaque ab anteriori parte relinquit lineæ unius spatium. Si vero flexo crure femur extrorsum ducitur et divaricatur, femoris caput semirotationis motum efficit, tenditque interius ligamentum, vacuumque in acetabuli priori parte relinquit. Contra in abductionis motu semigyrum priori contrarium describit femoris caput, laxando nempe teres ligamentum, et per lineæ spatium recedendo a cotylis pariete exteriore. Distenditur itidem interius ligamentum, sive artus pendulus sit, sive femur sit flexum. Dum laxatur hocce ligamentum, ejus membrana plicatur in sulcos quosdam modice ligamenti directionem mutantes, quod generatim oblique et paullum transverse procedit ab interiore parte ad exteriorem.

Jam vero acetabuli capacitas longe major, quam quæ a capitis crassitie

postulari videretur, causam prodit, cur non admodum raræ sint femoris luxationes. Etenim si caput femoris ab acetabulo arctius complecteretur, tanta esset vis contactus vel continuitatis, ut ejusdem potius collum abrumperetur ab externa injuria, quam caput e sede expelleretur. Sed cum caput veluti suspensum sit intra acetabuli cavitatem, dum ad agendum impellitur; rectis vim exercet contra marginem acetabuli, qui cavitate ipsa contractior est, ejusque superata resistentia e sede prolabitur.

Amplitudo, quam innuimus, acetabuli quorumdam etiam phœnomenorum in coxæ morbis occurrentium idoneam explicationem suppeditat. Evenit interdum, ut post ictum vel casum artus paullo longior evadat, quæ res ambiguam reddit mali indolem, præsertim si artus longitudo tanta non sit, quanta in luxationibus observari solet. Ambiguitas post dies aliquot tollitur, dum sensim artus in pristinam figuram restituitur. E contrario si musculi a stimulo aliquo doloreve in contractionem cieantur, membrum fit brevius, neque nisi sedato dolore aut remoto stimulo ad naturalem longitudinem redit. Os itaque femoris, quod a sola vi musculari modo longius, modo brevius redditur, dum reliqua artuum ossa his mutationibus non sunt obnoxia, spatio aliquo præditum esse oportet, in quod capitis partem interdum recondat, interdum eandem exserat. Quæ sane vicissitudo intelligi nequaquam posset, nisi spatium quoddam inter femoris caput et acetabulum admitteretur, quod per vices vel ex toto a femoris capite occupatum, vel eo recedente liberum, eam varietatem efficeret in artus longitudine, quam supra indicavimus.

Dimensiones spatiorum in acetabulo, quæ a variis capitis motibus suboriuntur, non sunt a me captæ ea qua debuissent diligentia; nam cum in variis ætatibus varia sint dimensionum discrimina, ad numerum medium statuendum in pluribus individuis deberent confici. Ego tamen existimo, discrimina spatiorum liberorum, quæ observata fuerunt in cotyli multo ampliori, ratione minoris crassitudinis, et motuum variorum, quibus femoris caput subjectum est, ad intelligendas phœnomenorum superius expositorum varietates sufficere.

Alterum argumentum, quod adversus luxationis facilitatem adducitur, ab capitis ligamentis desumptum est, cujus quidem futilitatem paucis demonstrabo: et ligamentum, quod orbiculare vocant, licet valentissimum sit; ita tamen subtensum non est, ut non laxetur, et obsecundet variis femoris motibus. Præterea ejusdem ligamenti origines sive insertiones multum ab articulatione remotæ sunt. Nam ex parte acetabuli circulatim ab osse innominato procedit sat ultra fines marginis cotyloidei; et ex parte femoris non nisi ad basim longæ ejusdem cervicis inseritur, quæ connexionum distantia facit, ut minuatur robur, et vis, qua alias luxationi obsisteret. Demum, si animadvertamus, ligamentum capsulare non obstare, quominus caput cotylis fundo accedat propius, nunc ab eo recedat, atque vel in interiorem, vel in exteriorem partem convertatur; facile est judicare illud ligamentum non adeo esse adstrictum tensumque, ut caput cum quadam

vi et firmitate in sua cavitate valeat retinere; imo scire licet, inter manticulæ insertionem et labrum acetabuli tantum spatii intercipi, ut in eo tanquam in sinu proprio caput femoris excipi possit absque ullo præcedentis lacerationis vestigio. Et revera ab experimentis discimus, et ex animadversionibus *Kirklandii* (1), nunquam orbiculatum ligamentum lacerari a femoris capite, dum prolabitur; sed ligamentum discerpi duntaxat circa femoris collum; et, si quando id contingat, ideo discerpi, quia nimiam circa collum, cui inhæret, distensionem patitur. Solidissimum vero (putant) adversus luxationis facilitatem argumentum ab ligamento interiore petunt. Vulgata opinio est, quod non solum id ligamentum validissime sese luxationi opponat; sed etiam quod luxatio nunquam eveniat sine ejusdem laceratione aut evulsione; hinc illud vinculum inter præcipua esse subsidia, quibus femoris caput in naturali sede conservatur.

Videamus modo, utrum hæc sententia anatomicis suffulta sit demonstrationibus. Primum, quod demonstrari oportet his, qui ligamentum teres contemplantur; est nimia ejusdem longitudo, quæ luxationi præcavendæ nequaquam idonea est. Præcisis enim musculis omnibus, ipsoque vinculo orbiculato circa articuli ambitum, femoris caput, superata interim labri cartilaginei resistentia, anatomici manu propellitur ex cavitate, et lineis aliquot ultra acetabuli fines excurrit, quin teres ligamentum disrumpatur, aut recedenti capiti, cui inhæret, obsistat. Dum vero in suam cavitatem caput denuo compellitur, idem vinculum adhuc integrum plurimum laxatur, et quasdam veluti flexiones facit, ut cavitati cotyloideæ sese accommodet.

Sed nimiæ longitudinis ratio, quæ tereti ligamento tribuitur, in iis solum luxationibus locum habere potest, quæ in inferiorem et interiorem partem accidunt, non item in iis quæ superiora versus contingunt. Porro concedamus, vinculum teres tunc solummodo longius, quam par esset, videri, et integrum manere, cum luxationes in inferiorem partem fiunt. Quod cum reapse et naturaliter longius sit, demonstratum esse puto, supradictum ligamentum non posse ob longitudinem suam hujusmodi luxationibus obsistere, quæ infra acetabulum fiunt. Sed neque iis resistit, quæ sursum fiunt; nam data causa femur luxatur etiam in partem superiorem, et tunc ligamentum discerpitur potius, quam ut femur contineat, et hæ luxationes prioribus sunt frequentiores. Illud porro hoc in casu animadversione dignum est, quod capite in pristinam cavitatem reducto, ex ea non amplius prolabatur, quamvis suspicari liceat ligamentum teres fuisse laceratum. Itaque non opus est hujus ligamenti subsidio, ut in ossis innominati sinu caput femoris contineatur; sive enim illæsum sit ligamentum, sive discindatur; femur perinde luxatur, et repositum in sinu absque ligamenti integritate conservatur.

---

(1) Epist. super fem. luxat.

Quod nunc assero, id pluribus exemplis et nostris et alienis possem comprobare, nisi pauca sufficerent. Exceptus est in nosocomium die 22 aug. 1785 juvenis annorum 17, cui paucis ante horis femur sinistrum in superiorem et exteriorem partem prolapsum fuerat. Mox illud restitutum fuit, atque tertia hebdomada nondum præterlapsa, tam bene valebat, ut singulis motibus exequendis esset idoneus. Huc referas observationem a *Zaccharia Plattnero* (1) memoratam: « Artifici ex contignatione prolapso femur in interiorem et inferiorem partem excidit, restitutumque fuit a chirurgo. Non multo post tempore ex gravi capitis vulnere obiit, cadaverisque sectionem perfecit ill. *Walther*, qui femur quidem restitutum invenit, teres autem ligamentum disruptum; ex quo credidit, in adultis hunc articulum vix unquam posse promoveri absque interioris ligamenti fractura.

Non desunt etiam argumenta directa, quibus probatur, femoris caput in sede sua fixum et stabile esse sine medii ligamenti interpositione. Hæc desumpta sunt ex sectione eorum, qui nullam, dum in vivis erant, luxationem passi sunt. Memini vidisse me aliquos inter secandum, ligamento tereti omnino carentes, quibus tamen femora non exciderant. Id semel observavit ill. *Caldanus* in viro, dum viveret, non claudicante, cui et teres ex utroque latere vinculum, et fovea in capitis femore ad id excipiendum deerat. Nam circumsecto articulari ligamento uterque femur in tabulam anatomicam decidit (2). Id ipsum adnotatum est a celeb. *Sandifort* (3), a *Salzmanno* (4), a cl. *Andrea Bonn* (5) et forte ante hos omnes a *Bernardino Genga* (6), qui teretis vinculi jacturæ in iis deprehensæ mentionem faciunt, in quibus luxatio nulla præcesserat (*). Quod ligamentum ubi desideratur, rubescens quædam macula in capitis summitate observatur, cui tenuis supertenditur membrana locum designans, in quem vinculum teres immitti debuisset. In acetabuli autem fovea, ex qua ligamenti radices educuntur, vix quidquam, nisi informis pinguedo

---

(1) Instit. chirurg., § 1194, not. *A*.
(2) Ex literis 26 maji 1786.
(3) Observ. anat. pathol., lib. III, cap. 10.
(4) *Haller*, diss. anat., vol. VII.
(5) Thes. oss. morb., n. 42, 43, 47.
(6) Anat. chirurg.

(*) In iis, quorum ossa arthritide, vel atroci et male tractata, vel inveterata admodum et neglecta, læsa sunt, nec ligamentum suspensorium femoris, nec foveæ pro ejus insertione prehenduntur. Ligamentum consumptum est, et foveæ nova materie ossea aut ex parte, aut omnino obductæ, aut penitus obliteratæ sunt. Nec tamen femur excidit, nec excidere valet; acetabulum enim accedente ut plurimum nova materie ossea tantopere elongatur, ut non solum femoris caput, sed et ejusdem collum fere penitus, et firmiter quidem includat. Insignem hujus mali coxarum et femorum numerum in collectione pathologica cum fratre dilectissimo communi asservamus. Occurrunt quidem coxæ ex arthriticorum numero, quarum acetabula supra modum plana sunt, et in quibus nullum simul foveæ illius pro ligamenti suspensorii femoris insertione vestigium cernitur, ut exinde femoris luxatio inevitabilis præsumatur; sed etiam in hisce speciminibus, saltem in iis, quæ nos coram habemus, nihil omnino luxationis observare licet. Plura desuper protuli in dissertatione mea: *De ossium arthriticorum indole*. Maguntiæ, 1791, in 8.°
(Wenzel)

reperitur. Etsi autem deficiente interiori vinculo femur prolabi non soleat; verendum tamen est, ne illius defectus in alterutro latere artum saltem ita afficiat, ut claudicare hominem cogat. Id certum est, quod ab alicujus corporis interpositione debent paullum a se invicem diduci femoris caput et acetabulum; hinc eo liberiores erunt motus capitis, quo minus arcte illud a sinu comprehenditur, et quo magis ei ligamentum sese opponit, ne in acetabuli parietes impingat. Sed hæc non nisi conjectando proposui; quæ tunc demum rata erunt habenda, cum demonstrata fuerint ex eorum anatome, qui a sola ligamenti interioris inopia claudicasse videbuntur.

Itaque si acetabuli capacitas superat capitis magnitudinem; si ligamenta et musculi non ea vi luxationi resistunt, qua vulgo existimatur illas potentias obsistere posse; facultatem, qua caput in propria sede retinetur, his causis minime subesse credendum est. Aliam igitur potentiam articulo inhærere, quæ id præstat, neque ab omnibus animadversam, satis constat. Labrum scilicet cartilagineum acetabuli, quod crasso principio ab ora sinus innominati ossis exortum, summeque elasticum sensim in aciem extenuatur, quin ideo imbecillius evadat, amplectiturque femoris collum sub capite, valideque circa illud coarctatur. Quapropter, si cuidam placuerit femur ex sinu suo expellere, postquam orbiculatum ligamentum subsecuerit; vis, quæ in osse promovendo adhibetur, excipitur tota a labro cartilagineo, cujus elasticitas cum devicta fuerit, caput prorumpit edens crepitum magis minusve vehementem, qui tum a cartilagineo margine superato, tum ab aëris impetu in acetabulum irruentis oboritur. Quare cum cartilaginei marginis vis et constrictio præcipuum ponat obstaculum capiti, ne ex sinu suo prolabatur, evidens est, interiori ligamento aliud officium a natura esse tributum, quam quod eidem hucusque imponebatur; cujus ideo ut usus melius appareat, exponenda sunt quæ per sedulam dissectionem deprehendi.

Art. II.

De ligamenti teretis structura.

Porro examen ligamenti teretis institutum est in infantibus diversæ ætatis, tum etiam in adultorum corporibus; ex quo liquet, vinculum, quod vocatur teres, ex tribus portionibus seu funiculis ligamentosis constare. Eorum alter anterior est; alter videtur esse superior, idemque posterior; postremus vero inferiori loco situs est. Prior a transverso acetabuli ligamento exsurgit, quod interruptum ejusdem marginem jungit, et transversa directione versus caput femoris procedit; alter ab eodem transverso ligamento, sed magis retrorsum exoritur, tum ab ea ossis ischii parte, quæ in acetabulum confluit. Postremo funiculo radix expansa, et veluti duplicata contigit, quæ acetabuli foveæ a cartilagine liberæ inhæret. In juvenili ætate tres, quos indicavi, fasciculi satis inter se distincti sunt, atque ex ligamentosis fibris coagmentati, paullo diversa directione in capitis foveolam immittuntur.

Dixi paullo diversa: etsi enim funiculus ex tribus portionibus conflatus manifeste triquetrus sit; anguli tamen non in rectum porriguntur, sed leviter intorquentur, maximeque superior, quæ contorsio in adultis manifestior est, quam in infantibus.

Communi tenuique obteguntur membrana prædicti fasciculi, per quam vulneratam si demittatur exile specillum, cavitatis cujusdam vestigium in funiculo deprehenditur. Specillo tres patent viæ: altera sursum versus femoris caput, et ad ejus foveolam, quo absque conatu specillum pergit: altera deorsum versus cotyle ducit, quæ amplior, et a fasciculo superiori tecta in acetabuli foveam desinit. Quum autem radices fasciculi superioris, ut dictum est, latæ sint, et sub eo lateat glandula mucipara cum adipe, sive quod dicitur apparatus synovialis; ita contra eas partes difficilius urgetur specillum. Demum si specillum versus primum fasciculum, seu anteriorem dirigatur; canalem satis amplum offendit, et sine mora sub ligamento transverso, quod scissuram acetabuli conjungit, super externum obturatorem musculum excurrit prope minora illa vasa, quæ, uti exponetur, ab ipso interiori ligamento excipiuntur. Ita in pueris ligamentum hocce examinando evenit interdum, ut immissum a parte capitis tenue specillum totam vinculi longitudinem percurreret, et per acetabuli scissuram juxta memorata sanguinea vasa prodiret.

Hæc vasa præcipue arteriosa in superiori parte foraminis ovalis ab obturatoriis educta, et ligamento transverso protecta per incisuram acetabuli in caveam vinculi teretis penetrant inter ligamentosas ejusdem portiones. Truncus deinde arteriosus versus caveæ medium in duos abit ramos, quorum alter per ipsam funiculi cavitatem usque ad capitis femoris foveolam fertur: alter oppositam viam tenens, in scabra acetabuli fovea disperditur (1). In fovea illa aspera, quæ cartilagine caret, et quæ ab altera ex radicibus vinculi teretis occupatur, non infrequenter observantur foraminula quædam, in juniorum præcipue acetabulis, per quæ vasa ad diploen perveniunt.

Ligamentum, cujus partes mox descripsimus, figuræ est prismaticæ in fœtubus 7 vel 8 mensium; angulique ab ipsis fasciculis ligamentosis constituuntur, communi, ut dictum est, membrana colligatis, a perichondrio nempe continuata, quod acetabulum femorisque caput convestit. Cum portiones sæpius dictæ ligamentosæ triplicem habeant originem; mediam, sed exiguam relinquunt cavitatem, quæ tenuem aciculam admittat. Hæc cavitas amplior est, qua acetabuli foveæ et ligamento transverso obvertitur; angustior vero, quo femoris capiti propior est; ut proinde figuræ sit fere conicæ, basi ad acetabulum, apice vero ad femoris caput spectante. Cavea, quam modo indicavi, manifestior erit, si nudato musculo obturatorio externo, ablataque cellulari, quæ circa foramen ovale est, specillum tenue

(1) Conf. *Ruysch*, Adv. anat. 2, tab. III, B. B.

demittatur per ligamentum, et juxta illa vasa, quæ superius fuerunt notata, impellatur usque ad capitis femoris foveolam. Itaque teres ligamentum, qua parte foramen ovale spectat, veluti pervium et hians est ad speciem infundibuli, præsertim in toto illo tractu, quo se extendit acetabuli incisura; proptereaque non difficilis est vasculorum illorum scrutatio, quæ per ligamenti interioris caveam ascendunt.

Ligamentum interius trianguli formam habere in fœtubus, angulosque ab ligamentosis portionibus esse constitutos jam monuimus. Porro varietatem quamdam animadverti in figura angulorum, quæ alia est in fœtibus, alia in adultis. In illis anguli lineam rectam conservant; in his paullum se intorquent, et spiralem lineam affectant. Hoc phænomenon contemplanti videbatur mihi a vero non esse alienum, quod ob varios femoris motus quibus pueri adultique subjacent, angulorum directio ab recta in aliam mutaretur. Et sane fieri aliter nequit, dum femoris caput in gyrum movetur, quam ut ligamentum teres ejus motus, et rotationes sequatur, vel anterius in flexione, vel retrorsum in extensione, vel intus forisve in motibus femoris lateralibus. Itaque dum femoris caput intra cavitatem circumducitur, et veluti supra axim movetur, necesse est ut quædam fiat in ligamento tereti contorsio, per quam ejus figura infantili ætati propria mutatur. Hujusmodi contorsio præter figuram exteriorem mutat etiam interiorem ligamenti habitum, caveam in adultiori ætate obliterando; motuum enim et variarum pressionum ope, quas femoris caput exercet, fasciculi ligamentosi comprimuntur, et magis inter se junguntur, ita ut ex uno funiculo conflati videantur.

Exposita sic ligamenti interioris structura, una cum observationibus pathologicis ad id attinentibus, statuendum esse apparet, munus ligamenti aliud non esse, quam illud, vasa nempe sanguinea intra funiculi caveam dirigere eaque protegere, ut juncturæ nutritioni inserviant, tum etiam abnormes capitis motus aliquo modo coërcere.

Art. III.

De quibusdam femoris luxationibus.

Nemini fortasse chirurgorum difficilior, et moliminis plena visa est femoris luxati restitutio, præterquam *Jo. Zacchariæ Plattnero* (1). Etenim si reliqui consulantur, qui de re chirurgica scripserunt, audies eos docentes, incomparabili felicitate femur luxatum recondi posse; dummodo molitiones quædam et extensiones, quas egregie satis calamo exprimunt, adhibeantur. Verum si easdem adhibeas molitiones et cautelas ubi fert occasio, non eundem plerumque, quem promittunt, eventum habebis; ideoque nonnulli

---

(1) Institut. chirurg., § 1201.

ingenio, doctrinaque præstantissimi viri in id operam suam contulerunt, ut rationes alias simpliciores, et simul efficaciores excogitarent, quæ eundem effectum tuto et certius præstarent. Inter alias quam plurimas valde commendari meretur methodus a cl. *Dupouy* (1) proposita, qua femur luxatum commode interdum reponitur.

I. Anno 1781 duodecim annorum puer, cui femur sinistrum exciderat, in nosocomium delatus est. Genu cum pede extrorsum vergebat; crus ita interius versus alterum adduci poterat, ut puero majorem molestiam non crearet. Musculi exstensores tibiæ flexiles erant, motibusque obsequentes, et crus aliquanto brevius dextro. Clunis sinistræ sulcus humilior, minusque profundus, et trochanter nonnihil retrorsum recesserat. Quæ signa inter se comparata, cum fracturæ colli suspicionem abstulissent, luxationemque confirmare viderentur; de femore restituendo mox cogitavi: quam repositionem eo plane modo obtinui, quo cl. *Dupouy* primum usurpavit; scilicet firmato prius ab adstante osse innominato, extensoque satis crure, pedem, genuque introrsum compuli, simul ab intensione remisi, cum os emotum sponte sua in cavitatem rediit.

Os ita restitutum nec spleniis, nec fascia firmatum fuit. Existimabam etenim ob cotylis profunditatem non ita facile os denuo excessurum esse; attamen semel, iterumque femur excidit, quin unquam puer e lecto prodierit; quod iterum, et tertio eadem facilitate, modoque in sedem suam compulsum est. Tunc idonea fascia pelvim, femurque continui; id præcipue animadvertens, quod gyri ejusdem compressioque in trochanteres agerent; simul etiam panni ex aqua vulneraria expressi coxæ superinjecti sunt per dies 15, quibus transactis, puer sine claudicatione fuit sanatus.

II. Anno sequenti die 26 novembre mediæ ætatis vir in nosocomium intravit, cui ob casum femur dexterum exciderat. Cum diligentius membrum inspicerem; femur superiori parte latius, musculum tricipitem tensum esse; tumorem insuper in inguine renitentem deprehendi, et immutabilem, sive femur, sive crus flecteretur, etsi ejusmodi flexiones non sine dolore molestiaque contingerent. Genu et pes constanter extrorsum spectabant; trochanter antrorsum nonnihil conversus; natis sulcus paullo inferior, ac solet et veluti distractus. His tamen mutationibus vix brevior artus factus est.

Comperto itaque, femur luxatum esse sursum et paullo extrorsum, repositionem sic moliebar. Firmata pelvi, pedem a ministro intendi jussi, dum ego extremo femore circa condylos apprehenso, auctisque extensionibus in interiorem partem genu compuli; et mox auditus est sonus, qui a restituto osse excitabatur. Deligatum femur aqua vulneraria irrigabatur; et quietis per mensem continuatæ beneficio robur pristinum recepit.

III. Quamvis methodus hucusque enarrata plurimis in casibus salubris fuerit; non tamen in omnibus æque feliciter cessit; sive quod luxationis

---

(1) Journal de méd., t. XXVI.

non eadem species fuerit; sive quod obstacula vix superanda interponerentur. Mense decembri anni 1782, vir quinquagenarius in trochanterem sinistrum prolapsus, cum graviter eum contudisset, mox cruris usum amisit, lectoque se continuit. Quisnam tunc fuerit cruris læsi status (decem quippe milliaribus ab urbe distabat), non ita facile ab ægro potuit extorqueri. Hoc tamen significavit, se chirurgum advocasse, eumque omnem operam posuisse, ut femur, quod luxatum apparebat, conderet: verum cum diutius frustra molitus esset repositionem, eum re infecta discessisse, seque empyrico cuidam ex eorum turba videlicet, qui se jactant, ossibus componendis peculiari facultate se esse donatos, concredidisse; sed ab hoc quoque repositionem non melius fuisse peractam. Demum quoad usque lecto se continuit, artum immutatum apparuisse; cum primum vero incedere tentaret, breviorem se illum deprehendisse.

Ægrotus, qui hæc narravit, duobus et amplius post lapsum mensibus in nosocomium delatus est, ubi femur in superiorem et exteriorem partem emotum fuisse videbatur; crus namque duos latos digitos brevius et extrorsum inclinatum erat; clunis sulcus et trochanter multo elatiores. Itaque ne dolores aut distractiones innovarentur, modo superius tradito crus intendi quotidie jussi; qua operatione ad sani longitudinem extendebatur; sed in sedem suam nunquam potuit os compelli, licet pluries et diutius id fuerit tentatum.

Cum mihi non videretur expedire, ut alia fierent molimina; ægroto concessum est ut lecto se proriperet, qui, ut artus imbecillitati subveniret, scipione corpus firmare cogebatur, atque inter incedendum summis digitis terram radebat; cum e contrario os calcis multum esset retractum. Porro dolores, qui supererant, paullatim soluti sunt, et genu cum pede constanter in verticali hominis positu extrorsum vergebat.

Magno forsitan in errore versatus sum, dum existimavi hunc articulum nullam amplius curationem recipere posse: non enim illico abjicienda omnis sanationis spes est; dum quædam alia experiri licet auxilia, quæ meliorem effectum sunt allatura. Neque luxationis vetustas nos adeo absterrere debet, ut ab operandi conatu desistamus; etenim cl. *Cabanis* (1) in muliere post exactum partum femur restituit, quod duobus ante annis in superiorem et exteriorem ossis innominati faciem proruperat. Primo quidem emollientibus sub varia forma adhibitis articulum disposuit per menses duos, tum *Petiti* machinamento femur perfecte condidit; eoque per mensem alterum, quo in lecto detinebatur mulier, satis firmato, artui sine molestia insistere potuit. Legimus etiam *Carbondalam* (2) sive, quicunque alius fuerit, juveni restituisse femur, quod ante annum eidem prolapsum

(1) Mémoir. de l'Acad. chirurg., t. V, p. 818. Similem casum descriptum legimus a cl. *Guyenot* in mém. de l'Acad. de chirurg. de Paris, tom. V, pag. 633. *(Wenzel.)*

(2) *Malacarne*, Monum. de méd., art. 3, p. 20.

fuerat. Præmissis balneis, opus feliciter aggressus est, et postea unienti fascia continuit juncturam adeo opportune, ut sine claudicatione convaluerit. Cum igitur hujusmodi exemplis confirmati fuerimus, antiquas luxationes restitui nonnunquam posse in primas sedes; nonne salubrius fuisset in casu supra memorato ad venæ sectiones, ad balnea, ad cataplasmata, vel ad alia ejusmodi confugere; etiamsi metus esset, ne musculi et ligamenta jam valde infirmata irritas facerent curas omnes et contentiones? Forte tamen isthæc etiam præsidia supervacua omnino fuissent, si chirurgi et empyrici molimina ita partes vexassent, labefactassentque, ut os per eam viam, per quam venit, reverti nequierit. Denique si ægri narrationi aliquid candoris concedendum est, videlicet, quod artus infirmus per totum cubationis tempus alteri æqualis fuerit, oritur non inanis suspicio, non protinus a lapsu femur prorupisse; sed deinceps paullatim ob lapsum ipsum fuisse promotum. Notum est enim (1) contusiones, quæ intus fiunt, ob percussum trochanterem et ob læsas cartilagines et ligamenta lentas concitare inflammationes, tandemque suppurationem, a qua ossium capita vorantur, unde luxatio insanabilis existit. Hanc meam suspicionem videbatur confirmare dolor, qui diu in articulo persistebat, et quæ dolorem secuta est, artus decurtatio ad duos ferme pollices.

IV. Utcunque sit de casu nunc exposito, ejus certe eventus me anxium tenuit, eoque adduxit, ut, si fieri posset, alios perquirerem modos, quibus ossa emota componi possent. Et mox athletici habitus adolescens adfuit 16 maji 1783, qui ab excelsa arbore in pedes primum ruit; sed inter cadendum corporis truncus magis in crus sinistrum incubuit, quod cum impar esset sustinendo totius corporis ponderi, cedendo paullatim adolescentis lapsum acceleravit in sinistrum latus. Cum primum a nobis inspiceretur, artus sinister lato pollice longior dextero deprehensus est. Ægro licebat crus in exteriorem partem inclinare sine molestia; introrsum vero nonnisi cum dolore vertebatur. Trochanter major retrorsum magis erat; natis sulcus fere obliteratus; cæterum tumor nullus circa juncturam.

Cum meminissem in superius enarratis observationibus feliciter adhibitam fuisse methodum *Dupovy*; eandem iterum iterumque pertentare curationem non destiti, sed sine successu. Nec laqueis extenso membro melius res cessit. Interim vitiati artus figura non mutabatur. Femur minus convexum; superne latius; adductor musculus intensus. Crus manu paullispersustentatum elevabatur; femur autem flecti non poterat. Quod si in orbem movebatur, vix molestiam adferebat; imo nocte quadam e lecto prosiliens adolescens super idem crus paullum consistere potuit. Quamobrem chirurgi, qui ad consulendum convenerant, femur nequaquam luxatum esse opinabantur; et ego illorum fretus consilio nil moliens per complures dies præstolabar, quid tandem eventurum esset. Sed revera nec quiete, nec cataplasmatibus, nec alia re æger sublevatus est. Quæ recogitanti mihi opportune

(1) Mémoir. de l'acad. chirurg., t. V, p. 791.

in memoriam venit modus articulos condendi, quem apud *Paulum* (1) legeram, eumque sine mora hac ratione adhibui. Decumbente ægro, crus ad horizontem elevabatur a ministro, dum ego manu altera ad inguen applicata, altera popliti supposita femur simul cum crure inflexi sic, ut utrumque ad angulum acutum conveniret. Deinde aucta paullulum inflexione femoris, in latus sanum ægrum collocavi; sic ut idem artus ad eundem modum inflexus esset; et ut situs, quem præceperam, non mutaretur. Transactis sex ferme diebus, artus sinister ad sani longitudinem rediit, et jam crus attollere commodius poterat æger, non tamen femur inflectere; cujus adhuc in superiori parte latitudo major erat, quam oportebat. Itaque flexionem modo indicatam iterandam duxi, quæ non sine ægri dolore accidit. Corpore in sanum latus reclinato, semel iterumque femur extendendo inflectendoque obtinui, ut dolor penitus abiret, flexisque femoribus, ac cruribus usque in septimam diem homo in eadem positione servatus est.

Per id tempus nulla mutatio acciderat: artus enim uterque æque longus, æque ad motum expeditus, et doloris pariter expers: femur sine molestia flectebatur; pes dumtaxat extrorsum nonnihil divergebat. Igitur ad os, quod exciderat, valentius continendum, fascia circa pelvim et circa ipsos trochanteres ducta est; quo præsidio non solum artus longitudo naturalis servata est, sed robur etiam addebatur infirmo articulo, dum primum juvenis incedere tentabat. Quadam vero die, cum more solito gradum sisteret, difficultatem aliquam inter incedendum deprehendit, quæ difficultas tamen impositis resolventibus brevi dissipata, femorique motuum facultas reddita est. Inter hæc autem insignis mutatio artui acciderat; crus enim brevius evaserat; genu extrorsum reclinatum erat, clunis plana, ejusque sulcus obliteratus. Quid agerem, anceps eram; tamen, quod primum menti se objecit, id auxilii statim arripui: membrum videlicet quotidie ad lineam horizontalem intendendi, quod mox ad naturalem longitudinem redibat, eamque conservabat, quamdiu adolescens decumbebat. Si vero per diem, uti ei licebat, inambulabat; altero mane artus decurtatus inveniebatur, qui tamen extensus denuo par alteri reddebatur, et denique ad habitum naturalem rediit eadem operatione per dies duodecim continenter iterata, ut juveni vegeto jam, incolumique post mensem licuerit nosocomio excedere.

V. Vir robustus annorum circiter quadraginta cum socio junctus traha exportaret, quæ ad stercorationem agri faciunt; fallente pede supinus in dorsum labitur, genuque et pes sinister graviter a traha percutitur. Mox sublevatus in nosocomium delatus est 19 novembris 1783. Natium sinistra tumebat; sulcus ejusdem declivior erat; supremum femur latius, genu et pes longiores dextero, artus totus torpidus dolensque.

Quum hic casus non videretur a præcedenti differre, eandem etiam

---

(1) Lib. VI, cap. 116.

curationem adhibui. Itaque conveniente primum femore cum coxa ad angulum rectum, flexionem ejusdem ita adauxi, ut genu ventrem contingeret. Dein extrorsum diducto paullisper femore, mox contrario ductu illud in partem interiorem compuli, atque artui sano applicui, dum totum simul corpus in id latus convertebatur. Noctu, ut fit, incaute situm æger mutavit, ideoque altera die artus longior, ut prius, deprehendebatur. Quare non dubitavi, easdem motiones flexionesque in usum trahere, quæ, uti in superiori observatione vidimus, adeo profuerunt: at simul adjungendas censui fomentationes ex resolvente decocto, quarum tanta præter spem fuit utilitas, ut post quatriduum femur commode flecteretur; licet idem dimidium adhuc transversi pollicis longitudine excederet.

Quamvis ex inditiis omnia ex voto cessura esse viderentur, non diu tamen prosperæ res fuerunt. Calendis enim decembris non sine tædio vidi clunem œdemate occupatam; glandulas, quæ in inguine sunt, tumidas factas, et artum lato digito, quam antea fuerat, longiorem. Die insequenti, aucto natium œdemate, dolores quidam ex rheumaticorum genere, ut videbatur, brachia carposque vexabant, et supra musculum longum supinatorem cubiti sinistri durities quædam increvit ovalis figuræ, et sine rubore dolens, qua oborta brachii dolor valde imminutus est. Tandem intra dies octodecim omnia hæc symptomata dissipata sunt. Attamen crus non omnino par erat sano; et si magni trochanteris sedes attrectaretur, locus inveniebatur, qui digitis compressus, indoluit. Quare post biduum moxam juncturæ inussi, per quam elicita abundantius suppuratione dolor evanuit; et crus lento gradu ad naturalem rediit longitudinem. Quod etsi optandum quammaxime fuerat, non tamen junctura sic confirmata erat, ut continuo homo erectus, et sine claudicatione incederet; id quod demum factum est, dum longo post intervallo penitus convaluit 5 februarii 1784.

Art. IV.

Animadversiones super femoris luxationes.

Observationes hæ, quas breviter proferre studuimus, egregie, ni fallor, probant, multa esse in percurandis luxationibus summa attentione digna; et plura forsitan superesse, quæ a practicis ulterius majorique sedulitate, merentur indagari, quia sæpius felicior eventus, aut infaustus, quem morbi sunt habituri, tum ab ipsius ægritudinis natura pendet, tum ab earum rerum examine notioneque, quæ eidem conjunctæ sunt, vel mox subsequuntur.

Et primo quidem oportet nosse cujusvis luxationis speciem; deinde curandum est ut ea omnia præstentur, quæ affectas partes disponunt, aptasque reddunt, ut viribus ad ossis restitutionem bene directis obsequantur. Postremo convenit, ut pro vario luxationis discrimine ea methodus præferatur, quæ articulo reponendo magis idonea censebitur.

Jam nequaquam tam proclive est, ut vulgo existimatur, in nonnullis artubus luxationis speciem internoscere: et ne a femoris articulatione discedamus; quibusnam, putas, luxationis speciebus esse accensendas femoris affectiones in prioribus binis historiis a nobis recensitas? Complura certe signa, quæ iis erant adjuncta, veluti genu pedisque reclinatio ad exteriora; tumor ad inguen; femoris inflexio difficilis et molesta, luxationem in superiorem et anteriorem partem fuisse indicant (1). Supersunt tamen notæ aliquæ, quæ luxationi sursum et interius factæ non conveniunt; uti clunis sulcus humilior, femur superne latius, adductoris musculi tensio, artusque brevitas, quæ vix distinguatur. Unde autem hocce symptomatum discrimen? Dum enim in priorem partem prolabitur femur; simul et trochanter fertur antrorsum, tenditque glutæos, clunis sinus elevatur, femurque gracilius redditur. Eam pariter ob causam cum insertiones adductorum musculorum originibus proximiores fiant; eorum carnes relaxari potius, quam intendi deberent. Deberet etiam artus eo brevior esse, quo major est capitis femoris diameter, quod ex acetabulo promotum fuit.

Quum non deprehendatur ratio, quare inter signa diagnostica luxationum femoris id discriminis intersit; verendum est, ne præter cardinales quatuor femoris luxationes a scriptoribus passim prolatæ, aliæ species (*), ut ita dicam, intermediæ locum habeant. Etenim accidisse fortasse potuit, ut femoris caput parum a cotylis labro discesserit; unde nec musculos tendere, nec vasa comprimere potuit. Auctores nullam certe faciunt mentionem gradus brevitatis quam femur acquirit, dum sursum promotum fuit. Neque indicant longitudinis gradum, dum infra acetabulum consistit femur. Itaque harum affectionum gradus aut varii esse videntur, aut nondum recte designati. Attamen, si admittatur, diametrum capitis femoris duos ferme latos digitos æquare, imo in adultis superare; intelligi facile potest, quod caput in diversis luxationibus, dum ultra labrum cartilagineum consistit, tantam artui vel longitudinem, vel brevitatem conciliat, quantæ capacitatis est spatium illud, ex quo caput excessit.

Verum quia non semper brevitas tanta est, nec tanta longitudo, quanta esse deberet in luxatione perfecta; hinc credendum est quod non semper a femoris capite transcendantur limites labri cartilaginei. Ita in prædictis duobus casibus, si perfecte luxatum fuisse femur existimemus, profecto tanta non fuit femoris brevitas, quanta perfectæ luxationi conveniret; ut propterea probabile sit, caput non longe discessisse ab acetabulo, atque locum occupasse medium inter cardinalia illa luxationis puncta ab auctoribus designata. Et sane in primo casu res notata dignissima accidit, quod

(1) Petit. malad. des os. 71, chapitr. 11.

(*) Rarum satis luxati femoris versus interiora et superiora specimen vidi Hanoviæ apud cel. professorem *Morgenthal*: Novum enatum fuit acetabulum satis amplum et profundum, ramo horizontali ossis pubis dextri perpendiculariter insistens, atque margini anteriori ossis ilei ab una parte inhærens. Vetus acetabulum more consueto obliteratum fuit. *(Wenzel.)*

nempe caput jam restitutum non una vice denuo exciderit in partem superiorem; id quod videbitur difficillimum, si marginis ossei et cartilaginei altitudinem spectemus, quæ, ut superetur, necesse est. In altera observatione tumor a capite formatus medium inguinis tenebat: videlicet ita positus erat, ut neque intus magis, quam exterius vergeret, quod intermediis luxationibus favet. Quid vero de quarta observatione itidem superius memorata existimandum est? Num luxatio, an subluxatio, aut potius simplex fuit articuli concussio? Concussio non solet uno ictu artum breviorem aut longiorem reddere; quod, si quando accidit, musculorum actione contingit, qui ob stimulum contracti caput femoris ad acetabuli fundum propius adducunt, femurque decurtant; vel ex adverso iidem paullo laxati permittunt, ut ab acetabulo recedat caput, crurisque ponderi obsequatur, unde artus elongatio fit. Mox autem restituto musculorum vigore, stimulove sublato, hæc phænomena recedunt.

Equidem non ignoro, auctores uno ore proscribere ossium subluxationem, quæ per enarthrosin conjunguntur; inter quos *Paræus* (1) diserte negat luxationem imperfectam humeri, femorisque. De qua re, quid ego sentiam, peculiari capite exponam. Quid ergo! Fuit ne luxatio vitium in quarta observatione adnotatum? Signa certe a nobis observata conveniunt cum iis, quæ luxationi in inferiorem interioremque partem tribuuntur. De qua re inter alios consulendi sunt *Celsus* (2) ab Aquapendente (3) et *Paræus* (4) qui eadem fere signa a prioribus proposita repetit; nemo tamen illorum natium et trochanteris habitum in hac luxationis specie describit.

Cognita jam luxationis specie, serio cogitandum est de modo qui ossibus componendis aptior sit; qua in re a multis, qui violentioribus præsidiis uti maluerunt, erratum esse existimo. Jamdiu *Hippocrates* (5) varios indicavit modos, quibus femur emotum reponi potest: primus est hominis suspensio per pedes, quem valde commendat, *justumque* appellat, veluti naturæ *accommodatum*, et ad gloriam acquirendam excogitatum. Modus hicce, quamvis nunc obsoletus, minime tamen rejiciendus esse videtur, præcipue in luxationibus, quæ sursum fiunt, et quæ sola extensione per corporis pondus obtenta restitui possunt. Sed non una hac methodo vir ille magnus pro curandis luxationibus contentus erat; sed et, ut taceam laqueos et machinamenta, duos ille modos aptissimos subjungit, simplicitate valde commendandos, dum femur emotum est: modos inquam, qui nullo alio indigent auxilio, præter manuum officio. Nonnullis enim, ita ait *Hippocrates* (6), absque ullo apparatu, sed ex modica intensione, quæ-

---

(1) De luxatione, lib. XV, cap. 33.
(2) Lib. VIII, cap. 20.
(3) De luxat, cap. 8.
(4) Lib. XV, cap. 39.
(5) Sect. VI de art., n.° 34, edit. *Foesii.*
(6) De art., n.° 34.

manuum directione fit, levique agitatione femur intro revertitur. Multis etiam crus, qua commissura est, inflectentibus, facto circumactu jam in suam sedem revertit. At multo sæpius evenit, ut non cuilibet cedat apparatui. Illud extra dubium esse videtur, cuilibet luxationis speciei diversam adhibendam esse formam modumque, ut ossa reponantur. Quo circa monet idem *Hippocrates* (1), quæ quidem in quavis arte, in singulis plurimum præstant, scire convenit; in usum vero ea adhibere, quæ ad singula accommodari videbuntur. Itaque cum femur tum supra, tum infra acetabulum emoveatur, artificium, quo luxationem ad superiora restituere conamur, minime erit idoneum pro iis luxationibus, quæ sunt infra acetabulum.

In luxationibus, quæ supra acetabulum fiunt, nempe, dum femur brevius est, articuli distensiones erunt necessariæ, præcipue si eæ moderatæ et lenes sint, neque dolorem aut vim musculis inferant. Quem agendi modum sic expressit *Hippocrates* (2): « Nonnullis enim absque ullo apparatu, sed ex modica intensione, quæ manuum directione fit, levique agitatione femur intro revertitur ». Qui *Hippocratis* textus verum processum a cl. *Dupovy* postea usurpatum continet: atque processus iste simplicissimus nonne commendari meretur in luxationibus, quæ sursum eveniunt? Namque extensiones, ea lenitate peractæ, neque dolorem, neque lacerationem in vasis et musculis cient. Quodsi forte res non bene cedat; non tamen ideo diffidendum est, quia idem experimentum sæpius iterandi facultas datur. Contra, si membra machinis laqueisque intenduntur; ea vis mollibus infertur partibus, ut non nisi multos post dies tentamen iterari possit. Præterea musculi hisce violentiis lacessiti ita nonnunquam contrahuntur, ut, quamcunque artem adhibeas, os ex sinu, in quod excidit, removere non sinant. In luxationibus vero iis, quæ infra acetabulum sunt, extendendo femur, id a cavitate longius abducitur, magisque musculi distrahuntur: quibus forte etiam moliminibus caput in loco, ubi hæret, magis firmatur. Hanc rem confirmare videtur *Petitus* (3) dum ait: « Luxationem in interiorem inferioremque partem facilius contingere; interdum vero difficiliorem esse repositionem, quia tenduntur et distrahuntur musculi maximo robore præditi; unde extensionibus quavis arte paratis consequi non possumus, ut caput ossis ab ovali foramine dimoveatur. Ad hanc difficultatem removendam alia ratio, modusque inveniendus est, quo os infra acetabulum hærens in sinum suum reducatur ».

Aptus esse videtur ad id obtinendum modus alter itidem simplicissimus ab *Hippocrate* (4) licet obscuro sermone propositus; nempe cruris inflexio.

---

(1) De artic., n.° 34.
(2) L. c.
(3) Traité des malad. des oss., chapit. 11.
(4) De artic., n.° 34.

Paulus ab Ægina (1) hunc ipsum modum indicans plenius rem exposuit; atque scriptoris hujus utilissimis præceptis ductus, ea, qua narravi, forma os restituendum curavi. Id autem obtinetur flectendo subito, et valenter, ut ait *Paulus,* crus et femur, ut juncturæ ad angulum acutum conveniant; imo genu propius ad ventrem adducitur; tum extrorsum versus deducitur, et veluti supra axem motum introrsum compellitur. Præcipitur ægro adhuc supino, ut in latus sanum se convertat, quo affectum crus a sano in eundem modum composito sustineatur.

Præter *Fabricium* ab Aquapendente neminem scio, qui *Pauli* methodum noverit. Is autem (2) non videtur unquam hanc operandi rationem usurpasse. Attentione autem digna est, quam primo loco proponit, condendi femoris sine extensione forma; quia ab empyricis usu recepta est; et humeri femorisque articuli, si eo modo conduntur, mirum labefactantur. Solent ii, quorum solertia major est, articulum cataplasmatibus frequenter super datis emollire; dein apprehenso brachio, elevatoque in gyrum movere, retrorsum pellere et demum deducere anterius, servata fere directione horizontali; demum fortiter deprimere, simulque pugno sub ala locato humeri caput attollere et restituere. Audiamus quæso quid *Joan. Langius* (3) de his impostoribus scriptum reliquit: « At illi plus æquo audaces, scelerati de gente rusticorum evemboli, temerario vulgi applausu, procerumque quorundam suffragio, qui doctis eruditionis honorem invident elati, totum rationalis divi *Hippocratis* methodi ordinem evertunt. Nam membra forte fortuna reposita nondum confirmata, necdum sedato dolore, aut flegmone resoluta miseris carnificum modis, et quotidianis distorsionibus, ne dicam torturis exercent, nec ægrotorum (quam unicam laudem nobiles illis tribuunt) miserentur ».

Methodus quam paullo ante commendabam, duobus innititur principiis, quæ oportet exacte considerare ut operatio successu non careat. Prius est, quod cruris femorisque inflexione harum partium musculi relaxantur; quam regulam jam practici amplectuntur. Alterum est, ut caput ossis luxati emoveatur, quod obtinetur membri elevatione, tum rotatione, qua ex nova sede divellitur, et motu quasi lubrico in sinum naturalem revertitur. Quamvis regula primo loco posita pro canone chirurgico hodie accipiatur, scilicet, ut antequam ad membri instaurationem progrediamur, laxitatem quamdam musculis conciliemus; tamen non semper articulorum flexione imminuitur musculorum actio: in nonnullis enim subjectis ea vi et contractilitate donati sunt musculi, ut non laxentur, neque cuivis

---

(1) Lib. VI, cap. 118.

(2) Primus modus est, ut circumrotetur caput femoris circa ilium, nec ab hoc separetur, nisi in sinum perveniat. At hic modus non est tutus, quia metus est, ne caput cum supercilio attritum retundatur, aut frangatur. Alter modus est, ut subito femur flectatur, nam et sic aliquando reponitur secundum *Paulum*, Chirurg., lib. V, cap. 8.

(3) Thema XI.

cedant artificio. In eo casu periculosum esset, membrum valide intendere et per vim reponere.

Musculi, qui resistunt, præter voluntatem contracti sunt; atque sic conatibus, qui ad os condendum diriguntur, sese opponunt. Quare aliis adminiculis opus est, quæ ingenium, experientia, res ipsa sæpius suppeditarunt. Supra jam indicavimus cl. viros *Carbondalam* et *Cabanis*, dum inveteratas luxationes reponere studebant, balneis, aliisque, quæ fovent et molliunt, usos esse prospero sane eventu. Præter hæc in casu non absimili cl. *Chester* (1) solutionis emeticæ haustum partitis vicibus propinavit, quoadusque æger deficeret; et tunc sine mora reductionem ossis suscepit. Solertissimus autem *Young* crebris purgationibus alvi eandem in musculis laxitatem obtinuit, femurque luxatum post diem vigesimum quintum restituit. Dubitari nequit, quin sanguinis emissio efficacius et celerius musculos relaxet; præcipue si is ea copia educatur, ut æger animo deficiat. Id genus præsidii in iis plerumque temperamentis locum habet, quibus ob plethoram vel ariditatem purgantia vel emetica damno esse possunt. Contra in obæsis, cachecticis, et in quibus limpha copiosius deponitur, evacuantia sunt anteponenda (*). Hisce adminiculis, quæ ad tutam repositionem disponunt, accensenda est abstinentia jam ab *Hippocrate* (2) commendata, quæ, ut in quocunque alio morbo, sic in hocce infortunio facultatis est efficacissimæ (**).

Commoda itaque, quæ ab hisce adminiculis opportune adhibitis in luxata redundant, vix queunt æstimari; illudque considerare oportet, quod si singulis casibus auxilia, quæ maxime accommodata sunt, convenienter apponantur, suum plerumque effectum esse sortitura, et spem non incertam superesse, claudorum numerum imminutum iri. Quamvis vero omnia, quæ agenda sunt, recte fiant; aliqua tamen, quæ supervenire solent, præcavenda sunt, ne per negligentiam amittatur, quod per curationem obtentum fuit. Etenim ab enarratione observationum, primæ præsertim, quartæ et quintæ, patet necesse esse ut eadem operatio iteretur, quotiescunque os denuo promovetur; sive quod id non totam priscam sedem occupaverit; sive quod labrum cartilagineum, aliæve partes nondum robur et firmitatem acceperint, ut caput ossis valenter contineant. Hinc vario auxiliorum genere occurrendum fuit; nempe vel iis quæ roborant, vel quæ continent; et iis etiam quæ extendunt et diducunt; demum ad moxam confugiendum

---

(1) Journal de Londre, tom. VII.

(2) Omnes item recondendi articuli ante emolliri, et dimoveri debent; sic enim facilius reverti solent. In omnibus autem articulorum repositionibus imperanda abstinentia est, præcipue quidem, ubi maximi sunt, et repositu difficillimi articuli; minimum vero, ubi minimi, et qui facile reconduntur. Sect. VI de artic., n.° 38.

(*) Quoniam vero propter copiam humiditatis, veluti humerus, sic etiam coxa prolabitur; ustione utendum est. Lib. VI, cap. 118.

(**) Summa est inter luxationes recentes et hernias incarceratas similitudo. *(Wenzel.)*

fuit, quam jam ante laudaverant *Hippocrates* et *Paulus* (*), ad musculos et ligamenta confirmanda, tum ad lympham evacuandam, quæ artum gravat et imbecillem reddit. Neque opponat aliquis, elabi denuo femur, quia interius ligamentum laceratur; nam præter exempla superius memorata femorum, quæ in propria cavitate hærebant, licet ligamento tereti prorsus carerent, insignem casum luxati femoris et feliciter restituti, licet post mortem disruptum a cel. *Walthero* inventum esset ligamentum interius, prodidit *Jo. Zaccharias Plattnerus* (1).

Denique non inter minimas aut superfluas cautiones habenda est illa, qua ægroto præcipitur, ut in latus sanum cubet, et genua ad angulum obtusum inflexa conservet. Nam præter cubitum commodiorem, cui assuescit, diutius sano lateri incumbere potest, quam infirmo. Articulationum vero inflexio musculos pene omnes relaxando salutarem illam conditionem inducit, qua partes antea vi distractæ eriguntur, prohibetque ne actione illorum, qua sæpe musculi abutuntur, recomposita ossa denuo expellantur. Hicce positus etiam apprime opportunus est ad explorandum ex comparatione utriusque artus, utrum os, quod exciderat, ex toto in suam cavitatem fuerit compulsum, servatumque.

Art. V.

De subluxatione.

Cum superiori articulo non obscure significaverim plures esse luxationis femoris species, et inter hasce alias quæ intermediæ dici possunt, alias item, quæ a plerisque oppugnari solent et luxationes imperfectæ vocantur; expedit nunc, ut de his potissimum, quid ego observaverim, in medium proferam.

Pervulgata est opinio inde ab *Hippocratis* ævo ad nostra usque tempora deducta, quod ossa per enarthrosin commissa, si violentia quædam accesserit, jugiter sedibus suis penitus expellantur; nunquam vero ita moveantur, ut capitis pars altera intra sinum proprium maneat, altera pars extra eundem sit; scilicet ita, ut pars capitis super marginem articuli consistat et luxationem non absolutam efficiat.

Hac super re *Hippocrates* (2) satis perspicue sententiam suam his verbis proposuit: « Verum tum femoris, tum brachii capita quam simillimas « inter se utraque luxationes patiuntur. Quum nempe rotunda sint, sim- « plicem ac levem rotunditatem habent. Sinus autem ea excipientes

---

(*) Fit subinde, quod æger balneo immissus animi deliquium patiatur; et tunc luxatum os, quod cedere antea summis viribus noluit, facillime sæpius restituatur. Hujusmodi exemplum communicavit mihi cl. *Schmitt*, professor in academia chirurgica Josephina, quæ Viennæ est. (*Wenzel.*)

(1) Institut. chirurg., § 1194, N. A.

(2) De articul. n.° 31.

« rotundiores sunt, iisque adaptantur. Quo fit, ut articuli dimidium in his suo « loco excidere non possit ». Ergo quod ad sermonem præsentem attinet; in totum jam prolabuntur; alioquin minime excidunt. In eundem sensum loquitur *Paulus* (1) rationibusque dicta confirmat. « Coxæ, humerique « articulus soli luxationi opportunus est, qua tota sede promovetur, atque « ex his magis coxæ articulus, quoniam sinum et rotundum et profundum « possidet; ad hæc quod elatioribus marginibus munitus sit ». Neque ab his dissentit *Fabricius* ab Acquapendente (2). Ait enim: « Hinc apparet, « solum perfectam luxationem in femur cadere, non imperfectam, nisi sit « causa interna ».

Subluxationem a causis internis persæpe fieri notum est, vel quod ligamenta per morbos infirmata sint; vel quod ossium capita consumpta fuerint; vel quod tumor aliquis in ipso sinu excreverit, qui os sic e sede sua propellat, ut non penitus extrudatur. De his aliisque ejus generis affectionibus, quæ pedetentim os e sede promovent, non attinet dicere; sed de iis quæ protinus subluxationem movent. Hæ causæ, cum vim extrinsecus accedentem agnoscant, in articulos agere videntur modo peculiari, quem nondum satis assecuti sumus; cum necdum satis adverterimus quid accidat, dum causæ alicujus vis alio, atque alio modo applicatur.

Superius jam asserui, me non dubitare præter præcipuas quatuor femoris luxationes, alias esse species, ut ita dicam, *intermedias*, quæ cum de characteribus unicuique primario generi propriis, plus minusve sibi assumant; inde etiam efficiunt ut signa, quæ in tot luxationibus deprehenduntur, varia et incerta sint, nec primis luxationum speciebus penitus respondeant.

Quemadmodum igitur multa et diversa sunt puncta in peripheria marginis acetabuli, quibus caput luxati femoris incumbere potest; ita varia et diversa esse debet distantia, seu intervallum ab extrema ora sinus cotyloidei ad punctum, in quo os emotum consistit; quæ intervalla pro ratione externæ violentiæ quæ accessit, et obstaculorum quæ opponuntur a potentiis circa articulum sitis, diversa itidem sunt.

Jam vero, cum possit aliquando contingere, ut obstaculum potentiarum quæ circa articulationem hærent, sit maximum; minor vero vis quam exercet potentia externa; minima erit distantia, seu via quam legit ossis caput ex acetabulo propulsum. Et quia manticula in orbem procedit ab innominato osse aliquot lineis ultra fines acetabuli; ita evenire potest ut exterior vis quæ os promovet, statuat ejus caput directe super marginem cartilagineum, atque sic imperfectam luxationem constituat. Idem evenire etiam potest, si manticula paullum diducitur, et extenditur sic, ut capiti

---

(1) Lib. VI, cap. 118.
(2) Chirurg., lib. V, cap. 8. — *Pardus*, lib. XV, cap. 39. — *Bell*, Chirurg., vol. VI, cap. 40.

locum faciat, dum interim musculi obsistunt atque prohibent, ne longius progrediatur; quo fit ut super cotylis marginem subsistere cogatur (*).

Tanta nonnunquam esse potest impulsionis vis, et talis ejusdem directio, ut ossis caput urgeatur contra marginem sinus, illumque vel laceret, vel extrorsum propellat, præsertim in juvenibus; atque sic super marginis ruinas consistat.

Quod paucis modo expositum; id ab exemplis pathologicis desumptum est. Acetabulum dexterum multo amplius, quam debuisset, repertum est in pelvi cujusdam pueri decem ferme annorum, in quo licet acetabulum suo loco fuerit, et naturali propemodum structura, ab externa tamen posteriorique parte deficiebat supercilium osseum, et cartilagineum; observabaturque vetus acetabulum cum alio novo quodammodo coivisse, quod itidem præditum est osseo margine intus lævigato, membranaque tenui vestitum; extus aspero ab osseo succo circa ejus ambitum concreto. In hoc certe casu manifestum videtur, osseum marginem acetabuli naturalis ab ossis capite prolapso fuisse depressum, et in aream cavam mutatum, quæ novum acetabulum repræsentat priori continuum. Hujusmodi exempla prolata sunt a cel. *Andrea Bonn* (1), in quorum altero illud notandum occurrit, quod ora acetabuli superior sursum repulsa fuerit versus partem ilii convexam.

In adulti hominis osse innominato sinistri lateris luxatio contigit sursum et retrorsum. Acetabula, priscum scilicet, et novum, licet tenui bractea cartilaginea dividantur, in eodem plano posita sunt, obliterato propemodum margine osseo. Acetabulum naturale paullo contractius a summo ad imum. Novi sedes inter ilii spinam quæ anterius est, et ischii incavaturam, quod a manticula producta et veluti reflexa obducebatur totum, et totum similiter caput luxatum ab eadem continebatur. Illud animadversione dignum in hoc specimine, quod, licet femoris caput longius ab acetabulo recesserit, interius tamen ligamentum integrum, et duos pollices Parisiorum longum repertum sit. Caput, ut fere solet, globosam figuram mutaverat in complanatam ob attritum contra os innominatum. Femoris etiam diaphysis mutata; hæc enim gracilior est, et introrsum inflexa.

Puer annorum 13 maligna febri extinctus est 21 februarii 1785. Paullo ante ejus obitum artum sinistrum quinque latos digitos esse breviorem animadverti; os calcis retractum, et introrsum conversum; contra extremum pedem extra spectare, et fere terram contingere: insuper trochanterem sublimiorem fuisse, ut multum supra ossis ilium dorsum promineret; atque duos latos digitos distaret a summa spina, et quatuor ab ejusdem ossis crista iliaca; dum interim a sano latere intervallum erat quatuor digitorum.

(*) Hujus generis imperfectæ luxationis specimen tab. exhibui. Acetabuli margo sursum et retrorsum ad pollicis longitudinem depressus, nonnihil lævigatus superficiem novam articularem sistit, cujus exiguitas manifesto indicat, non totum femoris caput, sed ejus partem tantum excidisse. (*Wenzel.*)

(1) Thesaurus ossium morbosorum, n.° LIV ad LIX.

inter spinam superiorem ossis innominati, et trochanterem; et sex amplius digitorum inter hunc trochanterem et cristam iliacam. Sinistra natis brevior altera sinum habebat profundiorem et sublimiorem; sed superiori parte latior erat, quia trochanter valde prominebat. Vertebræ, quæ cervicem componunt, in rectum dispositæ; superiores dorsi inflexæ sic, ut sinistrorsum concava, dextrorsum convexa esset spina. Ita thorax ab eo latere elatior, et ab læva compressus cernebatur. Postremæ dorsi vertebræ cum superioribus lumborum arcum priori oppositum efficiebant; denique postremæ eandem distorsionem, quam priores, dorsi conservabant. Motus qui læso femore fiebant, magnæ præsertim flexiones cum rumore aliquo, eoque perbrevi erant conjunctæ.

Patefacto per dissectionem articulo, femur acephalum est inventum, collo interius perbrevi munitum, quod desinebat in oblongam et inæquabilem superficiem scabram, cartilagine tamen obductam, quæ capitis vices gerebat et a summo ad imum amplior in obtusum rostrum terminabatur ultra cervicem, a qua sustinebatur, sese efferens (*).

Porro id genus capitis excipiebatur ab informi cavitate parum profunda, paullo extrinsecus sita, et supra eum locum quem cavitas naturalis occupasset, cartilagine aspera et tuberosa obducta. Hujus cavitatis pars inferior non videbatur differre a sinu naturali coxæ: pars vero, quæ superior, in ea ilii ossis regione insculpta erat, quæ, si os sanum fuisset, marginem superiorem et exteriorem acetabuli constituisset. Hinc existimandum, dum os mollius erat, quod caput, sive id quod ejus loco est, oram acetabuli superiorem et exteriorem depresserit, jugique attritu caveam fecerit, in qua postea constiterit. Sed cavitas illa cingitur ora fibrata, ejusdem prorsus naturæ, ac illa quæ cotyle circumdat; nisi quod infra, ubi ischii ramus in acetabulum venit, deficit, quem hiatum margo acetabuli naturalis complet.

Femur cum osse innominato committitur ope crassioris ligamenti orbiculati, cujus structura a naturali multum abludit. Hoc sursum posteriusque procedit a margine fibratoso præternaturali, de quo supra diximus. Infra vero et anterius conjungitur cum substantia quadam ligamenti naturam habente, quæ acetabuli aream occupat. Porro totum contractum femoris collum amplectitur prope ejus superficiem articularem. Femur luxatum ex convexo rectum est: diameter longitudinis acetabuli recentis poll. 2, transversa poll. 1, lin. 6: diameter longitudinis superficiei articularis colli femoris poll. 1, lin. 9, transversa poll. 1.

Dum hanc profero observationem ad asserendam subluxationem, præterire non debeo argumenta, quæ contra hanc ipsam opponi possunt; ut,

---

(*) Quas femorum luxatorum capita pro luxationis vetustate sensim subeunt mutationes, has tabulas exprimere aliquando studebo. Magnitudo, forma et directio capitis, vasorum absorbentium negotio ita pervertitur, ut, si quidquam ex illo supersit, difficulter satis subinde dignoscatur. Nutritionem autem generatim tam in osse luxato, quam in integro artu, quarundam partium laceratione, aliarum dislocatione turbatam esse, ossis totiusque artus tenuitas, flacciditas et debilitas indicant. *(Wenzel.)*

si fieri possit, inde demonstretur, affectionem modo indicatam diversæ omnino a luxatis esse naturæ. Et profecto, cum in nosocomium delatus esset puer, de quo supra sermo fuit, adulto jam morbo, neque ex eo, neque ex ejus parentibus sciscitando resciri potuit, quænam causæ præcessissent quibusve auxiliis occursum esset: si animum unice advertamus ad observationis expositionem, videretur esse statuendum, caput a cervice fuisse avulsum: cumque illud non inventum fuerit in sinu suo, ejusque vices faceret summa cervix; suspicari liceret, caput, utpote in ea ætate tenerum, fuisse dissolutum et absorptum; quam jacturam natura sic sublevasset, ut cervix superficiem latiorem haberet, eaque sinum parum cavum sibi pararet. Et vidi profecto nonnunquam femoris collum, ubi id fractum erat, cavitatem sibi parasse, quæ plus minusve a cotyli distabat, et in qua motus aliquos exercere poterat. Verum nunquam in simili casu femoris caput detritum; sed semper intra ipsum acetabulum hærere observavi. Hinc in eam potius descendo opinionem, ut credam vitium quod modo descripsimus, fuisse subluxationem: videlicet excussum ex acetabulo caput super oram ejus internam fuisse propulsum, ibique hæsisse. Quoniam autem caput spongiosum, et pro ea ætate mollius erat; et quoniam id per quod enutritur, maximam partem ab interiori ligamento suppeditatur; necesse fuit ut illa duo acciderent: alterum ut a capitis impulsione labrum cartilagineum extrorsum verteretur, atque longius a sua sede proveheretur, cujus area novum sic acetabulum constituit; alterum, ut jugis pressio femoris motusque ejusdem cum reticulata substantiæ mollitie capitis formam immutarent, et penitus everterent, præsertim ob nutritionis defectum, quia teretis ligamenti neque vestigium supererat.

Quæ modo explicavimus, non dissentiunt ab observationibus in aliis quoque habitis, et ostendunt rostratam cervicis faciem fuisse cartilagine vestitam, quia non alia erat, quam quæ antea caput obvelaverat. Ostendunt pariter quod femoris caput ex propria cavitate promotum possit variis ab acetabulo intervallis subsistere, indeque luxationes intermedias progignere. Insuper, quod caput, dum minimo distat intervallo a sinu coxæ, deprimat marginem osseum acetabuli, cui insidet, novumque sinum effingat; unde affectio illa oritur, quam luxationem imperfectam, seu subluxationem appellant.

Neque femoris caput super oram duntaxat acetabuli consistit, vel prope ipsam firmatur; sed, quod magis singulare videbitur, caput illud sedem mutare diversis temporibus potest, et a sinu longius abvehi. Id manifestissimum est in osse innominato sinistro cujusdam viri, quod ante oculos habeo, ob claudicationem post mortem dissecti. In hoc igitur osse quamdiligentissime impressa videri possunt terna vestigia, vel sinus, quibus alii post alium insedit femoris caput. Naturalis coxæ sinus contractus a summo retrorsum trianguli formam exhibebat, lateribus duobus altero sursum, posterius altero productis secundum pubis et ischii ramos. Paucis lineis sub angulo acuto sinus cotyloidei, qui superior et posterior est,

conspicitur vestigium, in quo probabiliter hæsit caput, cum primum e cavitate promotum fuit. Vestigium hocce conducit ad aream oblongam, ampliorem in ossis ilii priori parte incavatam pone spinam ejusdem anteriorem et inferiorem. Huic luxatum os diutius inhæsisse intelligimus, si consideremus, sinum profundiorem impressum fuisse in solidiori ossis parte; diutissime vero immoratum fuisse ossis caput super ilii dorsum ostendit amplior reliquis, et profundior sinus, figuræ orbicularis, ab altero novo acetabulo osseo quodam tubere divisus. In hoc tertio, ut ita dicam, præternaturali acetabulo femur post mortem repertum est.

Illa igitur facultas qua caput præditum est, de loco ad locum transeundi, verum esse, quod proposuimus, demonstrat; nempe femur in omnem partem promoveri, tum etiam sæpius oræ acetabuli insidere posse. Et cum minori majorive intervallo ab acetabulo recedat caput, dein de sede in sedem transeat; necesse est ut pro circumstantiarum ratione alia emergant signa, quam quæ luxationibus jam cognitis propria sunt.

Etsi in femoris articulo cum osse innominato hujusmodi subluxationes potissimum eveniant, tamen in aliis quoque juncturis in carpo præcipue, et cubito observantur, ad quas pauci animum adverterunt. Ex cadavere viri in hoc nosocomio defuncti 1794 cubitum cum manu detraxi, quæ ad anteriora luxata erat, ita ut carpi basis tuber quoddam introrsum efficeret, ex altera vero parte manus dorsum spectante quamdam veluti cavitatem, vel sinum, qui eo manifestior erat, quod manus ipsa paullum extrorsum reflectebatur. Quamvis hæc labes non exigua videretur, tamen flexionis, extensionisque actio ita erat comparata, ut carpo junctura non omnino deesset. Musculorum extensorum, qui ad digitos pertinent, tendines veluti distracti, flexorum vero manus tuberi, quod excesserat, in formam pontis erant subtensi. Carpo cæterum mobilitas, ut dixi, non deerat, neque ulnæ capitulo, quo extremum radium sustinet, quamvis ligamentum orbiculatum crassius quam solet, conspiceretur, et parva ligamenta mucosæ fere naturæ in ipso articulari cavo a carpi ossiculis ad sinus articulares ulnæ et radii procederent, rudimenta videlicet anchiloseos mox subsecuturæ. In hujus partis diligentiori examine id nobis per quam singulare apparuit, quod carpus, qui e loco excidisse credebatur, cum radii et ulnæ extremitatibus fere secundum naturam committebatur. Ipsa vero supradictorum ossium extrema pari gradu deorsum incurvata excipiebant carpi basim consueto ordine, et quod intuentibus speciem præseferebat semiluxati carpi, aliud re ipsa non erat, præterquam cubiti extremitas in priorem partem inflexa, ut totum carpum exciperet. Cum extrema pars cubiti multis et valentibus tendinibus qui ad manum ejusque digitos pertinent, locum et stabilitatem præbeat, suspicari licet, manum e loco penitus promoveri non posse, adeoque carpi luxationes fere nunquam esse perfectas merito existimamus, qui non semel in viventibus eandem extremi cubiti inflexionem observavimus etiam in recentibus articuli affectionibus, ut diceres cubitum quasi ad id intentum esse, ne manus e suo sinu excidat.

Subluxationes hujusmodi in cubiti quoque cum extremo humero conjunctione ab externis injuriis oboriuntur, quæ nulla arte sanari possunt. Sic nuper generosus vir magno impetu cadens cubiti articulum vehementer allisit. Ingens continuo sugillatio orta est, quæ humerum cubitumque totum occupaverat. Ea tandem vario præsidiorum genere discussa, cubitus semiflexus permansit, videlicet ut manuum et laqueorum ope neque in integrum extendi, neque penitus flecti ad eum modum, quo naturaliter solet, potuerit. Cubitus insuper ad pronationem vergebat, et nonnisi vi quadam interposita resupinabatur, mox in pronationem relapsurus. Circa articulum affectum diligentius exploratum hæc notata sunt. 1.° Extremi humeri tuberculum interius a trochlea ipsius ossis avulsum, quod rarissimum est, atque in partem anteriorem sub integumentis propulsum. 2.° Olecranon magis in acutum tendebat, et paullo sublimius erat, non tamen eo usque adscenderat, quo pervenire solet, dum cubiti luxatio perfecta est. 3.° Demum capitulum radii contra ulnæ summitatem fortius comprimendo, simul manu altera cubitum intus extusque vertendo, sive motus illos exercendo, qui pronationi et supinationi conveniunt, sonitus in imo articulo sese prodebat, qualis ossi fracto proprius est. Anceps tamen erat ex hoc statuere, num processus coronoides abruptus, an de trochlea humeri quidpiam confractum, an vero de articulari cubiti sinu fragmentum quoddam per longitudinem secesserit. In hujusmodi cubiti concussionibus diastasis plerumque fit inter ulnam radiumque, quæ per totam vitam permanet. Est etiam, ubi radii capitulum superius orbiculatum loco movetur accedente diastasi, quod denuo in sedem pristinam promoveri quidem potest, sed in ea difficillime retinetur.

Molitiones variæ, quæ subinde ad hunc articulum restituendum adhibitæ sunt, non solum molestæ sed etiam nocuæ fuerunt, dolores iterum ciendo, motusque juncturæ præpediendo. Chirurgorum consilia, qui jugi exercitatione non exiguam sibi famam compararunt, æque parum proficua fuerunt.

Art. VI.

De claudicatione congenita.

De prava illa conformatione tam in acetabulo, quam in ossis femoris capite et cervice observata, congenitam claudicationem efficiente, jam dudum verba feci. Quoniam autem hujusmodi conformatio a naturali deflectens spectat item ad affectiones illas quæ coxæ articulum vitiant, juvabit hic denuo potiora capita recensere. Pravitas illa conformationis cum fœtu connascitur, editoque fœtu, aut primis ætatis mensibus deprehendi nequit, quantamcumque diligentiam adhibueris; quia infans primos gressus incerto pede tentat, et solum, dum annum emensus est aut plures supra annum menses, labes ista primum observantium oculis manifesta redditur. In hujusmodi infantibus crus affectum brevius esse solet, tamen brevitas tanta

non est, quanta in femoris luxationibus, quæ sursum et retrorsum fiunt, animadvertitur. Femur et crus a naturali positu non recedunt, scilicet in neutrum latus reclinantur. Supinato infante extentoque modice artu contracto, is ad naturalem longitudinem perducitur; remissa vero extensione artus ad priorem redit brevitatem. Motus articulo proprii et extensiones cum facilitate peraguntur, et sine doloris sensu. A postica corporis parte spectatus infans exhibet clunem vitiatæ coxæ interdum planam, interdum rotundiorem, raro non immutatam, sulcumque eadem habet altitudine natis, qua sanum femur, præterquam quoad apex seu extremitas sulci fere semper sursum trahitur a magno trochantere, qui altior esse consuevit et extantior. Pueri sic affecti toti plantæ pedis insistunt, neque eis artus debilitatur, sed cum sano par incrementum capit.

Offensiones animadversæ in his, qui sic claudicabant, vel in acetabulo ossis innominati consistebant, vel in femoris capite, vel in ejusdem cervice. Acetabulum vel nimis profundum est, vel ejus figura in oblongam, ovatam mutatur; præcipue vero ejus ora tum cartilaginea, tum ossea depressa, aut ex aliqua parte latior deprehenditur, idque sursum plerumque accidit, nam inferne cotylis margo, si vitiatur, perruptus et deficiens est.

Os quoque innominatum claudicationem inferre potest, dum nempe ampliori gyro donatum est, vel altiori loco positum. Huic adjungenda est secessio sacri ossis ab innominato, quod vitium, licet rarissimum, in recens natis tamen compertum est accidisse vel ex ligamentorum laxitate, vel ex ipsorum ossium prava constitutione, artumque, qua parte diastasis est, claudum efficit. Tunc explorata mali sede, animadvertitur sacrum os ab innominato esse distractum, et os sacrum, qua parte excidit, eminentiam oblongam efficere, atque una cum coccyge et trunco corporis in latus sanum inclinare. Quare coxa affecti lateris humilior, et magis demissa est, quam altera, in quam ossa emota et corporis moles vergunt. Itaque inter ambulandum pueri truncum in latus affectum inclinant et claudicant.

Femoris caput non uno modo vitiatur; vel enim ejus vertex in acutum tendit, vel depressus est, vel contrahitur sensim, et inferne veluti in rostrum terminatur. Est etiam ubi caput pene nullum est, ejusque loco articularis superficies in suprema femoris cervice cernitur. Quandoque visum est ab lateribus esse complanatum.

Cervix femoris aut perbrevis est, quo fit ut trochanter ferme altitudinem capitis attingat; aut in transversum porrigitur, aut nimis obliquam positionem accipit, quam ob labem tantum de artus longitudine detrahitur, quantum decurtata aut deficiens a primordiis cervix est.

Præter has claudicationis congenitæ causas quas olim peculiari commentario comprehendi, liceat binas alias apponere a nativitate pariter existentes, femorum nempe, et ossis patellæ luxationem. Quamvis in magna et frequenti urbe haud raro occurrant ejusmodi homines, qui in alterum, vel in utrumque latus claudicant, rarissimum tamen est occasionem nancisci, per quam cultro anatomico subjici possint eorum corpora ut, quænam sit

vera mali sedes , in apricum proferatur. Ita luxationis femorum congenitæ exemplum unicum nactus sum.

Puero 26 julii 1785 ab matre procerioris staturæ habitusque optimi in lucem emisso , et 10 augusti denato utriusque femoris capita extra acetabulum erant posita , nec præternaturalem habebant cavitatem , cui insiderent , quemadmodum in inveteratis ejusdem ossis luxationibus accidit. Cotylis pars interior , sive mavis anterior ab ligamento quodam in transversum ducto occludebatur ; nempe a lata et morbosa productione ejus ligamenti , ut videtur , quod secundum naturam gracilius est , et deficientem inferne acetabuli marginem complet. Altera autem cavitatis cotyloideæ pars nempe posterior patens quidem erat , nullaque membrana præclusa , sed ex acetabuli cavo excrescens quædam massa densioris pinguedinis habitum referens , sinum omnem occupabat , in quem femoris caput conjici debuisset. Igitur femoris caput in sinum aliena materia obstructum recipi non poterat , retinebaturque a sola capsa articulari multo hic ampliore et laxiori , quæ a parte priori firmiter adhærebat ligamento acetabulum occludente , a posteriori vero ultra marginem externum acetabuli procedebat. Capsa hæc orbiculata satis cæterum robusta erat , et crassior , eaque dissecta , ligamentum , quod vocant internum undequaque liberum , altero fine latiore in femoris caput immittebatur , altero in acetabuli profundum demerso cum pinguedine confundebatur. Longius autem istud fuisse , quam natura ferret , observatum est , quod si cum capsæ articularis extensione conferres , facile concipies femora sursum et deorsum ad aliquam distantiam versari , simulque in orbem moveri potuisse.

Caput femoris sphœricum erat , pensile , hærebatque circa ossis ilium spinam inferiorem , cui quidem ossi non insistebat ; nemo tamen erit , qui dubitet quod , si puer vitam habuisset , femora inter incidendum nova sibi acetabula non effinxissent. Genua pueri nondum secti extrorsum conversa erant , poplites introrsum , exteriores vero condyli retrorsum acti sibi mutuo occurrebant.

Luxationis femorum , quæ intra matris uterum fœtibus accidit , non uno loco meminit *Hippocrates* (1). « Gravissime igitur habent , quibus , dum in utero continentur , elabitur hic articulus. Qui in infantia hanc calamitatem experiuntur , ii , si liberaliter educati fuerint , sano quidem crure recto utuntur , verum scipionem alæ , quæ sano cruri respondet , suppositum circumferunt. Quidam etiam utrique alæ scipionem subjiciunt , crus vero affectum suspensum detinent , quoque id brevius est , eo levius habent. At ubi coxendicis articulus a primo ortu , aut etiam in ipsa infantia sua compage emotus ad interiorem partem inclinarit , carnes eam ob causam magis quam in manu imminuuntur , quod ii crure uti nequeant. At quibus in matris utero hic articulus sua sede emotus , neque reconditus fuerit ,

(1) Sect. VI , de artic. n. 26 , 27 , 28 , 29.

eorum quidem nonnullis si sideratum femur fuerit, suppurationes diuturnæ et quæ curationem, per linamenta desiderent, contingunt, quibusdam etiam ossa nudantur. Summam vero curam postulant, quibus in prima infantia hic casus incidit; si enim ea in infantia negligantur, iis totum crus prorsus inutile, et incrementi expers redditur, et universi cruris carnes magis imminuuntur, quam sani. Proni incedunt brutorum more, qui a nativitate luxata habent femora ».

In externum plerumque genu latus excidit patella, idque ob articuli peculiarem dispositionem; quippe eadem patella in naturali ordine non articuli medium tenet, sed nonnihil ad exteriora vergit, et magis condylo minori femoris applicatur quam interiori, unde facilior est in eam partem excessus. Quibus rationibus addi possunt et illæ, quæ a condylo minus tuberoso, et a musculorum robore femoris externam faciem tegentium peti possunt.

Quibus autem rotula jam inde a pueritia elapsa est, ii fere valgi sunt ab altero, aut ab utroque crure; scilicet crura cum femore juncta angulum introrsum faciunt, et deinde magis minusve divergunt, quo pedibus propiora sunt. Forte idem angulus, qui ex tibiæ cum femore conjunctione fit, dum major est, patellam extrorsum propellit mutata simul musculorum extendentium directione. Ita patella elapsa faciem alteram, quæ interior erat, contra latus externum condyli recondit; alteram, quæ prior erat, extrorsum conversam habet. Evenit etiam ob situs mutationem, ut rotula interdum gracilior, interdum æquo tuberosior, quin etiam figuram mutet, aut magis complanata conspiciatur. Est etiam, ubi cartilago articularis faciei internæ deficere visa est.

Juveni 20 annorum, anno 1785 dissecto, ab ipso, ut videbatur, ortu patella utriusque genu in latus externum elapsa, interiori facie condylum femoris externum, et capitis tibiæ partem tuberosam contingebat, sic ut marginem alterum anterius, posterius alterum haberet. Itaque spatium inane intra femoris condylos et tibiæ caput intercipiebatur, manibus oculisque distinguendum. Musculi crus extendentes, a recta, quam fere servant, linea discedebant, atque oblique in latus externum genu desinebant. Sic vastus externus, ubi ad genu pervenit, posterior fit: rectus faciem externam femoris occupat: vastus vero internus mox infra originem femur deserens, et ante ejus mediam faciem pertransiens ad rotulam pergit. Quamobrem regio interior femoris, atque anterior, quæ infra medium ossis est, solis integumentis contecta esse deprehenditur. Attamen rotula, utut male sita, aliquam mobilitatem conservat, atque ante et retrorsum parumper gliscit. Ligamentum rotulæ inferius non recta tuberi, seu spinæ tibiæ committitur, sed ductu perquam obliquo ab externa parte introrsum tendit. Itaque cum actio musculorum crus extendentium hujusce ligamenti directionem sequatur, ita musculorum vires, dum contracti sunt, bifariam dividuntur ob ejusdem ligamenti obliquitatem. Earum virium pars, quæ propter directionem obliquam minus agit, extendendo cruri impenditur;

potior vero virium pars deducendo cruri inservit. Et quamvis articulus, qui ex tibiæ cum femore unione ferme ad angulum consistit (gynglimus angularis) huic motui, nempe deductioni, parum faveat, imo ligamenta, quæ ad latera firmant genu potius eidem obstare videantur; tamen horum musculorum actio vasti nempe, recti, et cruralis, qui præter naturæ institutum crus morbose deducunt, ex ipsa partium vitiatarum inspectione elucessit. Namque tibia ita contorquetur, ut ejusdem, quæ dicitur spina, extrorsum vergat, latus vero, quod alias interius est, a priore parte sit. Hinc tibiæ directio cum femore mutata, valgusque incessus; hinc crus extensum obtusum angulum introrsum spectantem cum femore intercipit. Ubi notandum est, quod dum crura extenduntur, patella nonnihil anterius promovetur, sed mox cum quodam strepitu resilit retrorsum.

Jam supra notavimus extensores cruris musculos interiorem femoris partem deserere, ut in exteriorem versus luxatam rotulam migrent; contra hujusce ossis ligamentum inferius oppositam habere directionem, ut ab extra introrsum procedat. Quamobrem partes istæ simul sumptæ curvam lineam describunt, cujus extrema cum a musculorum actione diducantur, imminutâ curvitate ad rectam accedunt, quam ipse axis femoris cum tibia continuatus constituit; unde rotula in maxima curvæ lineæ convexitate posita, et accedente musculorum contractione necessario debet anterius ferri, quod ad crus extendendum quammaxime conducit.

Paullo diversa erat partium mollium circa genu constitutio in juvenis cadavere, in quo anno 1786 patellam sinistram luxatam esse animadverti. Detractis integumentis, denuo adnotavi musculos rectum et cruralem extrorsum tendere, atque eo magis ab femoris axe deviare, quo propius rotulæ erant. Horum extrema tendinea amplectebantur quidem rotulam, sed in tuber capitis tibiæ externum immittebantur. Ita patella in externum latus prolapsa fere in transversum apposita erat faciei externæ femoris pone condylum minorem. Area articulata in interiori patellæ facie carebat cartilagine, quod attritionis effectus visus fuisset, nisi, quæ eidem respondebat femoris facies ligamentosa substantia, lævigata et mobili fuisset convestita. Ligamentum orbiculatum ab anteriori parte crassius et robustius quam solet, visum est, et uti inter flectendum articulus obsequens, ita ad extensionem renitentior. Dum mecum ipse causam investigarem, ob quam patella in hoc saltem casu in externum latus prolapsa fuerit, existimavi multum fuisse tribuendum brevitati et gracilitati condyli externi femoris, ut ablata resistentia facilius in latus exterius excidere potuerit.

Hactenus enumeravimus vitia coxarum, femorumque claudicationem inducentia, quæ fere cum fœtu connascuntur. Non sunt prætereunda ea vitia quæ fortuito superveniunt, quibus id saltem boni inest, ut si illico, et prudenter succurras, possis idoneis præsidiis claudicationem præcavere. Inter hæc est tumor in inguine natus, vel etiam profundius intra acetabulum; tum abscessus in musculis femori circumpositis; denique effectus exterioris violentiæ, veluti cervicis femoris fractura, contusio articuli, ictus coxæ, trochanteris, genu, de quibus modo sigillatim disserere non vacat.

CAPUT IX.

DE TUBERCULIS OSSIVORIS.

Quanam sint indole prædita varia illa tubercula, quæ ossa diversimode arrodunt, quibusve partibus potissimum insideant, digna omnino res est, quæ altius inquiratur, præcipue cum ea, quæ aut *Hallerus* (1) de capitis tumoribus, aut *Louisius* (2) de tumoribus duræ matris fungosis studiose collegerunt, non omnia eorundem discrimina complectantur. Multa enim phœnomena, quæ in corrosis ossibus observantur, nondum plene explorata sunt, et tubercula nonnulla, licet habitu plane differant, videntur tamen super ossa eosdem effectus edidisse, sive intus in cavitatibus, sive extus sub tegumentis locata fuerint. Non is ego sum, qui eorum naturam, discrimina, effectus me assequi posse credam; sed aliorum exemplis proprias, qualescunque eæ sint observationes adjungere e re fore existimo, ut collatis causis signisque, obscurissimæ affectionis et simul gravissimæ historia tandem perficiatur.

Art. I.

De tuberculis capitis.

Quadragenarius vir, ruri degens bonique habitus, acerbissimis supra orbitas doloribus conflictari cœpit, quibus per tres menses toleratis, enatisque sensim supra caput abscessibus, ad nosocomium hocce se contulit, ubi post duorum circiter mensium decubitum, quum vix quidquam ad sanitatem profecisset, ad suos redire maluit, quam frustra artis opem ulterius experiri. Quum igitur mensem alterum domi transegisset, palliativa duntaxat abscessuum deligatione, in meum valetudinarium illatus est 24 octobris anni 1787. Caput ejus viri binis ulceribus erat gravatum, quorum alterum ad bregma, alterum prope suturam sagittalem paullo ante posteriores angulos ossium sincipitis existebat. Aderat simul febris post meridiem valde increscens, cervicis dolor, et a parte dextera integumentorum capitis œdema. Æger vero de morbi, quo affectus erat, gravitate identidem conquerebatur, quam ob ipsam gravitatem oppressus animo, viribusque, quæ ægritudinem antecesserant, aut insecuta erant symptomata satis explicare non valebat. Etsi hæc omnia satis indicarent in maximo periculo esse constitutum hominem, visum est eidem prodesse posse, si abscessus scalpello ampliarentur, eorumque fundus expurgaretur. Quod vix factum fuit, cum cranium utrobique corrosum perforatumque inventum est. Præterea demisso in ulcera digito, occurrebat substantia quædam mollis,

(1) In disputat. chirurg.
(2) Mémoir. de l'Acad. chir., t. V.

corticali cerebri, quantum quidem dijudicare potui, non absimilis, quod suspicionem faciebat menynges ipsas una cum osse fuisse absumptas. Cæterum integumenta communia valide marginibus osseis connexa erant. Tertia post sectionem die febris vehementior fuit, per quam licet sensus non amisisset æger, nec artus fuerint resoluti, lingua tamen tumidiore facta balbutiebat, et fractis viribus ad sese erigendum, a meridie quartæ diei post breves convulsiones repente decessit.

Postridie caput lustravimus. Velamenta nullibi soluta a cranio; imo pericranium, qua eroso ossis margini inhærebat, paullo crassius, quam solet, visum est. Cranium ipsum duobus, ut dictum est, locis penitus perforatum erat, quo circumsecto, primum lymphæ obsoletæ nonnihil effluxit, deinde detracta calvaria bina tubercula supra falciformem D. M. processum enata, et foraminibus cranii respondentia conspiciebantur. Horum tuberculorum superficies ulcerata erat, materia alba, friabili, fere sebacea intus hærente, sub qua durities quædam eodem prædita colore obveniebat, ut propterea tubercula illa non a sola superficie exterioris laminæ D. M. enata esse appareret, sed, quod secando comperimus, a sulco, omnique ambitu sinus falciformis, adeoque laminas utrasque sic contra se comprimebant, ut obstructo lumine, ad tres transversos pollices sinus immeabilis esset. Falx ipsa, et quæ illam producit durior menynx qua late se expandit præsertim supra dexterum cerebri hæmisphærium; plumbeo colore inficiebatur. Remota dura matre, sub qua lymphæ corruptæ nonnihil stagnabat, dexteri hemisphærii cortex plane gangrænosus, medullaris autem substantia, quantum oculis discernere potui, illæsa apparuit. Ventriculi superiores secundum naturam constituti, nisi quod vasa choroidei plexus decolora, et ab inclusæ aquæ copia in varices dilatata observarentur. Cerebellum mollius justo et flacidum: vasa ejusdem ita turgentia, ut inflammata viderentur. Turgebant autem sanguine atro et dissoluto, cujus pars sub tentorio, et circa basim cerebelli hærebat effusus, pars loturæ carnium similis profundius in thecam vertebrarum descenderat.

Rusticus alter boni habitus annos natus ad quinquaginta ob varios tumores sphœricæ figuræ, molisque variæ, quibus caput ipsius fœdabatur, in nosocomium exceptus est 6 martii anni 1782. Horum maximus, quantum nempe sola manus capere poterat, dimidiam ossis frontis partem ab læva, et proximam anteriorem sincipitis sinistri occupabat. Tres alii dimidii ovi magnitudine posteriori ejusdem sincipitis parti, et alter multo grandior dextrorsum suturæ lambdoideæ inhærebant. Demum tres ultimi, iique minores reliquis obliquo tractu dexterum cranii latus tenebant, sic ut imus orbitæ incumberet, alter supra os squamosum esset, postremus vero huic immineret. Porro tumores singuli circumscripti, molles, cum quodam fluctuationis sensu, et cute sana tecti, ut manifeste cystici apparerent. Percunctanti mihi quando, quibusve potissimum signis malum sese prodiderit, hæc fere ab ægro accepi: tumores illos quatuor ab hinc mensibus paullatim alterum post alterum succrevisse; atque a benigno, non dolenti

tuberculo ad eam sensim molem, quæ ob oculos erat, pervenisse; tum chirurgum quemdam, qui eosdem aqua turgidos judicaverat, spem sanationis fecisse, si lympha evocaretur. Igitur eorum altero pertuso fluidum rubellum exiluisse, quasi sanguinem decolorem, eundemque liquorem jugiter deinceps ex aperto tumore manasse; cui malo cum parem medicinam non inveniret, seque magis magisque viribus languere perciperet, consilium denique nosocomium petendi arripuisse. Quo cum esset illatus, miserrimum de se præbuit spectaculum; nam corporis macies et languor, et pulsuum inanitas, et faciei pallor, et frequens vaniloquium nonnisi infausta de eo portendebant. Triduo vix exacto, tumorum alter sponte ruptus effudit liquamen putridum, subatrum, cum intolerabili fœtore. Mox subsecuta febris cum ingenti horrore, quam delirium furiosum excepit, et denique mors.

Caput demortui inspecturi illud primum animadvertimus tumorum, quos memoravimus, sedem sub pericranio fuisse. Et eorum quidem alterum in regione temporali situm ab musculo crotaphite contegebatur; cranii vero pars unaquælibet, qua singulis ulceribus subjacebat, devastata erat; id quod etiam accidisse observavimus sub reliquis tumoribus, ubi pericranium, et galea aponeurotica, et communia integumenta illæsa permanserunt. Tumores autem ipsi hinc pericranii superficiei, illinc D. M. externæ laminæ tenaciter adhærentes conflati erant ex substantia quadam solidiori, inæquali, rubente, plurimis sepimentis partim filamenta, partim membranas æmulantibus in crebras cellulas dispertita, in quibus humor concludebatur eidem plane similis, qui ex ruptis abscessibus effundebatur. Eæ porro membranæ pericranium nempe, et menynx crassiores et duriores factæ validius inhærebant perrupto et scabro margini, qui ab ossis solutione extiterat. Cerebrum in speciem sanum erat, excepta ea regione corticalis substantiæ, quæ tumoribus substrata erat, utpote colore magis obsoleto prædita.

Cranium siccatum per octo foramina diversæ diametri, figuræ ad sphæricam accedentia, patens erat; circa quæ foramina illud præcipue notandum, in nonnullis tabulam cranii extimam, in aliis diplœn, in aliis denique interiorem tabulam magis fuisse exesam, ut propterea ambiguum esset, cuinam ex hisce partibus gravius vitium contigerit. Sulci, qui menyngeas arterias anteriorem, posterioremque recipiunt, paullo profundiores sunt, atque in ramos eleganter distributi. Rudimenta novorum foraminum præsentabant foveolæ quam plurimæ in interiori tabula insculptæ, ab eodem humore solvendi facultate prædito inchoatæ. Denique non sine admiratione spectabatur reliquam ossis structuram præ duritie, candore, crassitie robustioris et sanissimi viri cranio non cessisse. Eximium hocce specimen in Musæo Acad. Cæs. Josephinæ jamdiu asservandum obtuli.

Famulum mediæ ætatis, qui ulcerosas ex impura venere affectiones antehac contraxerat, luem tamen nunquam, acuta febris adoritur mense augusto 1789, quæ paullatim eundem deserens capitis dolores nunc magis,

nunc minus infestantes reliquit, donec obortis tribus tumoribus penitus sedarentur. Primus et amplior a gibbositate dextera sub cute capillata ad mediam frontem, et ad dexterum supracilium porrigebatur; alter magnitudine ovi pulli indici sincipiti dextero insidebat non dolens, ex molli duriorique materia consistens, cujus plane naturæ erat tumor tertius, minorque, qui ex adverso stabat supra verticem sinistrum. Ægrotanti, qui in nosocomium venit calendis novembres 1790, tumor anterior ad suppurationem jam vergens incisus cranium nudatum ostendit, densamque materiam per viginti et amplius dies copiosam dedit, remanente intus quadam substantia tenaci in pus difficillime convertenda. Inter hæc convulsionibus bis corripitur cum sensuum extinctione, absque febri, tum frequentius ad instar epilepticorum motuum, quibus lingua et mente intercepta, cum pulsu languido et molli, male articulatas et vix intelligendas voces edebat. Quo autem crebrius epileptici motus accedebant, eo magis decrescebant bini tumores verticem occupantes, imo sinisterior prorsus evanuit. Dum hæi mutationes fiunt, et separationis sulcus in osse prioris abscessus apparet, novum tuberculum sub ossis frontis capillis attollitur, quod confestim incisum os nudum dedit, et sanie male olenti profluente sensuum, et linguæ usum paullatim restituit. Per hanc vero malorum seriem, quod mireris, et sub mentis hebetudine diuturna cibos opportune capere homo non neglexit, adeo ut quinto curationis mense vires ei ad incedendum satis sufficerent.

Abscessus ossis frontalis, qui postremo apparuit, secedente ossea lamina ante alios coire cœperat, sed ex priore ulcere, licet puris multum ferretur, abscessio nulla secuta est. Interim ægrotans purioris aëris fruendi gratia excessit nosocomio circa septimum decubitus mensem, extantibus etiamnum binis supra caput ulceribus, et indolenti tuberculo supra verticem dexterum. Citius, quam credebamus, in valetudinarium reportabatur sensibus omnino orbatus; nam cum per illos septem dies, quibus otiabatur, poculis, et forte etiam uxoris amplexibus indulsisset, sopore et convulsionibus per noctem correptus est, iisque per integrum mensem detentus, donec paullatim loquendi, adsidentes internoscendi, quin etiam gradiendi facultas reddita est. Verum accedentibus denuo circa undecimum ægritudinis mensem epilepticis motibus, pro ejus gravitate sensibus plus minus alienari, balbutire, lecto hærere cogebatur, et crebrius adhuc instante epilepsia fere obmutuit, nisi quod per intervalla obscure quædam pronunciabat, et se intelligere, quæ dicebantur, gestu quandoque significabat, donec scorbuto dissolutus præcedenti brevi oppressione confectus est 22 julii 1792 intra vigesimum pertinacis morbi mensem.

Hujus viri nullam aliam partem præter caput dissecavimus, quia calor summus offendebat. In eo igitur capite bina ulcera spectabantur, quorum amplius in gibba dexteriori frontis parte extabat cum carie aridissima, nigra, asperaque. Alterum in sincipite, ex quo tabulæ externæ lamina secesserat. Caries prioris ulceris perrosa externa lamina in sinum frontalem dexterum penetraverat. Os frontis circa medium foveolam scabram habebat,

ex qua bracteola ossea deciderat; sinistrorsum vero foraminulis quamplurimis scatere cernebatur. Ejusmodi foraminulis pertusa erat interior tabula ossis frontis et verticis sinistri, quibus grana quædam ex osse protuberantia interjacebant. Sinus asperior in dexteri verticis medio aliquid abscessisse indicabat. Hæc vitia sive in frontali, sive in ossibus verticis animadversa nequaquam ad interiorem tabulam descenderant, nisi erosionem excipias intus in sincipite sinistro, quæ e directo exteriori respondebat, intercedente tamen tenuissimo septo, ne in unum foramen abirent.

Cæterum gravioribus hisce affectionibus aliæ sunt addendæ, quæ detractis capitis integumentis observatæ sunt maculæ nempe flavæ, superficie tenus asperæ in utraque tabula ossium, de quibus loquimur, impressæ. Notabatur præ aliis vestigium flavum in interiori parte verticis sinistri, et in substrata D. M. quæ eo loci crassior facta denarii circiter latitudine comunicaverat labem piæ menyngi, cum qua concreverat, tum corticali lobi medii cerebri, luteum nempe colorem et duritiem iisdem impertiens. Medullaris cerebri duriuscula; aqua multa in ventriculis lateralibus, præcipue in sinistro, et ad basim cerebri, tum in theca spinalis medullæ reperta est. Cranium reliquum satis habebat soliditatis, quin etiam suturas propemodum ossefactas.

Expositas habes observationes tres tumorum, qui capiti innascuntur omnino lethalium. Nec aliter fieri potest; etenim *Falloppius* jam monuerat, quod si in aliqua parte capitis sic hæserint (tumores), ut loco moveri non possint, ossis timendam esse corruptionem. Et *M. A. Severinus* (1) sub *longa contage* saniei os subjectum conteri solere scripserat. Difficillimum vero est statuere quæ causa, quæ prima sedes hujusmodi tumorum sit, ad quam speciem pertineant. Et primum quærere oporteret, an extra vel intra cranium originem habuerint: vix licet suspicari tam atrox malum sub capitis integumentis hæsisse, cum neuter ægrorum externa violentia, aut cacochimia fuerit affectus, quibus mali initia sint referenda. Contra, in duobus capitis dolores diu præcesserant, antequam tubercula extus apparerent. Si intra cranium incœpit morbus, iterum quærendum est an ejus primordia sint repetenda ab congestu, vel corruptione eorum corpusculorum in extima D. M. lamina locatorum, quæ olim *Pacchionus* glandulas vocavit; an ab affectione cellularis textus laminas utrasque conjungentis.

Si habitum respicio et contenta tuberculorum supra memoratorum, ego certe iis, qui a *Celso* capitis proprii dicuntur meliceridi, et atheromati quodammodo compararem, quæ singula, ut *Celsus* ait (2), et ex parvulo incipiunt, et diu paullatimque increscunt, et tunica sua includuntur. Et atheromati subesse quasi tenuem pulticulam; meliceridi liquidiorem humorem; his inquam compararem, nisi nostris tuberculis tunica sua deesset, et nisi sic essent comparata, ut per medium incisa et effusa materia

(1) De absc. anomal., cap. 21.
(2) Lib. VII, cap. 6.

vulneris oræ committi propter ossis corruptionem, et glutinari nequeant, quemadmodum faciendum præcepit idem *Celsus* de iis, quæ paullo ante descripserat. Hujusmodi igitur pulticulæ, aut liquidiori humori vim summam inesse oportet, quæ tantam inferat ossibus noxam. Anne hanc vim pulsationi, aut pressioni, quam exercent in subjacentem calvariam tribuemus? Sed nulla in his tumoribus pulsatio aderat; neque tumores illi compressi intra cranii cavitatem se recipiebant, quæ duo tanquam signa fungosorum capitis tumorum numerat *Louisius*. Num ex acido esse vim ossa rodendi, quod sive pulticulæ, sive cruento humori inhæreat, censebimus? Nondum experimenta cum ejusmodi materia sunt capta, quibus id probetur? Tamen si statui quidquam potest ab effectibus, qui ossibus acido liquori immersis obveniunt, videtur certe aliud esse non posse, quam acidum in corpore extricatum sive animale, sive phosphoricum, sive lacteum, sive saccharinum, quod tantam vim in ossa exserat. Huic addi merito debet vis insignis vasorum absorbentium. Ut enim tubercula ista inflammatione quadam, aut mollitudine afficiuntur, sic labefactata compage ossis elementa dissolvuntur, et sublatis terreis particulis vasorum lymphaticorum actione os excavari, imo perforari necesse erit.

Quidquid autem de causa sit, quæ tubercula excitat, et quæ ossa perfodit, morbus hicce plane differt a tumoribus fungosis D. M., quorum numerosa exempla ex aliis protulit *Louisius* (1). In his enim tumor externus magis minusve prominens persæpe pulsat, aneurysma, vel cerebri herniam mentiens; quandoque tumor intra cranium totus se recipit; delituitque ægro in oppositum latus decumbente. Denique ejusdemmodi tumori simplex vulnusculum inflictum diras convulsiones, mentis alienationem, soporem et mortem concitavit. Si hisce fungosis tumoribus conferre velis, observationem, quam secundo loco posui, non repugnavero, in qua tubercula ex solidiori substantia cellulari conflata erant, nisi quod symptomata præcipua cum iis, quæ a fungis concitantur, plane non convenirent.

Reliqua autem tubercula in priore et tertia observatione commemorata fungosis minime tribuenda videntur, sed potius ejus generis tumoribus, quos barbari ævi scriptores *testudines* vel *talpas* nuncuparunt. Ignoramus sane cujus naturæ fuerint affectiones, quæ eo venerunt nomine; videlicet an pertinerent ad eos tumores qui tunica aliqua comprehenduntur; an ad alios, qui ex spongiosa substantia excrescunt; item an primum in extima cranii superficie radices egerint, dein os corruperint; an contra e duræ matris superficie vegetando perrupto paullatim cranio extus emerserint; an utrovis demum modo et concrescere et stragem edere potuerint. Quamvis enim talpæ et testudines a medicis, qui proximo sæculo inclaruerunt (2), ad eam tumorum classem relatæ fuerint, qui cysti sua

(1) Mém. de l'Acad., t. V.
(2) *Heister*, Chirurg., t. II, sect. I, c. 28.

continentur; id tamen omnino non liquet, utpote nullis dissectionibus comprobatum. Et profecto pœnituit *Morgagnum* (1), quod introspicere neglexerit caput viri quadragenarii, ad cujus alterum occipitis latus talpa in abscessum degenerata mortem intulit.

Me quidem non latet tumores cysticos (nattas vocant) capiti æque ac aliis partibus innasci, eosque chirurgia feliciter plerumque extirpari; sed si me non omnia fallunt, illos a talpis probe distinguendos esse puto. Nam preterquam quod nomina talpæ et testudinis iis tumoribus, qui super caput excrescunt, tributa sunt; tum ob quamdam similitudinem, quam exterius habere cum eorum animalium figura crediti sunt; tum ob sinus varios, et quasi cuniculos, quibus eorum substantia excavata erat, in eo auctores omnes consentiunt, quod, quemadmodum talpæ sub terra deambulant; ita tumores isti sub cute serpentes cranium depascantur. Qua propter aleæ plenissima erat eorundem curatio. Atque evidens est *Guidonem Cauliacum* (2) novisse, quantam labem inferant cranio testudines et talpæ, et quantum in earum sectione sit periculi, dum satius existimavit cum *Rogerio* et *Lanfranco* hujusmodi ægros intactos dimittere. Et licet medicus audacior, manuque strenuus *M. A. Severinus* (3) mature succidendos suaserit tumores super caput extantes, aut si altius descenderint cranium radere ad usque sanum jusserit, id de tunicatis potius quam de talpis videtur præcepisse. Et quamvis *Amatus Lusitanus* (4) referat, talpam ab humore strumoso in sincipite puellæ enatam fuisse, qua aperta, nullum pus aut saniem exivisse, sed membranam quamdam carnosam conspectam fuisse, qua extracta, cranium corrosum apparuit, atque abraso osse fuisse sanatam; intelligitur tamen ex hoc curationis genere aut cranium non fuisse perforatum, aut certe malum sub cranio non hæsisse; dum e contra *Cauliacus* vidisse se hominem memorat, habentem talpam ulceratam cum corruptione ossis, *adeo ut ita perspicuus esset panniculorum motus, ac si locus esset detectus.*

Dolendum sane est, quod arabicæ sectæ scriptores talparum historiam imperfectam reliquerint; id unum communi veluti consensu tradiderunt, os sub cute vitiatum fuisse, cui signo si adjungamus, eas sæpius et pluribus locis e D. M. sede extrorsum pullulasse, apparebit, et esse genus morbi truculentum, et ancipitem plerumque evadere curationem. Præter talpas, cranium vitiatur quoque ab aliis tumoribus, qui vel a scrophuloso, vel a venereo, vel a tineæ viru excitantur, quorum exempla relata videre poteris in splendido musæo anat. *Eduardi Sandifortii* (5), in quibus notandum præcipue, quod cranium a tinea erosum, licet per integrum mensem aëri fuerit expositum, odorem subacidum continuo emittebat.

---

(1) De sedibus, ep. XXIV, 11.
(2) Tract. II, doct. II, cap. 1.
(3) De abs. anomal., cap. 21.
(4) Cent. III, curat. 59.
(5) Vol. 1, p. 152, 154, 155.

Dum cunctaremur in recensendis nostris schedis, peropportune accidit, ut observaremus tumorem fungosum in muliere, cujus historiam collegit *Petrus Mazzolius*, chir. doctor.

Mulier sexagenaria Mediolani degens annos ferme quadraginta transegit optima utens valetudine. Dum e scalis forte desiliret, tam valide occiput impegit, ut per horæ dimidium semianimis jacuerit. Sublevata ab amicis, et in nosocomium illata intra viginti dies persanata esse videbatur, nisi in posterum cophosi, et aurium tinnitu continuo vexata fuisset.

Mense januario anni 1816 tumorem e media fronte sibi succrescere deprehendit; cumque nec dolore, nec tædio ullo gravaretur, artis peritos consulere neglexit. Circa medium julium ejusdem anni cum tumor magis auctus tactu quoque indolesceret, ad nosocomii nostri magistros confugit, qui a tumoris pulsatione tunc primum spectabili, et arteriis synchrona, aneurysma esse declararunt, adhortabanturque fœminam, ut in eodem conclavi remaneret, quod illa penitus respuit, et nosocomio excessit, mox reditura medio nempe septembri, ut de statu tumoris novas sententias colligeret. Erat is dimidii ovi magnitudine, mollis, et pulsans, pressione indolescens. Venæ quæ per frontem serpunt, ampliatæ. Circa tumoris basim circulus extans, osseus, inæqualis pertentando percipiebatur, inditium nempe ossis frontis perforati. Pressio nec minuebat tumorem, nec turbas ciebat in sensorio. Tamen postquam hac altera vice redierat, visus ei hebetior factus est, ut nec sine confusione, nec minutas res percipere posset. Omnes igitur qui convenerant artis sive periti, sive profitentes, ut judicium quisque suum proferret rogatus, alii aneurysma, alii talpam, alii duræ menyngis fungum esse contendentes os frontis perrumpentem, nihil moliendum esse rati sunt præter splenia cum oxycrato imponenda. Transactis decem diebus sine ullo levamine, jam tertio domum reversa est. Demum cum post menses octo fungus magis ingravesceret, atque ad nasi radicem abolita pulsatione porrigeretur, febrim etiam, stupiditatem, et amaurosin induxisset, et simul frontales venæ, aliæque cutaneæ turgidiores essent, supremum diem apoplectica explevit in nosocomio vigesima decembris 1817.

Ablata calvaria cerebrum naturalis consistentiæ; pauxillum seri in ventriculis superioribus; glandula pituitaria duplo crassior, durior, opticorum conjunctionem comprimens; olfactorius uterque integer; lobi cerebri anteriores versus cranii fornicem compulsi reperti sunt.

Sarcoma, aut si mavis fungus, pugni magnitudine assurgebat interius inter duram menyngem, quæ eidem tenaciter adhærebat, et os frontis ab orbitarum fornice; atque comprimens, et attollens lobos cerebri anteriores, tabulas ossis frontis utrasque perruperat, extusque apparuit, totum illud spatium occupans, quod inter nasi radicem et frontis gibbam intercipitur. Huic fungo prætendebatur pericranium multo, quam solet, crassius. Foraminis ora aspera, inæqualis.

Carotides duplo ampliores, eorum tunicæ cartilagineæ usque ad unionem

cum vertebralibus. Tumor cœterum aut fungus non tam fragilis inventus est, ut plerique ejusdem indolis esse solent, sed quamvis non durus, consistentiæ tamen erat placentæ humanæ crassioris, quam colore, et structura æmulabatur.

Disquirendum modo superest, quænam potissimum causa huic fungo originem dederit. Res quidem explicatu difficilior est, neque ego nisi trepidanter opinionem meam proponere ausim. Traditum est superius hanc fœminam occipitium allisisse, et per semihoram mente hebetatam fuisse, quod satis indicat per eum ictum non solum cerebri massam fuisse concussam, sed etiam ad os frontis impetum traductum fuisse, a quo dura menynx divulsa, et quodammodo vulnerata papillas et vasa eduxit sic, ut paullatim in fungum longo annorum intervallo coalescerent. Quam vero ob rationem os perforatum fuerit, altioris indaginis esse puto. Illud certum est, theoreticas explicationes sequi periodos novarum, et renovatarum opinionum. Nunc enim acido cuicumque, nunc præcipue oxygeno, modo mollitudini partium duriorum, recens etiam diuturnæ pressioni vim tribuerunt ossa perfodiendi.

In hoc opere perficiendo maxima est, ut creditur, vasorum lymphaticorum facultas; hæc etenim quæ sunt mollia, quæ sunt fluida, intra se recipiunt incredibili voracitate, atque in torrentem sanguinis deponunt. Fungus igitur mole adauctus continuo appulsu os frontis urgendo, vasaque sanguinea labefactando, ut sanguinis motus per ea impediretur, sic lymphaticorum actionem potuit intendere, ut solidas partes abriperent, destruerentque. Hoc autem eo facilius evenire potuit, si concipiamus ob duræ matris sejunctionem tabulam frontis interiorem emortuam fuisse, ideoque vitalitate orbatam lymphaticorum potentiæ cessisse; deinde tabulam exteriorem iisdem subjectam potentiis, eademque pressione vitiatam, ex inopia nutritionis fuisse perfossam.

Hinc intelligitur, quare lobi cerebri anteriores, qui pleniore vita gaudebant, non fuerint contaminati, sed ob tumoris molem a menynge remoti, et sursum duntaxat propulsi.

Mulier mediolanensis, Ignatia nomine, quæ quartum pepererat, quæque bona cœterum valetudine utebatur, ad medium anni 1817 ingenti dolore percellitur a clune sinistro ad totum ejusdem lateris artum descendente, incessumque præpediente. Cum plurimorum mensium spatio dolor incresceret, et cruri insistere nequiret, ex chirurgi cujusdam consilio primum vesicatoria, dein cucurbitulas cruentas sibi apponi passa est. His irritis, agyrtæ sese concredidit, cujus emplastris ita in deterius mutatus est morbus, ut deinceps nonnisi baculis suffulta incedere paullisper potuerit.

Octobri mense ejusdem anni, dum comas necteret, tumorem dextero sincipiti ovi columbini magnitudine, non dolentem esse adnatum deprehendit, quem neglectum duplo majorem fuisse factum vidimus mense julio 1818 nec sine fugaci dolore. Huic tumori nunquam pulsanti acidum nitricum oblinitum acerrimos ciebat dolores, et decidente crusta prorumpebat sanguis, cum incerto, si percuteretur, fluidi subtus congesti sono.

Cum arduum esset de tumoris indole judicare, de curationis et de exitus ratione, placuit aliorum artis peritorum sententiam explorare, qui confestim tumorem, cujuscunque esset naturæ, incidendum esse præpropere existimarunt. Secta igitur decussatim cute, resolutisque marginibus, occurrit massa quædam mollis, friabilis, atheromati similis; qua digitorum ope abrasa, ingens in sincipite dextero foramen, simulque pulsatio duræ menyngis apparuit. Sanguis linamentis et levi ustione compressus est; vulnus commissis oris deligatum. Vespere febris cum cephalalgia, pulsu deficiente, et anxietate invadit, quæ symptomata postridie intensiora fuere, spiritus insuper graveolens, lingua arida, nausea, vires prolapsæ. Tertia die febris cum horrore accessit, et nausea, et urenti calore, et cardialgia, et palpebrarum inflatione. Ex vulnere serosa manabant. Diebus, qui insecuti sunt, frequens, insolitus horror, sudor interdum profusus, pulsus parvus, vulneris livor, lethargus mortem præcesserunt, quæ die septima ingruit.

Ablata calvaria, multum puris fuit inter cranium et duram menyngem, cui tumoris reliquiæ, molliculæ, facile detrahendæ inhærebant, uti etiam superficiei externæ ossis sincipitis circum foraminis oram. Hoc subrotundum et asperum diametro non excedebat dimidium scutatum. Sub dura menynge copiosior fuit sanies totum cerebri hemisphærium inundans. In ventriculis lateralibus parum seri conspiciebatur.

Jam ad artum affectum admoto scalpello, detectaque junctura ileo femorali pingue aliquod corpus propria, eaque subobscura membrana conclusum et amplificatum se obtulit, quod incisa membrana ita perversum apparuit, ut mollitudine et colore cerebrum esse diceres, eique simillimum esset forma et densitate, quod capitis tumorem constituerat. Hæc cerebriformis materia per foramen elypticum in anteriori inferiorique acetabuli parte in pelvim penetraverat, ubi intus a musculo iliaco, et interiori obturatore, extus a medio, et minimo gluteo erat circumsepta. Hinc totum fere acetabulum, eaque ossis innominati pars, quæ interius in acetabulum concurrit, penitus eversa erat. Fungus igitur, quod ab interiori ossis ilii, ut existimamus, superficie originem habuit, extrorsum tendens post ossis suffossionem acetabuli certilaginem fere sanam, apparatusque synovialis partem sublevatam protruderat, atque sub iisdem retrorsum inter M. M. gluteum medium et minimum grassatus est. Ita teres, quod vocant, ligamentum, et femoris caput totum a labe immunia fuerunt, videturque in acetabuli confinio duntaxat vim suam exeruisse.

Nervus ischiaticus major lympha circumfusus, multisque varicibus auctus, crassior solito erat.

Anno 1817 fœmina, quæ coxitide laboraverat, et quæ amplis ustionibus curata a doloribus omnino libera erat, pertinaci alvi fluxu periit. Hujus inferior artus sinistri lateris brevior multo est inventus. Musculi ossi innominato sinistro circumpositi flacidi, et mucosi tam glutei, quam iliacus internus, et psoas inventi sunt: os innominatum livescens; tendines musculorum cum capsula articulari crassiores facti; et in lardeam naturam

mutati; intus in articulo cartilagines absumptae; capitis femoris dimidium detritum; fundus acetabuli largo foramine pertusus; puris, neque saniei ulla vestigia. Ossium detritorum superficies oblinitæ erant quodam rubente smegmate sanguineo, vini fœcibus persimili. Ossium meditullium eodem corrupto sanguine replebatur.

Mense martio 1819 defunctus est vir ob id genus tumoris quod osteosarcoma vocant, lævo scapularum ossi inhærens. Totum in eo homoplatæ os præter angulum inferiorem in alienam naturam scilicet muco carneam mutatum visum est cum particula etiam sinus glenoidei; dum interea illæsæ permanebant cartilagines, tum quæ ad os brachii, tum quæ ad scapulam pertinebant.

Placuit postremas has observationes superioribus subnectere, licet ad capitis tumores non attineant, quia ex eorum comparatione regulæ emergere possunt, per quas eorum discrimina clarius innotescant. In prima historia tumor e superficie D. M. videbatur excrescere, continebatque materiam albam, friabilem, sebaceam. In altera tumores suberant pericranio, cellulosi, continentes puriformem humorem. Tertia demonstrat erosiones utriusque cranii tabulæ, magis tamen externæ. Quæ sequitur exhibuit fungum locatum inter D. M. et os frontis, colore et structura placentam humanam æmulantem. Quinta in partibus omnino separatis capite nempe et acetabulo conspiciendam dedit materiem mollem, albam, cerebriformem. Dissimilis admodum fuit morbida conditio sexti ægroti, in quo partes molles circa acetabulum in lardeam naturam mutatæ, et in ipso acetabulo et osse innominato smegma sanguineum repertum est. Denique in postremo ægroto homoplata in carnem hebetem transmutata observabatur.

Consideratis hisce discriminibus, quæ in structura, tum in humore vario obveniunt tuberculorum ossivororum, hunc ordinem in genera distribuendi opportunitatem quisque agnoscit. Et primum quidem genus juxta modum, quo effingitur, est *vegetantium*; tumorum nempe a productione et expansione vasorum cujuscunque speciei, et cellularis substantiæ incremento, ex quibus novum veluti corpus, aut organum compingitur. Alterum *secernentium*, dum cujuslibet partis aut organi, cui insita est facultas aliquid secernendi, pervertitur officium, atque contra leges sani organi humorem alienum, aut perversum, aut permixtum simul secernit, ut in hist. 1, 2, 5. Postremum est *transmutatorum*, dum videlicet in substantiam a naturali diversam aliqua pars corporis convertitur vel in carnem, vel in cartilaginem, vel in osseam duritiem. Considerandi etiam sunt ii tumores, aut congestiones, quæ ab initio ossibus parcunt quidem, cartilagines vero et ligamenta pessundant.

Rursus vegetantium tumorum, qui ossa devorant, alii intus in substantia reticulata, spongiosa, aut meditullio originem habent; alii extus ossibus apponuntur; alii demum ossi suppositi sunt, ut in præcedentibus casibus demonstratum est, qui tamen omnes corticem paullatim destruunt sive diuturna pressione, sive emollitione, sive quacunque alia ratione.

Par est malignitas secernentium, qui maxime inflantur, ossa, proximasque partes devastant. Vitium, quod in sexta notatur observatione, aliqui anthrocacen aut cancrum ossis appellarent. Demum affectionem in quinta memoratam ad medullarem fungum referendam novissimi observatores judicarent. Hujus fungi egregiam dedit descriptionem cl. *Maunoir Senior* (1), qui hocce principium statuit, in unoquoque tumore aut solidum aut fluidum morbidæ *aberrationi* subjacere, atque sive solidum distentum, sive fluidum coacervatum aliquandiu primigenium servare habitum ejus solidi, vel fluidi, a quo originem duxit, donec prorsus degeneraverit. Ita substantiæ nervosæ degeneratio, vel expansio *fungum medullarem* constituit. Vix autem comprehendere quisquam poterit, quomodo eo usque expandi possit medulla, ut ejusmodi fungum constituat, eoque minus, quod partibus interdum insidet aut nullis, aut paucissimis nervis dotatis. Ego certe existimarem hujusmodi fungos opus esse depravatæ secretionis, per quam non medulla proprie dicta, sed analoga substantia proprietatibus tamen medullæ carens, conficitur.

Art. II.

De tuberculis spinæ.

Ad tubercula ossivora referri commode potest grave illud morbi genus, quod sub steatomatis specie corporibus vertebrarum inhæret, et quod ossa dissolvendo cum cartilaginibus intervertebralibus spinam inflectit, ut dorsum in gibbum attollatur. Et cum hæc a reliquis gibbositatis speciebus differat ratione causarum et symptomatum, propterea *cyphosin paralyticam* nuncupavi.

Aggreditur autem cyphosis homines cujusvis ætatis, præsertim pueros, qui primum de lassitudine artuum inferiorum conqueruntur; inde cum quadam difficultate incedentes crura decussant; genua sponte flectuntur; quin imo ammisso crurum usu, et maximam partem sensu procidunt. Etsi autem sensus motusque naturalis multum imminuatur, musculi tamen non ita molles et flaccidi evadunt, quemadmodum in perfecta paralysi; nec ligamenta adeo relaxantur, ut artus quoquoversus converti possit; pes tamen circa maleolos tumidus deorsum inclinatus conspicitur. Inter hæc gibbus in spina animadvertitur modo ad cervicem, modo ad dorsum, minus frequenter ad lumbos, qui quidem gibber nunc duo, nunc tria vertebrarum corpora aut plura afficit, ut spina in majorem vel minorem arcum flectatur.

Incipiente malo, ligamenta vertebrarum crassiora fiunt et laxiora; vertebrarum corpora vix intumescunt; cartilagines inter vertebras compressæ

---

(1) Mémoire sur le fungus médullaire et hæmatode, par J. P. *Maunoir*. Genève 1820.

molliuntur; denique increscente malo harum partium talis fit jactura, ut abolitis cartilaginibus et ligamentis, vertebrarum corpora plus minus exesa deprehendantur, et spina sensim in gibbum attollatur. Etenim deperdito vertebrarum corpore, spina antrorsum flectatur necesse est; inde tænia ligamentosa, quæ a summo descendit ad firmanda vertebrarum corpora, in saccum distenditur a materia intus retenta, nunc saniosa, nunc densiori in sebi, vel casei formam, cui squamulæ albissimæ deperditi ossis innatant. Hæc labes plures sæpe vertebras simul afficit, et ad costas serpit, quorum capitula non semel corrosa, et a vertebris disjuncta sunt reperta.

Morbus hicce inter antiquos reponendus est, cujus egregiam apud *Hippocratem* (1) delineationem habemus. *Galenus* postea in explanatione aphorismi hippocratici « qui gibbi ex asthmate, aut tussi fiunt ante pubertatem moriuntur » asseruit jam dudum, tubercula, quæ gibbum pariunt, ligamentis vertebrarum innasci. Quam sententiam amplexus est *M. A. Severinus* (2) refutans eorum opinionem, qui gibbum ab asthmate, aut a tussi fieri censuerunt, tanquam si ab vehementi pectoris agitatione vertebræ loco moveri potuissent; simulque *Hippocratis* aphorismum hunc in modum emendavit.

Qui præter asthma et tussim gibbi fiunt, hi ante pubertatem intereunt. Horum tuberculorum sedem satis recte indicavit *Camperus* (3) qui morbi rudimenta observavit in laminis elasticis, cartilagineis vertebrarum corporibus interpositis, quæ dum absumuntur, corpora ipsa vertebrarum aggreditur labes, destruitque, dum processus articulares fere intactos dimittit.

Partium organicarum læsiones, si non omnes, pleræque saltem ab inflammatione vel manifesta, vel latente originem ducunt, a quacunque demum causa progignatur, sive a viru scrophuloso, sive a labe rachitica, rheumatica, sive a steatomate, ab ictu, aut gravi spinæ distorsione, cujus rei posterioribus exemplis certior factus sum, ut quæ olim contraria asserueram, nunc solemniter retractare cogar. Hæc inflammatio dum ossa, aut ligamenta, aut cartilagines comprehendit, tam lente, tam subdole progreditur, ut longo post intervallo per molestum doloris sensum se prodat, qui in infantibus quidem velocius explicatur ob vasorum sanguineorum copiam et vim nervorum promptiorem.

Nil mirum igitur si accedente inflammatione theca vertebrarum crassior facta medullam et nervos comprimat, eorumque functiones lædat; comprimitur etiam medulla sanguine, aut lympha in theca vertebrarum effusa vel a tumoribus inter vertebrarum processus erumpentibus; sed in his dorsi spina plerumque non mutatur. Quamobrem cum modo in chirurgicis per solam inflammationem plura phœnomena explicentur, et cum

---

(1) De artic., n.° 19, edit. *Foesii*.
(2) De gibbis, cap. 3.
(3) Demonstr. anat. pathol., lib. II, cap. 1.

consentiant magistri per eum processum lymphatica promptiora reddi ad avehendum quidquid solutum est; supervacuum est quærere a chymicis an acida, quæ ab humoribus nostris obtinentur, uberiori copia secreta, ossa ita aggrediantur, ut, laxata compage, destruantur. Nuper certe cl. *Marchelli* (1) statuit acidum phosphoricum aut nimis liberum, aut nimia copia secretum posse ossa dissolvere, terramque lymphaticis tradere. Ille enim abundare phosphatum calcis tum in urinis, tum in illa sanie, quæ ex cyphoseos ulceribus manat, comperit. « Secerni, idem cl. vir ait, in animali œconomia acidum phosphoricum, quod calci conjunctum phosphatum calcareum constituit. Atque hoc phosphatum existere in omni solido, et in omnibus animalis humoribus, quod proinde osseæ fabricæ partem potiorem constituit. Igitur cum excedens acidi phosphorici copia dissolvat phosphatum calcis, intelligitur quare hoc liberum maneat in urinis, in lactibus et in aliis fluidis a corpore secretis, quia nempe acidum solutam detinet calcem, ne solidescat. Qua propter in medendo huic ægritudini carbonatum calcis et martem in pollinem redactum in usum trahit ».

Nuperrime etiam ad illustrandam cyphoseos historiam multum contulit cl. *Copeland* (2) qui sibi proposuit signa tradere incipientis valetudinis, antequam caries et gibbus in conspectum veniant, eidemque medendi methodum. A nervo modice compresso torpor cum aliquo constrictionis sensu suboritur in ea parte, ad quam nervus tendit. Aucta pressione, nervus resolvitur, scilicet motum sensumque a voluntate pendentem ammittit. Hanc igitur constrictionis, vel angoris, vel rigiditatis in artubus speciem existimat *Copeland* esse inditium pressionis in medullam spinalem factæ; dum e contra a cerebri compressione relaxantur partes sub eo positæ. Pressionem diutius ferre potest medulla, quin caries, aut gibbus subsequatur. Imbecillitas autem, movendi difficultas et lassitudo videntur auctori effectus esse læsarum vertebrarum et cartilaginum. Ubi malum in supremis dorsi vertebris consistit, tunc abdominis musculi incipiunt resolvi, quod symptoma a medicis pro alio morbo, vel dyspnœa, vel inflatione stomachi, vel imi ventris torpore accipitur. Hos sequuntur alvi siccitas, ischuria, aliæque viscerum abdominalium læsiones a nervorum paralysi.

Varia læsæ medullæ sedes varia itidem affert symptomata. Æger plerumque supinus conquiescit. Dum cyphosis cervicis vertebras prehendit, dolor, spirandi et movendi difficultas est, præcipue si corpus in orbem vertatur. Dum vertebras dorsi, major est angustia ventriculi, et abdominis torpor; si lumborum vertebras, actiones crassioris intestini, et vesicæ magis læduntur. Quæ omnia graphice exposita legimus in *Hippocratis* libro *de Articulis*.

Jam videndum, ubi gibbus nondum apparuit, quonam in loco spinæ

---

(1) Atti dell'Accad. di Genova, vol. II.
(2) Annali di Medicina Universale, vol. X, 1817.

labes hæreat. Si notis superius memoratis accedat molestia ab imposito calore, si pars aliqua tactu leviter indolescit, præsumi potest ibi consistere malum. Tamen cum hæc signa non semper certa sint; *Copeland* proponit aliud sibi familiare, quod est spongia calida imbuta dorsum eousque perfricare, donec locus indolescens innotescat.

In hoc cyphoseos stadio, in quo ligamenta solum crassescunt, hirudines, vesicatoria, continua quies satis quidem proficiunt, maximeque si ad eadem præsidia iterum redeamus. Verum ingravescente morbo, ad cauteria veniendum est ab antiquis omnibus audacter adhibita, quæ inflammationem tollere, cariem sistere, et anchylosin fovere creduntur. Non ignoramus quemdam *Armstrong* nomine parum, aut nihil tribuere exutoriis, fidereque se magis quieti et solventibus, ut anchylosis perficiatur. Sed novimus præter quietem, etiam medicamine opportuno id obtineri, atque ill. *J. P. Frank* 19 annorum adolescentem intra duodecim hebdomadas sanitati restituisse, cui præter fonticulos extractum aconiti napelli et gummi guajacum exhibebat; deinde roborabat cortice peruviano, radice arnicæ montanæ, et extracto aconiti napelli; simul infricabat dorso vel linimentum, quod volatile dicunt, vel ex mercurio, et si aliquando œdema apparebat, radicem scyllæ proficue cortici jungebat.

Interea tamen fatendum est non semper profuisse cauteria; nec mirum: in gravibus enim spinæ morbis nullus medicus opitulari potest. In iis quos fatum sustulit, membrana medullæ spinali propria ex fusco lividum aut cinereum colorem contrahit. Ipsa medulla æquo mollior, cinerea, laxior in speciem magmatis convertenda. Præter medullam nervus etiam sympathicus major, et ab eo procedentes splanchnici, intercostales, aliique a tumore spinæ intercepti, aut compressi, aut macerati plus minus offenduntur, ex quorum vitio functiones viscerum pectoris et abdominis graviter perveruntur. Neque tabes ista ossibus solum inhæret, sed in viscera, et membranas quoque serpit; visus est enim pulmo scatere tuberculis hinc inde suppuratis; visa est pleura tuberculis ex steatomatorum genere referta; visum est periostæum costarum iisdem steatomatibus deturpatum. Sanies in abscessu dorsali retenta deorsum interdum tendit, et ad inguen, vel natem prorumpit (1).

Ex iis, quæ huc usque enarravimus, colligitur quod sermo non sit de illa gibbositate, quæ labem rachiticam agnoscit; nec de illa quæ a naturali quadam debilitate, aut cartilaginum interarticularium non justa proportione, aut a prava consuetudine inter sedendum, et incedendum, inter exercitationes varias, quam pueri persæpe contrahunt; minus etiam agitur de curvatura, quæ senilem imbecillitatem sequitur. Agitur de peculiari labe, quæ laminas cartilagineo-elasticas et ligamenta emollit dissolvitque; agitur de quibusdam tuberculis, qui ossium, quibus adhærent,

---

(1) *Bonn.* Thes. ossium morb., n.° 15.
Camper. Démonst. anat. path., lib. II.

compagem laxant et in pulticulam convertunt. Fatemur tamen hanc noxam a variis causis, ut jam diximus, procreari posse, nempe ab ictibus, a distortione spinæ, a scrophula, a rachitide, rheumate, aliisque affectionibus spinæ dorsi incumbentibus, præcipue vero a steatomate, cujus indolem plane exploratam non habemus, neque quid comune steatomati cum scrophula sit, notum est.

Cl. professor Ticinensis olim, *Rachetti*, in libro, quem de medullæ spinalis structura, et vitiis conscripsit, pro certo habet in cyphosi medullam spinalem primitus esse affectam, a qua dein malum in ligamenta et ossa vertatur. Hinc a solidis morbum incipere ob *præexistentem dispositionem morbificam* affirmat, meque arguit, qui noxam hanc ab *humore morbifico* olim originem trahere, asserui. Sed, pace tanti viri, quid intersit inter dispositionem morbificam et humorem morbificum plane nescio, nisi velis quoddam *Aristotelicum*. Hic autem quærerem a solidorum fautoribus an solida sine humorum affluxu infirmari possint? Solidum humore orbatum siccum et mortuum est. Atqui quæcunque corporis pars, ab humoribus non irrigata, emoritur, ideoque sine humore nec inflammationem concipere, nec in suppurationem, aut in tumorem verti potest. Et si quidpiam indurescit, id ab humoris defectu est; si quidpiam emollescit, id vel ab humoris copia, vel a raptu terreæ particulæ, quem semper humor exercet, fieri necesse est.

Cyphosis cum rachitide.

Mercatoris filius a nutrice scrophulosa educatus, post ablactationem semper male habuit, parvisque toto corpore abscessibus fuit obnoxius. Anno ætatis altero rachiticus factus est, a quo morbo vix liberabatur frictionibus, balneis frigidis, floribus martialibus salis ammoniaci, aliisque præsidiis. Dum annum quintum attigisset, in cyphosim incidit cum summa artuum inferiorum debilitate, doloribusque in infimo ventre, et ad stomachi regionem vexantibus.

Igitur fonticuli in dorso excitabantur cum levamine anno 1789; magis autem refectus est, postquam exsiccatis fonticulis tertio jam mense fluentibus, apriciori aëre frui eidem licuit. Post quinque mensium intervallum natis dextera sensim intumuit fere absque dolore; dein febris per intervalla accessit, tumorque natis ad maturitatem perductus est, tertioque, ex quo apparuit, mense sponte ruptus ingentem puris cum pauco sanguine fudit copiam, febrisque jugiter puerum detinuit, et emaciavit adeo, ut inter incedendum genua introrsum flecteret, dorso in priora curvato. Interea dolere cœpit ad inguen sinistrum, in qua sede nihil mutatum apparebat; tamen supra eum locum costæ spuriæ magis elevatæ, et abdomen extrorsum prominere cernebatur.

Symptomatibus modo indicatis febriculæ nempe, maciei, alvi profluvio, doloribusque obventum est electuario e cortice peruviano et marte. Dum corpus sic reficitur, ecce ingruentibus morbillis inguinis dolorem, et

febres inordinatas denuo lacessere, quarum ardore inguen in abscessum transiit, apertusque pus inodorum dedit. Hac evacuatione obtenta, præter tussim noctu molestam, fere nil aliud passus est æger, qui sensim sic profecit, ut lectum relinqueret. Biennium totum 1790, 1791 transegit febribus plus minus vexatus, pure nunc fluido, nunc fœtido, modo inodoro prodeunte, ventrisque doloribus intercurrentibus, quæ mala superavit et ciborum delectorum usu, et rusticatione. Anno 1792, non obstantibus tot malis, procerior factus est puer cum totius corporis incremento, et quamvis inordinatis febribus subinde subjaceret, et ex binis ulceribus ad inguen, et sub nate pus jugiter prodiret, tamen tantum ei vigoris accessit, ut sine adminiculo incederet. Anno 1794 magis confirmatum erat corpus, majusque incrementum cœperat, et si ulcus ad inguen, quod identidem coierat, et aperiebatur, et gibbum, et rachitidis reliquias excipias, ad annum usque 1800 satis prospere valuit.

Cyphosis a lapsu.

Novennis filius civis Mediolanensis a prima ætate hydrocefalo externo lateris dextri duntaxat fuit obnoxius, qui cataplasmate ex resolventibus, et tartaro bononiensi discussus est. Itaque, ut erat puer temperamenti debilioris, caput ventremque tumidiorem gerebat, et fere compernis evaserat. Ineunte æstate anni 1788 de scala super dorsum cadit, quem casum nulla manifesta læsio insecuta est; sed post aliquot dies cum vestes ob æstum abjiceret, fortiter exclamavit ob acutum dolorem, quem in dorsi spina persenserat. Et dolor quidem unguento, quod nervinum vocant, sedari videbatur, sed brevi tumore spinæ suboriente, dolores ad spinæ inflexionem et infra umbilici regionem continuo puerum detinebant. Quæ symptomata tandem patrem illius adduxerunt, ut fonticulos aperire jusserit 15 novembris 1789. Cum vero per eam purgationem crura imbecilliora redderentur ulcera exsiccata sunt ineunte anno 1790. Postea de malo in malum transiens, modo tussi, ophthalmia, abdominis obstructionibus febrique conflictatus periit emaciatus.

Cyphosis a tuberculis.

Octennis puer rure in nosocomium illatus est martio anni 1790, cui facies subtumida, genæ rubentes, respiratio anhelosa, pedes gangræna affecti, per quæ intra octiduum decessit. Quæ mortem præcesserant, vix potuerunt investigari; illud duntaxat parentes significarunt, puerum inde ab incunabulis fuisse gibbum, de quo tamen non videbatur multum molestiæ pertulisse; nunc gravi pectoris morbo correptum crurum robur amisisse.

In utraque pectoris cavea multum aquei humoris invenitur; pulmones huc illuc infarti, ut tamen ad tuberculorum duritiem non accedant. Spina ad angulum acutum inflexa, ad cujus latus dextrum assidebat tuberculum, quod sinistrorsum cum alio majore coierat. Hoc in coni formam ante

musculum psoam descendens, in parte superiori femoris desinebat inter M. tricipitem et sartorium. Valida cinctus membrana continebat pultem albam smegmati similem. Vertebræ plures male affectæ erant. Postremis duobus dorsi turbercula bina adnata erant, quæ dexterius ipsarum corpora vastarunt. Supremæ ex lumbalibus fere consumptæ a tuberculo quod antestabat, aliudque tuberculum tertiæ lumbalis corpus exederat. Absumpto penitus priorum lumbalium corpore, spina ad magnum angulum erat inflexa, qua propter inferiores tres vertebræ sinistrorsum curvatæ os innominatum ejus lateris deprimebant, dum oppositum attollebant.

Cyphosis a distorsione.

Agricola annos natus sex supra viginti ex procera castanea cadens ante annos octo nullam læsionem accepisse videbatur, quia rusticis vacavit laboribus sine tædio usque ad 30 novembris 1788, qua nocte perfrigida a patre ex fenestra nudus demissus est, ne in carcerem traheretur. Verum periculum effugere non potuit, etenim in manus incidit satellitum, et pavidus, revinctusque in custodiam traductus est, ubi paullo post in nervosam febrim cum aliqua pulmonum affectione incidit. Post tres menses a prætore dimissus domum rediit non satis firma utens valetudine, nam accersito ejus loci medico de torminibus ad lumbos et ad dextrum hypochondrium cum aliqua spinæ in idem latus inflexione conquestus est. Medicus, secta vena, sanguinem multa crusta obductum eduxit, visisque morbi proteiformis signis, cohortatus est ægrum ut ab Lario Mediolanum transveheretur.

Cum huc importaretur 23 aprilis 1790, retulit, se cruciatus quosdam ad dorsum persentire cœpisse septembri mense anni 1789, eosque sequenti martio excepisse tuber apophysium spinosarum septimæ et octavæ dorsi vertebræ, cum spirandi anxietate et torminibus in epigastrii regione. Paullo post quam fonticuli excitati sunt, lateris sinistri dolore percutitur, qui ab osse juguli ad costas nothas descendens, comitabatur magnam febrim cum genarum rubore, spiritu difficili, urinisque flammeis. Secta bis vena, sanguis crassus calensque apparuit, atque instante dolore, magnaque febbri, tertio sanguis emissus est, sed octavo die, ex quo dolor accessit, vivendi finem fecit 26 maji.

Reserato pectore, serum flavum, turbidum in utraque cavea exundare visum est, cui flocculi mucosi innatabant. Pleura tota, et pericardium, et pulmones inflammatione prehensa. Præter hæc, tubercula duo in suppurationem versa in dextra pectoris cavea extabant ab septima ad nonam costam, aliaque ejus indolis minora in sinistra aderant inter pleuræ laminas congesta.

In ventre demum tumores duo in marsupii formam pure repleti se obtulerunt, qui sub diaphragmate incipientes ad lineam pelvis, quam innominatam vocant, porrigebantur. Non alias in eodem corpore duos hujusmodi tumores observaveram. Saccus dexter per incuriam sauciatus, dum intestina

removebantur, materiam fluidam, subflavam, puriformem dedit. Densiori materia, purique similiori replebatur sinister saccus, utriusque vero contenta discrepabant a tuberculorum pulticula, neque inter se communicabant. Hi abscessus a communi musculorum psoæ et iliaci membrana conclusi, pus contentum juxta eorum directionem propellebant, et propterea cum tuberculis nil commune habentes, os subjectum non læserant, utpote a membrana cinerea in speciem ovalis cystidis circumsepti.

Cæterum tubercula multa erant in utroque spinæ latere, tum in medio; nam a tertia dorsi vertebra ad decimam primam membrana, quam vocant, ligamentosa totidem fere tubercula continebat, quot sunt septa, quibus eadem spinæ dorsi alligatur, ut fere a vertebris sejuncta videretur. Labes tamen tanta non erat sub tænia communi vertebrarum, ut ossibus exceptis, medullam spinalem læderet. Propterea artus inferiores non erant resoluti. In abscessus vero sinistri pure duo nervorum lumbalium rami immersi reperti sunt, qui et molliores facti, et cinereo colore infecti cernebantur.

Art. III.

De tuberculis artuum.

Tuberculis in cyphosi occurrentibus non dissimilia sunt alia quæ artuum ossa occupant, quippe eadem ratione eorum structuram vastant, destruuntque. Illud autem peculiare iis inest, quod fere nunquam solitaria sint, et quod unumquodque ossis, cui incumbit, aliquam partem evertat.

Steatoma tibiæ.

Robusto rhedario ætatis maturæ sub tibiæ sinistræ tubere, quod spinam vocant, forte ob contusiones non infrequentes, natus est tumor durus, ovalis, qui post annum sponte ruptus, et suppuratione non rite procedente, scalpello apertus est. Postea digito in vulnus demisso, materiam subalbam, densam, friabilem extraxi, sub qua os asperum, exesum deprehensum est 6 novembris 1790. Tertio ab incisione die accessit febris cum exiguo pulsu, siti, capitis gravedine, virium languore, per quæ ulcus gangrænam concepit; et licet sequentibus diebus mundari cœpisset, et propterea os terebra excidendi consilium arripuissem; id tamen exequi non licuit ob dolores, qui in osse præter naturam sensibili, excitabantur.

Dum tibiæ ulcus fere purgatum esset ineunte 1791, tumor alter, durior os juguli dextrum occupabat, isque cum dolore et febri vexabat. Nulla interim ossis tibiæ secessio sequuta est saltem conspicua, cui linamenta sp. vini imbuta dolorem levarunt, et homo emaciatus nosocomio se proripuit 8 junii 1791. Verum superveniente in crure sinistro erysipelate brevi reversus est, eoque paullatim decedente, ossis squama ejecta est calendis septembris, ulcusque coire cœpit. At gravius postea erysipelas profunde femur invasit,

et in abscessum abiit, qui ferro apertus est. Interim dum corpus continua macie extenuabatur, exeunte septembri torsus pedis dextri valde intumuit, et in ulcus liventibus marginibus abiit, quod ad ossa metatarsi vitiata ducebat. Ita detritis viribus sub depascente gangræna, et immanibus in crure sinistro doloribus cruciatus medio martio vitam clausit 1792.

Viscera omnia et glandulæ diligenter inspectæ nihil nobis obtulerunt, cui morbosa illa affectio tribui potuerit.

Malleoli.

Viro rustico steatoma sub malleolo interno obortum gressum præpediebat. Apex tumoris sponte disruptus pulti intus conclusæ exitum non dabat: quare patefacta per incisionem via materiam cerebro duriusculo similem, et ossa subtus vitiata ostendit.

Amputationem cruris, quam proposueram, repudiavit; mox dæseviens febris, totum corpus flavo colore afficiens, mortem acceleravit. Caries juncturam pedis vastaverat perrodendo processum malleoli interioris et magnam partem ossis thali et calcanei.

Costarum.

Viro agenti annos 27, habitus macilenti, nulla præcedente causa, nec ictu, nec vi, duobus transversis digitis a spina dorsi ovi magnitudine intumuit cutis inter postremam veram, et primam costam notham. Symptomata nulla erant, quæ pectus aut artus inferiores afficerent. Inciso tumore, ex imo fundo pus serosum effluxit. Dein cum inter inspirandum major copia puris prodiret, vulnus ampliatum est quoquo versum, ostenditque septimam costam denudatam, quatuor transversis digitis latam, vacuique ulceris latera implebant carnes duriores proximis costis innexæ. Carnes vero versus dorsi spinam sitæ, licet molliores sanisque similes, pupillas tamen duriores ex superficie emittebant. Pure melioris notæ facto, nosocomio excessit ulcere non sanato, et Cesanum patrium repetiit.

Ossivorus genu.

Calendis novembris anni 1782 in nosocomium allatus est vir quinquagenarius, vehementibus in genu dextro cruciatibus afflictus, quibus ante mensem, licet firmæ esset valetudinis, adortus fuit, præsidiaque ad eum diem instituta non solum supervacua, sed potius intolerabilem morbum reddiderunt. Genu leviter tumescens, cute subrubra, contrectatum indolebat præcipue ad poplitem, ubi magis distenta cutis cernebatur. Atrocissimi doloris comes erat febris valida, nocturna vigilia, jactatio corporis; jamque detracto abundanter sanguine, devoratis pharmacis, vigore morbi, eo macroris adductus est, ut ab amicis vix dignosceretur. Majora dein

incrementa cœpit tumor, dolorque præcipuus in eam partem ligamenti declinavit, qua patella tibiæ committitur, ubi elevatis integumentis, sonoque veluti latentis fluidi percepto, ferrum ad ligamentum usque adactum est, ex quo vulnere præter grumosum sanguinem quidquam molliculi et spongiosi apparuit. Postridie remittente paullum dolore melius habuit; tamen lenta febris sine remissione tenebat, et crebra tussis, et sputum glutinosum. Ferebatur autem ex ulcere sanies fœtida, et sanguis, per quæ vita quoque ablata est calendis januarii 1783.

Difficile non erat conjectari acres illos dolores ab ossis erosione esse; namque homo labis venereæ omnino expers erat. Si genu spectavisses parum deforme, vix existimavisses tantam labem continuisse. Discisso enim orbiculato ligamento, pus album, densum, copiosum effluxit. Idem ligamentum inter duos femoris condylos multo crassius, et in articuli cavum reflexum, renitens et subnigrum erat. Patella integra cum cartilaginibus articuli et semilunaribus tibiæ. Ligamentum posterius, seu decussatum, quod tibiam femori connectit magnam partem illæsum, si excipias erosionem ad exterius latus, a qua patebat aditus ad foramen in interiora substantiæ reticulatæ inter condylos femoris conducens.

Femur serrula inter processus discissum, ut interius vitium exploraretur, non sine admiratione exhibuit diaphyseos substantiam reticulatam optime constitutam, densa, subalba medulla repletam, quæ colorem et consistentiam conservavit tam in femore, quam in tibia etiam per aliquot menses maceratis.

Admiratione æque dignum erat observare irregularem modum quo reliquum ossis vitiatum erat. Posterius in facie sima femoris inter condylos cavea sat ampla extiterat; quæ hinc et illinc a superiori processuum conjunctione ad centrum utriusque condyli pervenerat, ut processus exterior perforatus esset intactis omnino articuli cartilaginibus, atque cum osseus cortex maxime extenuatus esset, sic minora alia foraminula super utrumque processum observantur. Tibiæ capitulum, quod exterius est, magna ex parte absumptum erat, tum anterius tuberis pars, quod spina dicitur; denique in interiorem reticulatam serpsisse ossivorum recognovimus. Quod supererat tibiæ, compactum durumque fuit.

Tibiæ.

Decumbebat in nosocomio anno 1783 puella quæ tibiæ tumore doloreque insolito laborabat. Crure crebris mercurii inunctionibus confricato, sedatisque doloribus puella e lecto se proripuit, ambulavitque. Sed cum minus firmo pede incederet, procubuit, fractoque summo humero dextro ob totius corporis pravam constitutionem obiit.

Detractis cruris integumentis, totum tibiæ caput nigricantibus maculis obsitum erat, quæ totidem foramina nimis attenuato ossi insculpta obtegebant. A parte capitis ejusdem ossis posteriore, et paullo exterius tophi duo

conspiciebantur, quorum alter perforatus erat. Interiora capitis omnia excavata, solæque articuli cartilagines eam vacuitatem claudebant. Os totum levissimum, fistula tamen medulla scatebat. Vitium hocce proximum fibulæ capitulum contaminaverat.

Inferior femoris pars, quæ tibiæ incumbebat, præpinguis, solidiori medulla donata, et retrorsum pone processus inordinato modo tribus aut quatuor locis pertusa observabatur Humerus destructus erat, quia ab eadem labe infectus; namque ob substantiæ jacturam ejus caput a diaphysi sejunctum inventum est, et de capite quidem vix cartilago supererat, terrea quadam interius, seu gypsea crusta obducta. Cæterum singula ossa, femoris nempe, tibiæ et humeri, etiam post longam macerationem succo medullari exundabant.

Femoris.

Fœmina nubilis fere quinquagenaria, habitus macilenti, jam duobus antea annis, uti accepimus, male habebat, sed nonnisi postremis tribus mensibus femoris doloribus conflictabatur. Et sane cum in nosocomium importaretur 2 junii 1784, gravibus utriusque artus inferioris doloribus, et crurum imbecillitate vexabatur, ut curvata ægre incederet. Decimo quinto a decubitu die sive ob pelagram, sive ob pravum corporis habitum extincta est.

Causam tanti mali, et artus sinistri decurtati recognituri cadaver sedulo examinavimus. Femur dextrum anterius gibbum, manibusque dimotum crepitabat; erat quippe inæqualiter fractum, erosum, et intra subrufam pulticulam immersum, ex qua caro quædam in sarcomatis modum pullulabat inter fractas extremitates intercepta. Periostæum emollitum ab osse secesserat. Ligamentum teres, veluti inflammatione comprehensum rubebat. Ossibus fractis exterius inducta erat crusta quædam partim cretacea, tum fibrosa, et in spongiæ modum perforata, tum etiam a succo osseo in guttas concreto alicubi tuberosa. Posterius vero fibræ confertiores ab interiori ossis fracti reticulo assurgebant, et veluti in fasciculos, aut floccos collectæ circum lineam asperam femoris condensabantur.

Pars superior femoris fracti partim excavata, partim ab germinante osseo succo impleta. Fistula vero superior usque ad caput corticem attenuatum habebat, utpote pinguedine destituta, et hinc inde perforatum. Contra inferior femoris pars ponderosa, pinguedine onusta, et reticulata substantia referta; ejus tamen cortex non uno loco pertusus apparuit.

Femoris sinistri caput a cervice evulsum levissimum erat, et reticulatum, nec nisi interjectis aliquot fibris albis ligamentosis communionem quamdam cum reliquo osse conservabat. Ex cervice, quod reliquum erat spongiosi, grana aliquot materiæ cretaceæ continebat. Ab incisa orbiculata capsula, uti et ab eversæ cervicis cavitate ferebatur sanies subrubra, per quam teres ligamentum absumptum esse videbatur, si portionem ejusdem excipias versus sinum acetabuli superstitem. Cavitas ipsa acetabuli ex rubro fusca erat, non

aliter ac si gravis incensio eam tenuisset. Totum os infra caput et cervicem grave, et abunde oleosa materie imbutum observabatur.

Ossivorus a steatomate.

Civis Laudensis haud procerus, temperamenti gracilioris, labis venereæ immunis, ante hos tres annos conflictari cœpit dolore modo ad homoplatam, nunc ad dextrum humerum vagante, donec ad processum humeri interiorem declinavit, ibique in tumorem mobilem ovi magnitudine concrevit. Infausta quadam die cecidit ex alto super eundem humerum, quo, ut apparebat, non graviter læso, uti, quemadmodum antea solebat, poterat; dolores tamen ex ictu magis invaluerunt, tumorque in majorem molem sensim inflatus ad deltoidis insertionem pervenit. Tunc vero consuetis laboribus peragendis impar, chirurgorum suasu emplastra varia, et mercurium incassum imposuit; atque dum cruciatus non remitterent, imo vigiliam, et maciem adducerent, ad valetudinarium nostrum perductus est.
Tumoris volumen erat insigne, et a deltoidis in humerum insertione ad cubiti articulum extendebatur, ita tamen, ut vasa non viderentur compressa, cum cubitus bene enutritus, non tumens, neque rubor cutis esset, neque fluidi humoris impetus perciperetur. His notatis symptomatibus, consultum fuit brachium præcidere, quod evenit 12 aprilis 1777.
Æger post trium mensium sedulam curationem id solatii non habuit, ut proximæ valetudinis spem foveret; nam ex præcisi ossis ora pullulabat fungosa caro, quam neque exedentibus, neque igne reprimere potuimus; quare cum sanatio perdifficilis esset, atque æstus tempestatis urgeret; ægrum in patriam ablegavimus, ne aliquid pejus eidem contingeret. Quadraginta et amplius diebus exactis reversus est, adaucta ad eum modum fungina carne, ut ossis cutisque circulo super induceretur. Tunc miserrimus homo inordinatis febribus, acùtis doloribus ad dorsum, ad humeros, ad brachia vexatus, alvo fluida vigiliisque extenuatus interiit 15 septembris 1777.
Brachium præcisum examinando reperimus tumorem situm esse inter periosteum humeri et musculos circumpositos, crassiori tunica atque periosteo contermina inclusum. Ossi, musculisque interpositæ erant aliquot glandulæ ovalis figuræ, liventes, pisi magnitudine, quæ in sana brachii constitutione desiderantur. Tumor porro ponderis 52 unciarum erat intus albus, densusque, non spongiosus, neque friabilis, neque absimilis raphano, aut pingui maturoque caseo. Carebat insuper fibris, neque in strata, aut laminas ordinabatur, sed quamdam seriem glomorum, aut globulorum exhibebat presse inter se connexorum, nec discernendorum nisi ob colorem albidiorem, vel positum obliquum, aut transversum, quibus interpositæ maculæ rubentes tumoris substantiam maculabant non aliter, ac corticalis cerebri cum medullari commixta cernitur, ubi cerebrum varia directione subsecatur.

Os brachii, quod in ea parte qua subsectum erat, sanum esse debuerat, fere absumptum animadvertimus, videbaturque tumor enutriri succo ex medullari ossis procedente; nam marginis recisi pars erosa veluti in steatomatis materiam infixa eidem firmius adhærebat ope crassioris membranæ periostæo simili, quæ ab osse recedens super ipsum steatoma explicabatur. Neque labes in humeri osse constitit, sed inferius ad ossa, quæ cubitum constituunt, serpsit, et cartilagine ulnæ liquata, illius caput spongiosum, scabrumque reddiderat, atque undique ab orbiculato ligamento, quod crassius erat, sejunxerat; neque a labe immune erat radii capitulum, quod decem aut duodecim foraminulis pertusum esse observavimus.

Nunc quoniam etiam curti humeri perlustrandi ob ægri interitum copia facta est, ejusdem indolis materiam, quæ ossi priori circumposita erat, nobis occurrisse declaramus, eaque periostæo satis crasso hinc adhærebat, illinc inter musculorum interstitia, quos distraxerat, sursum ad humeri articulum promovebatur. Humerus a carnibus nudatus extus scaber, perforatusque erat; cortex eo magis extenuabatur, quo capitis residuæ cartilagini propior erat, ibique veluti in cribri modum perforatus, levissimus extitit.

Analysis tumoris simplex tentata est ebullitione, sp. vini, aceto, calce viva, exsiccatione.

1. Portio steatomatis cum aqua decocta dedit odorem optimum carnis bubulæ elixatæ, solidior evasit non durior, ita ut quemadmodum antea friabilis esset. Aqua turbida facta, colore non mutato, nullas pinguedinis guttas ad superficiem emiserat. Steatoma elixatum æmulabatur illa tubera cocta, quæ friabilia sunt, longisque fibris destituta.

2. Portio altera balneo arenæ cocta gratissimum carnis odorem exhalavit, deditque aquam turbidam, ut urina jumentorum, nec mucum, nec pinguedinem, quantum licuit observare, continentem. Quod reliquum erat, calcinatum, exhibuit terram calcaream, nigram, cui aliquid ferruginei inerat.

Aqua residua ex balneo arenæ asservata, et per bibulam trajecta fuit. Deinde ut erat limpida et subflava, altera trajectione aliquid densi, quod prius fundum vasis petebat, per chartam distillavit. Eadem aqua balneo arenæ evaporata reliquit spumam copiosam, quæ primum in tenues bullas, et subtracto igne, in exilem, æquabilem placentam coiit. Hæc placenta iners erat, tenax, uti mel coctum, coloreque non dissimilis. Placenta spiritui vini rectificato infusa colorem subflavum contraxit, dein in pulverem fatiscere visa est. Postea exsiccata, amisit tenacitatem, nec nisi leviter cohærebat, ut friabilis esset, et in fragmenta dispesci potuerit.

3. Portio non exigua aquæ calcis immersa; item portio altera in taleolas secta globo calcis vivæ circumposita fuit. Calx non fuit madefacta, nec steatoma liquatum, sed in utraque calce putrefactum.

4. Steatoma alcohol vini infusum per 75 dies albissimum permansit, parumque induruit. Decantato alcohol, steatoma in vase clauso servatum, intra octo dies putredinem concepit.

5. Portio aceto macerata intra 75 dies liquata est, acetique odor superabat adhuc putridum, quem steatoma emittebat.

6. Portio exsiccata dura, indomabilis evasit.

Liceat hic adjicere aliqua tentamina facta cum materia vertebrali nempe cyphoseos.

1. Cum acidis non efferbuit, neque colorem mutavit.

2. Cum oleo tartari per deliquium vix motum concepit; dein turbida facta est cum nubecula subalba. Post dierum octo quietem clarificata deposuit coagulum gelatinosum ovi albumini semicocto simili, coloris tamen subflavi. Hæc gelatina trajecta, et evaporata ad solem, dedit salem deliquescentem, et cum acidis effervescentem, viridemque colorem conciliantem tincturæ violarum et heliotropii.

3. Reliquum quod super filtrum remansit, erat albissimum, inodorum, et in bolos elasticos redactum fuit, quorum aliqui duplo spiritu vitrioli commixti, et octavum diem quiescentes colorem ex rubro purpureum induerunt.

4. Ejusdem materiei in coactiliis servatæ portio cum sp. nitri fumante remixta post tres horas liquefacta est absque effervescentia, et diaphana colorem primitivum servavit.

5. Alia portio digerebatur per 30 dies cum alcohol vini, ex qua nulla solutio observata est.

6. Eadem materia ad solem exsiccata, quinque partes sui voluminis amisit, coloremque ex albo flavum, et odorem putrefactionis animalis assumpsit.

7. Hæc eadem balneo arenæ distillata, dedit primo fluidum clarum; tum aucto calore ex rubro flavum; postea vapores albos; demum materiam mucosam subobscuram, cum oleo empyreumatico super mucum natante. Demum cum nil aliud per distillationem prodiret, ab cucurbitæ parietibus detractum est salis volatilis pauxillum, oleo empyreumatico fœdatum et sali c. c. simillimum, utpote effervescens cum acidis et tincturam violarum in viridem tingens.

8. In fundo cucurbitæ carbo nigrum, leve repertum est odoris empyreumatici, paullo cum acido vitrioli effervescens, qui in crucibulo calcinatus, postea iterum cum acido vitrioli tentatus fecit magnam effervescentiam cum evolutione fumi, superstite materia terrea indissolubili.

Steatoma purum suræ.

Sutori trigesimum tertium ætatis annum attingenti in suræ sinistræ medio enatum est tuberculum ante hos 15 annos grani turcici magnitudine, quod deinde ad palmæ latitudinem perveniens, proprio pondere deorsum tendebat. Cui tædio ut officeret, tibialia ex tela, quæ adstringerent, sibi comparavit, quorum usu latescere tumor, non increscere visus est. Ea propter depositis tibialibus, dum jam expeditius iret, adolevit iterum tumor,

gressusque molestissimus evasit. Memor officii, quod tibialia præstiterant, sutor, idem beneficium se consecuturum ratus, substituit Cothurnum probe infartum, quo æquali pressione tumorem contineret, et profecto per biennium continuit; donec prævalente sive pressionis irritatione, sive naturæ vi novam materiam accumulantis, adeo cutis extenuata fuit, ut crustam indueret, qua excussa 10 maji 1817, ulcus natum est, cui impositis, quæ molliunt, cataplasmatibus, ulcus duorum pollicum latitudine dilatatum est. Quare die 24 ejusdem mensis ad valetudinarium nostrum properavit, ubi cognita tumoris indole, statutum fuit plagam ampliare, et materiam paullatim educere; quo ordine intra decem dies evacuata cysti, ea dein suppuratione deleta est. Sed longius trahente ulcere ob callosas cutis oras, hæ tum exedentibus, tum igne absumptæ fuerunt, ut tandem 16 octobris plane incolumis nobis valedixerit.

Jacebat steatoma inter M. gastrocnemios, cutimque, tenui tunica inclusum. Materies erat albissima, homogenea, inodora, minutatim concisæ chartæ simillima. Hanc tres experientissimi pharmaco-chymici a nobis rogati chymico examini subjecerunt.

Horum primus a captis experimentis conclusit esse *fibrinam* animalem, et quamvis sebi formam haberet, characteribus tamen ejusdem caruisse.

Alter post tentamenta cum calce viva et aqua calcis instituta deduxit steatomatis materiam constare ex tribus principiis animalibus, albumine videlicet, muco et caseo.

Postremus hunc in modum rem exposuit. Materies steatomatis alba est, consistentiæ et figuræ, qualis pinguedo omenti suilli; gelatinosa, sed sine pinguedinis inditio; absque fibris, aut pelliculis distinctis; inodora; verum compressa aliquid elasticitatis habere demonstrabat. Cum primum hanc materiem inspicerem, existimavi eam esse substantiam a *Fourcroy* observatam, quam *adipo-ceram* appellarunt.

Portio steatomatis liquori potassæ puræ causticæ immersa dedit odorem intensum ammoniacæ. Quod phænomenon me magis confirmabat esse *adipoceram*, cum ejus proprietas sit generare ammoniacam, si alcali caustico commisceatur. Sed adipocera liquescit moderato calore; propterea fuit elixatum cum aqua, sed nullum dedit solutionis vestigium. Calori sicco, idest sine aqua expositum steatoma, ob humiditatis jacturam volumine imminuto contrahebatur, et fuscum colorem adeptum, cum neque pinguedinem dimitteret, neque dissolveretur, solidius factum est. Aquæ denuo immersum pristinam figuram recuperavit, atque inflatum album colorem iterum assumpsit.

Alia portio acido nitrico diluto immersa inflabatur ut prius, assumpto colore subflavo. Digerebatur per horas 24; tum separata infusione additum fuit alchali potassæ usque ad acidi saturationem. Deinde tentata præcipitatione, ut observaretur an calx in ea substantia fuisset, nihil horum repertum est. Portio elixata in liquore potassæ causticæ liquata est, et in saponem conversa; sed hæc productio non solæ pinguedini propria est, sed quæcunque animalis substantia, excepta ossea, in saponem mutatur.

Demonstrant hæc experimenta steatomatis materiam esse ejusdem indolis,

ac partes molles humanum corpus constituentes, excepta pinguedine. Forma exterior, odor nullus, odor ammoniacæ, ubi alchali caustico jungitur; odor suavis, dum elixatur, faciunt, ut judicemus, ejusdem esse naturæ, ac substantia illa glutinosa, ex qua detracta pinguedine formatum est omentum; quæ substantia ob morbosam conditionem in loco sibi non proprio accumulata est, non secus ac materia ossea, dum excrescentias, aut concretiones producit in alienis sedibus, uti sunt pineales, salivares, pancreaticæ, pulmonales, hepaticæ, musculares, et si quæ aliæ. Hucusque chymicus.

Tumores, quos modo memoravimus, materiam sebo, aut pinguedini similem continentes steatomata a plerisque medicinæ scriptoribus vocati sunt (1); sed nos, cum evenire in qualibet parte corporis possint, atque meliceridas, atheromata et steatomata, docente *Celso* (2), mediocres differentias habeant, et omnia tunica sua includantur, malumus tumores cysticos aut tunicatos appellare, aut promiscue atheromatis, vel steatomatis vocabulis uti, id quod videtur animadvertisse *Severinus* (3) inquiens: Quamquam autem neque ipse nego pinguedinem inesse steatomati; nihilominus est cum eodem adipe plurima fibrosa portio conjuncta. Verum enim vero aliud relatu dignum adnotabo, neque steatomata omnia singularis ejusdem substantiæ semper, vel formæ videri, sed aliud istorum vividius, et pinguius, aliud exsuccius et densius esse; quasi secundum sexus, ætates, corporis loca, diversa esse debeant hæc concrementa; ita multiformis substantiæ sunt hæc omnia. *Celso* autem assentiri non possumus, ubi dicit *periculo non terrere* steatomata, ob rationes facile eruendas ex historiis, quas modo produximus. Præ omnibus autem *Severinus* (4) egregie pericula et sympthomata notavit atheromata comitantia. « Ad plenilunia, atque interlunia dolent acriter, atque efferascunt ita distenti, ut discerpi sibi membra sentiant laborantes. Ad hæc mala omnia illud accedit maximum et difficillimum, quod sublonga contage saniei, atque putredinis ad usque os subjectum conteri solet ».

Ex tentamentis huc usque relatis, atque super cyphoseos, et ossivori materiam institutis, patere arbitror, nullam eidem inesse vim corrodentem; sed esse coagmentatam ex gelatina, albumine, pauca pinguedine, lamellis cellularibus, nonnunquam pilis, concrementis calcareis, aliisque productionibus animalibus, vel solitariis, vel vario modo inter se commixtis.

Quæ secundum naturæ ordinem exhalat lympham, aut pinguedinem

---

(1) *Cels.*, lib. VII, c. 6. — *Actius*, Tetrab. IV, serm. III, c. 8. — *Paulus*, l. IV, c. 34. — *Forestus*, Schol. ad obs. VII, libri III et obs. XII. — *Sennert*, Med. pract., l. V, p. I, c. 35. — *Severin.*, de Abs. anom., c. 4. — *Heister*, Inst. chir., p. II, sect. I, c. 28. — *Sauvages*, cl. I, ord. V, g. 37.

(2) L. c.

(3) L. c.

(4) De Abs. anom., c. 21.

cellularis membrana, ea organi secretorii officio fungitur. Dum vero a quacunque causa lacessita irritatur ita, ut vis vitalis, et secernendi facultas augeatur, vel pervertatur, tunc non solum separabit ex naturæ instituto lympham, aut pinguedinem, sed etiam præter ejus institutum fibrinam, gelatinam, mucum, phosphatum calcareum, pilos, sanguinisque guttulas, prout unius vel plurium prædictorum principiorum animalium morbosa conditio promptiori secretioni favet. Non desunt, fateor, rerum naturalium scrutatores, qui non tantum secretioni ordinariæ, quam vi vitali cuique organo insitæ, veluti cuidam matrici generanti facultatem corpora aliqua, et concrementa compingendi tribuunt; quibus ego non adversabor, sed rem disceptandam in medio relinquam. *Fridericus Ruyschius* in epistola anatomica ad *Hermannum Boerhaave* (pag. 60 seq.) tuetur priorem opinionem affirmando, pinguedinem per vasa e cellulis suis exire posse; unde arguit cellulas esse cavas, et habere emissaria. Hæ cellulæ per morbos enormiter crassescunt; hinc multos tumores fieri existimat ab extremis vasis apertis, majoremque esse causam variorum tumorum in vasis, quam in simplicibus cavitatibus telæ cellularis, sedereque causam multo magis in vasis agentibus, quam in partibus patientibus et otiosis.

Dum cystis jam adolevit, eo magis secernendi functio augebitur, præcipue si ab ictu, confricatione, medicamentorum vi oboritur levis inflammationis processus; tunc enim, ut in allatis exemplis, organum secretorium amplius et vegetius evadit. Etenim vim vitalem denegare non possumus cellulari membranæ, quæ exhalat, contrahitur, et expanditur, et quæ interdum in immensum succrescit ita, ut non solum ipsa germinare videatur, sed etiam quos includit tumores, fungos, sarcomata, et si quæ alia.

Nunc quoniam de ossibus erosis mentionem injecimus, videndum, quotuplex sit ossis vitium, quod ejus compagem laxet, destruat juxta placita auctorum, qui nos præcesserunt. Triplex morbi genus, excepto ulcere aut carie, ossa corrumpit monente *Triœnio* (1); *spina ventosa; spina venenosa;* et *spina mitior.*

Spina ventosa illa est, in qua os sæpe prodigiose expanditur, inflaturque in glabram superficiem, unde nomen tamquam a vento expansa mutuavit, augeturque simul mollium partium superpositarum diametros. Oritur hic affectus absque notabili dolore; tarde procedit; postea celeriter incrementum sumit; magna et livida vasa per tumorem sunt sparsa; scalpello apertus brevi ægros interimit; si sponte exulceratur, sæpe adhuc superstites remanent. Ita *Ruyschius* (2) qui hunc morbum titulo tumoris *spongiosi*, vel ossivori forsan improprie notavit, animadvertit non aperto ante mortem tumore ossis corruptionem non fuisse nigro colore infectam, sed totum, quod erat *cariosum*, niveum et naturalem servasse colorem.

---

(1) Obs. medico-chir., p. 105.
(2) Cent., Obs. medico-chir., obs. 81.

Spina venenosa afficit ossium apophyses, et ossa spongiosa tumore præternaturali, carie, fœtore, ulcusculis lividis, profundis, saniem, et ichorem acrem evomentibus, et dolore vix ferendo, quæ et pædarthrocace audit. *De Marchettis* (1) inter signa spinæ venenosæ refert dolorem acutum, pungentem, dilaniantem, ut æger conqueratur, se veluti a spina pungi, unde nomen morbo inductum. Dum periostæum externum eroditur, apparet tumor, qui articulum et molles partes attollit, unde laxantur integumenta, patoque ulcere sanies prodit.

Ad curationem idem auctor nullo licet apparente tumore sectionem esse faciendam suadet; tum demisso specillo si os corruptum esse animadvertatur, abradendum esse; quod si abradi nequit, audacter urendum, quia sine ossis corrupti excussione cicatrix non inducitur. *Severinus* præveniendum esse pædarthrocacen existimat decocto, pulveribus aliisque præparatis ex viperis, postremo ustionem esse celebrandam. Nos pluries antevertisse credimus ejusmodi malum cauterio, vel igne, antequam ossis tumor adolesceret.

Differt spina venenosa a carie, seu teredine, quod primitus nullo externo ulcere stipatur; nam in pædarthrocace abscessu intus præeunte ossis substantia in pultem conteritur, aut penitus excavatur. Ossibus cariosis externa primum superficies ulceratur, atque fragmenta aspera, nigricantia, aut flava, aut pinguia (2) ejiciuntur.

Spina mitior, quæ hodie necrosis ossea nuncupatur, nec cariem, nec fœtorem habet, atque fragmenta, vel laminas ejicit ponderosas, albas, non fœdatas.

Quæ protulimus vitiatorum ossium exempla, demonstrant non uno, eodemque modo ossa perforari posse; etenim capitis ossa, dum ob pondus, vel pressionem sive intus, sive foris germinantium tumorum, tineæ videlicet, atheromatis, talpæve perfodiuntur, nihil de pondere, de oleo, de avita structura ammittunt. In cyphosi atteritur vertebra, et costa, cui tuberculum aliquod innascitur, vel quidquid aliud sit, quod tantam vim in spinam exserit. Sed ossis attritio fere semper cum aliqua saniosi, vel crassioris humoris collectione est conjuncta, atque ipsa ossa albidiora sunt quam in carie, et veluti lixivia expurgata conspiciuntur.

Ubi vero ab ossis meditullio erosio incipit, ut in ossivoro, spina venenosa, vel pædarthrocace, os totum excavatum, levius, tenuius efficitur, interdum albescens, interdum subflavum, si olei medullaris copia subest. Atque hic suspicio oritur, an aliquando tumor tunicatus initium capiat ab osse ipso primitus corrupto, ab eoque nutriatur, atque increscens musculos divellat et distrahat? Id saltem ostendere videntur radices tumoris nonnunquam ab ossis meditullio procedentes.

Est etiam ubi cartilagines primo solvuntur, deinde ossa, et contra, vastatur persæpe tota ossis substantia integris cartilaginibus. Quæ ob unius,

(1) Tract. de pædarthrocace.

(2) Quod vitiatum est, fere pinguefit. *Cels.*, l. VIII, c. 2, edit. *Comin.*

vel utriusque periostæi inflammationem et suppurationem nudantur ossa, apparent alba, exsucca, emortua; quod est necrosis ossea, vel spina mitior *Trioenii.*

Quæ cum ita sint, anne censebimus erosiones in cyphosi, in ossivoro obvenientes a compressione, a lymphaticorum voracitate, quemadmodum in capitis fungo, esse derivandas? Vix crederem. Hic namque corpus vitale, quod germinet, quod crescat, quod vehementer urgeat, nullum est; ideoque ab incensione potius harum partium, quemadmodum in cyphosi proposui, labem omnem consequi putamus. Et revera cruciatus, suppurationes malæ, ulcuscula, quid aliud ostendunt, quam latentem inflammationem? Fatemur tamen eandem tantis vastationibus progignendis non sufficere. Sed de causis ignoratis et latentibus loqui nefas esto.

Verum alia quæstio proponenda est his, qui existimant erosiones a solo terrearum particularum raptu per lymphatica fieri. Experimenta jamdudum capta confirmarunt, detractis per acida terreis particulis, superesse typum ossis cartilagineum aut membranaceum. At ubi os graviter læsum est, profundeque vitiatum præter phosphatum calcareum, parenchyma etiam ossis deperditum esse deprehenditur. Nec mirum; ossa enim coalescunt ex pinguedine, gelatina, salibus terreis; atque si recta sunt *Cadetii* experimenta, multo pluris gelatinæ continent, quam caro muscularis. Neque *Berzelius* recedit ab hisce principiis, juxta quem cel. chymiatrum, dissolutis salibus terreis ope acidi nitrici remanet cartilago in aqua solubilis, quæ ab nonnullis pro albumine concreto habetur; revera autem in gelatinam vertitur ope acidi nitrici. Ossa chymice explorata, præter gelatinam, continere dicuntur phosphatum calcis; fluatum calcis; phosphatum magnesiæ; carbonatum calcis et sodæ; muriatum sodæ; particulam sulphuris; et acidum fluoricum. *Berzelius* vero (1) ab ossibus recentibus extraxit cartilaginem aqua solubilem; venas; phosphatum calcis; fluatum calcis; carbonatum calcis; phosphatum magnesiæ; sodam; muriati sodæ pauxillum.

Itaque hisce demonstrationibus suffulti eo adducimur, ut cum experientissimo *Chr. Ludwig* (2) opinemur, ossa persæpe arrodi nonnisi ob gelatinosi humoris defectum; atque ab iis dissentimus, qui ossium destructionem semper ab acido et a raptu terræ animalis pendere declarant; tum quia in medulla boum sanorum luculenta acidi vestigia reperta sunt, licet ossa bene nutrita essent; tum quia acidum et alchali volatile, uti menstruum dissolvens, in ossibus vivis non agere videtur. Existimat igitur *Ludwig* ossa persæpe lædi in ossivoro ob morbosam succi nutrientis appositionem, vel succi ipsius pravitatem; in ossivoris enim medullam æquo molliorem, fluidam, vel grumis sanguineis etiam putridis refertam, vel nimis rubellam, aut deficientem, aut pro medulla rubicundum humorem invenit. Quæ

---

(1) *Klaproth*, Diction. chemiæ.
(2) Advers. medico-pract., vol. II, part. II, p. 421.

omnia ostendere videntur internas, ossium spongiosorum, et cylindricorum reticulatas laminas prius everti, quam labes ad exteriores perveniat, vel ob perversam nutritionem, vel ob abstersam et liquatam gelatinam, unde partes os constituentes terreæ præcipue secedunt, typus, seu cartilago mollis evertitur, et latis patefit foraminibus. Quæ gelatina copiosior est in adolescentibus, parcior in senibus reperitur, quibus ossa eo facilius franguntur levi de causa, quo magis deficiente glutine phosphatum calcareum abundat.

Varias in hoc capite opiniones, imo et cogitationes cl. virorum habes expositas de causis modoque quo ossa male afficiuntur. Videbis etiam hæc cogitata quamdam confusionem parere, quod tribuendum est nostræ imperitiæ; genera enim morborum nondum constituta sunt, in quibus unaquæque causarum expositarum agere censetur vel in phosfatum, vel in albumen, vel in muriatum, vel in carbonatum, tanquam ossis constitutum.

CAPUT X.

DE MORBIS QUIBUSDAM CONGENITIS.

Art. I.

De abscessu capitis sanguineo recens natorum.

Infantes nonnulli recens in lucem editi ab alterutro capitis latere abscessu quodam afficiuntur, scilicet tumore molli cum aliquo fluctuationis sensu, non dolenti, cutis colore non mutato, capillamento integro, sanguinem fluidum intus continente. Tumor hic plerumque sincipiti dextero incumbit, qui alias ovi maximi, interdum duorum ovorum magnitudine, parum elevatus fere transverse positus, interdum sed rarius secundum sincipitis longitudinem protenditur. Adoritur autem infantes, quantum ego observavi, celeri Lucina susceptos, tumque a parvulo incrementa capiens abscessus ad tres latos digitos in longitudinem intra hebdomadam excrescit. Illi vero, qui difficili partu excluduntur, perraro hujus generis abscessu tenentur, et tumor, qui inde fit, dum adest paragomphosis, non ejusdem est indolis. Sæpius jam ab ipso ortu tumor ovum gallinaceum æquat, qui interdum utrumque sinciput occupat, nunquam autem ossa frontis et occipitis, vel temporum, quæ ab eo malo intacta hucusque fuisse animadverti.

Compresso circum tumore, digitisque basim ejus contrectando deprehenditur circulus osseus aream tumoris veluti circumvallans, qui ut ora inæquali, et nonnihil extenuata eminet, sic facit ut in ea area quidquam ex ossis substantia deperditum esse existimes.

Horum abscessuum aliqui discussi sunt fomentis aromaticis, aut volatili linimento ex spiritu salis ammoniaci; sed modus hujus mali sanandi omnium tutissimus est, si abscessus setaceo perfodiatur. Hanc viam ingressus, præeunte ill. *Petro Moscato*, semper quamfelicissimam curationem obtinui.

Aperto igitur duplicato valnusculo per acum, vel per scalpellum tumore, plurimum atri et fluidi sanguinis, qui cutem distenderat, exit, quique manare pergit, sed parcius altera quoque die, interdum etiam tertia. Tum flavus humor prodit, qui nonnunquam serosus evadit, et tandem in pus abit, ut 15 dierum spatio ex toto abscessus sit persanatus. Pauca ad id sufficiunt, digerens primum unguentum, dein roborans, cui sufficitur vinum rubrum cum incoctis herbis aromaticis. Solet suppurationem febris subsequi, quæ, si alvum lenientibus non cedat, decocto chinæ chinæ compescitur.

Quæ sit caussa, quæ sedes horum abscessuum, ex denatorum dissectionibus licet animadvertere.

Puella duos ante dies nata in pædatrophium delata est 24 octobr. 1783, cum sanguineo et protenso tumore super sinciput dexterum. Hæc paullatim macie confecta, obiit 27 novembris. Tumor etiam subsederat pro ratione decrementi totius corporis. Caussa mortis erat coagulum album, friabile, sub forma casei in globum conformatum, quod ventriculo inhærebat.

Capitis velamenta sana erant, sub quibus pericranium nigricantis vesiculæ in modum tumebat sanguinem subtus inter ipsum et os, atrum fluidumque recondens. Cœterum arctissime ossis sani margini adnectebatur, ut etiam post aliquam macerationem ægrius evelli potuerit, dum e contra dura menynx sine vi ab sincipite separabatur.

In osse repurgato cernitur area satis ampla, quæ ante ab angulo superiori sincipitis in orbem extenditur usque ad angulum ejusdem inferiorem et posteriorem. Circumscribitur hæc area ab osseo margine, inæquali nonnihil extante, cui pericranium, ut jam indicavi, etiam post macerationem validissime inhærebat, tum a gibbo quod e centro ossis extollitur. Areæ fundum vestiebat tenuissimum stratum mucosum, album, sub quo fibræ osseæ in radiorum morem disjectæ conspiciebantur. Tabula sincipitis interior perfecte osseam erat naturam adepta.

Puerulus, celeri partu effusus 4 septembris 1783, abscessum sanguineum super sinciput dexterum gestabat, parvæ primum molis, mox increscentem ad duorum digitorum latitudinem, quem setaceo trajecimus 13 septembris, et 22 ejusdem sanatum dimisimus. Hic octiduo ab ortu cum male se habere cœpisset, ictericus obiit 2 octobris.

In recenti cranio sinciput dextrum maximam partem sanguine sublivido suffusum erat, et nonnihil etiam sinistri parietalis eam regionem attigerat, quæ ad suturam sagittalem pertinet, qui sanguis in vasis ex ipsius ossis substantia assurgentibus stagnare videbatur; nam uno die ex aqua elutus fuit. Ad cicatrices setacei plurima cellularis substantia alba et densior aderat, cranio affixa, quæ licet reliquum spatium a sanguine prius occupatum impleverit, ibidem tamen nondum cranio firmiter agglutinata erat.

Cranium paullo repurgatum inspicienti apparuit tabulam cranii externam defuisse in tota ea regione, quam abscessus tenuerat. Vasa autem, quæ quondam diploen erant generatura, assurgebant ex tabulæ interioris superficie pars sanguinem fundentia, pars osseum succum absque ordine

concrescentem deponentia. Neque interioris tabulæ structura secundum naturam erat; præter enim asperitatem quamdam, diductæ hinc inde laminæ osseæ, atque his ossea materies irregulari modo superaddita observabatur. Notatu quoque dignum erat, quod eadem tabula innumeris prope foraminulis pertusa sinebat vasa sanguifera ab interiori parte ad superficiem prorepere.

Puellus alter natus est 22 septembris 1783, sanguineum tumorem gerens super sinciput dexterum, cæterum bene valens. Huic setaceum injectum est 28 septembris, quo ablato ad 17 octobris, ulcera coierunt, verum puer intra duas hebdomadas tabe confectus periit.

Cutis in ejus capite paullo arctius, non vitiato pericranio, adhæserat, eoque detracto, totus ille tractus sincipitis dextri, quem abscessus occupaverat, insolito rubore apparuit infectus, qui color intensior erat circa ejusdem abscessus marginem. Super eandem regionem, quam abscessus tenuerat, protendebatur tenuis membrana os ipsum cooperiens cum densiori gelatina, quæ subtus erat. Eluta illa gelatina, os sincipitis, si ambitum excipias, sanguine minus imbutum, et ejus superficies licet aspera, non ita tamen ut in aliis profunde excavata apparuit. In hoc pariter osse externa tabula a primordiis desiderabatur; idque ex eo liquebat, quod pars ejusdem tabulæ restituta fuisse observabatur a materia quadam in penicillorum formam ex diploe vegetante. Centrum hujus sincipitis etiam post macerationem sanguine magis quam reliquum ossis exundabat, quem vascula sanguifera per internam laminam perreptantia videntur suppeditasse, uti etiam fibræ osseæ radiorum instar ab eo centro in omnem ambitum disjectæ cernebantur. Dura menynx ab utroque sincipite sejuncta nonnisi in suturarum regione firmius ad ossa revinciebatur.

Denique puer decimoquinto ab ortu die ad pædatrophium delatus est die 10 decembris 1782, binos tumores gerens supra gibbam utriusque sincipitis partem, molles utrosque, cute sana tectos, ovum galli indici æquantes, nisi quod dexter magnitudine paullo superabat sinistrum. Eadem die per utrumque tumorem setaceum traductum est, ex cujus orificiis sanguis ater, et partim in grumos collectus manavit. Nox inquieta fuit; sed dies pacatissimus. Tertia die sanguinem fluidiorem fuderunt vulnera; dein ex tumoribus jam subsidentibus puriformis humor, mox lutei coloris, denique pus concoctum apparuit. Tunc splenia vino madida applicabantur tum ad roboranda velamenta, tum ad pus minuendum. Mox intra aliam hebdomadam, setaceis ablatis, cicatrix vulneribus inducta fuit, quæ pauco basilico et vino duntaxat stiptico deligabantur.

Evidens est ex iis, quæ in cranio perspeximus, in hujusmodi malo exterioris tabulæ cranii partem aliquam deficere; item sanguinem, qui ex vasis diploes effunditur, sese colligere inter pericranium et tabulam interiorem (nam exterioris portio desideratur), abscessumque, de quo diximus, gignere. Hujusmodi naturæ, nisi plurimum fallor, videtur fuisse capitis tumor, quem *Dranius* (obs. I), describit, atque herniam fuisse cerebri, probare nititur.

Art. II.

De palato bifido.

Ad congenitos pertinent etiam morbi labiorum et palati : de illis utpote valde communibus nil dicam ; de his exemplum unum proferam.

Puellus tertio a nativitate die in pædatrophium illatus est 28 febr. 1786, alteraque die ob alimenti capiendi difficultatem decessit. Difficultas erat autem, quia natus labio superiore atque palato bifariam fisso mammæ papillas complecti non poterat. Fissuræ igitur binæ erant, unaquæque a nasi septo discreta, quæ, ubi ejusdem septi terminus erat, in unam confluebant, et retrorsum tendentes velum palati, nevulamque in duas partes secabant. Interiores buccarum partes nil insoliti habebant. Sed a priori parte septum fessuras dividens paullo sub nasi basi cum labii superioris aliqua parte committebatur, dein ultra nasum magis productum in carunculam duriorem, seu quasi carneam papillam desinebat.

In sceleto nasi et oris unam eandemque esse cavitatem patuit; etenim ossa maxillaria et palatina spatio sex linearum dehiscebant, per quem hiatum ossa turbinata, nariumque anfractus eleganter in conspectum veniebant. In eo pariter hiatu extabat os illud, quod vomerem appellant, superius septo narium cartilagineo, retrorsum vero sphœnoidis rostro commissum; idque os aliud sustinebat a priori parte cum quo dearticulatum erat media intercedente cartilagine. Porro os illud superadditum paullum latescens ferebatur ad priora, quatuorque lineis ultra nasum exporrigebatur. Demum in trianguli formam quodammodo explicatum angulis duobus lateralibus, tertio inferiori faciem tum supra, tum ante præter duas laterales relinquebat. Illa modice lata, atque a rima ejus medium percurrente divisa, retrorsum a spina ossea coërcebatur. Hæc recipiebat corpuscula duo, vere ossea, rotunda, tanquam rudimenta dentium suis alveolis insidentia. Limbus alveolaris brevis erat; in dextero germina dentium tria, canini, molariumque duorum : in sinistro canini, et primi molaris duntaxat conspiciebantur.

Hujus forte vitii non meminissem, nisi observationem huic fere similem jam pridem tradidisset *Hallerus* (Opus. path., obs. 55, 2.° edit.), in qua tamen præter palati fissuram aliquid monstruosi fuit in reliqua capitis et faciei structura. In hac vero, quam attuli, observatione, non visum est mihi os illud ultra nasum exporrectum, sive mavis appellare proposcidem, esse particulam præter naturam fabricatam. Vomeri enim recte constituto, et in palati hiatum demisso, adaptatur os ante dictum, cujus si habitum perspiceres, limbumque alveolorum justo breviorem fuisse consideres, fateberis illud e duabus ossis maxillaris particulis constare, quæ simul junctæ, in naturali ordine *spinam* narium efficiunt, septumque earumdem sustinent. Bina autem corpuscula iisdem infixa nonnisi primorum dentium incisorum esse germina similiter apparebit, dum eos deficere in alveolari processu

animadverterimus. Quare non semper culpa naturæ est, quasi plus, quam opus sit, adjiciat, dum quasdam partes ad speciem multiplicatas deprehendimus.

Si nunc quæras utrum fœtus hujusmodi vitiis præditi nutriri atque educari potuerint, certe affirmabimus; quia *La Faye* (1) inter alias infantis quadrimi servati observationem exponit, in quo labium superius bifariam, et palatum pariter fissum erat; insuper maxillæ superioris pars sub labii lobulo extantior erat, a reliqua maxilla sejuncta et mobilis, ex qua tamen dentes duo incisores erumpebant suis alveolis, et gingiva firmati. Itaque narium fauciumque una cavitas erat, propertereaque voces articulatas edere non poterat infans; qui tamen, adhibita sutura, id obtinuit ut palati hiatus angustior esset, et quadriennio post facile intelligerentur quæ loquebatur

Permagni igitur interest scire hanc operationem cl. *La Faye*, aliisque bene cessisse, hiatumque palati in ætate paullo adultiori vel penitus deleri posse; vel saltem ita coarctari ut deletus videri possit. Qua propter non protinus primis vitæ diebus, quamvis id quoque faustum habuisse eventum legamus, de hujusmodi vitio corrigendo cogitandum esse experientia admonemur.

Juvat etiam scire labia bifida fere semper lobulum comprehendere instar uvulæ propendentem (Van Doeveren, obs. acad., c. II, § 5): quæ tamen uniri possunt absque particulæ excrescentis resectione; imo labium bifariam fissum potest simul cruentari, incidi, et sutura conjungi. Quod si media particula extantior sit, potest spleniis fasciisque deprimi, ne extra sedem maneat.

Art. III.

De spina bifida.

Gravior morbus est spina bifida et fortasse frequentior quam vulgo creditur; quum certe haud ita raro observare mihi contigerit hujusmodi spinæ tumores partim ad cervicem, partim ad dorsi et ossis sacri vertebras pertinentes, quorum historias hic proponam.

Ad cervicem fuit in puero ante sextum mensem denato, in quo mollis tumor, ovalis, cute non vitiata tectus observabatur. Eo tumore inciso, dura menynx veluti in saccum dilatata, atque inter hiantes processus spinosos tertiæ quartæque cervicis vertebræ illapsa conspiciebatur, neque aliud intra se recondebat præter medullam spinalem, ut nobis videbatur, integram, et lymphæ aliquam portionem.

Altera itidem in puero anno 1779 observata a priori parum dissimilis

(1) Mém. de l'Acad. de chir., t. I, p. 605.

est. Tumor nempe nuchæ insidens, a septo quodam transverso bifariam divisus partem occipitis, et superiores cervicis vertebras occupabat. Diagnosim confirmabant positus tumoris, tum fluctuatio humoris contenti, et quædam cutis pelluciditas. Defuncto intra duos vitæ menses puero; aquam duræ matris sacco contentam e cranio per ossis occipitalis, et per atlanticæ hiatum sibi viam fecisse compertum est. Hujus enim symphisis posterior disjuncta erat, imo deperdita ea pars annuli, quæ ab uno processu transverso ad alterum producta vertebram complet. Occipitis item basis, sive duo illa segmenta quæ foramini occipitali formando conveniunt, ampliter diducta erant, et ne magis dehiscerent, a forti quodam ligamento in transversum ducto continebantur.

Itaque humor aquosus tum supra, tum infra prædictum ligamentum extrorsum tendebat. Paullo enim supra id ligamentum occipitis segmenta, antequam in crucem coirent, ab invicem diducta foramen alterum efficiebant rotundo margine præditum, nec illi, quod occipitis est, multum absimile. Infra vero occipitis foramen naturali amplius erat ob deficientem atlanticæ portionem. Reliqua cranii ossa attenuata erant et foraminibus variæ formæ prædita, quæ membrana quadam tenaci, pellucida, nec ad D. M., nec ad pericranium pertinente, sed ipsi ossi propria, quantum dissecando diligentissime investigare potui, obturabantur.

Venio nunc ad dorsum bifariam fissum. Puella partu naturali edita 30 septembris anni 1778 ulcerato dorso in lucem prodiisse ab obstetricibus ferebatur. Rem inauditam videre cupiens, illico advolavi. Et sane ab ultima cervicis vertebra ad os usque sacrum maculam rubram, aut potius stygma protensum vidi ovalis figuræ, intra vertebrarum dorsalium processus spinosos, quasi gemini essent, comprehensum. Tumor, si ita appellare fas est, mollis erat, et vix elevatus, cum fluctuatione aliqua conjunctus, membrana itidem molli, et tenui, et rubra protectus.

Cæterum puella habitus pinguioris erat, et artubus bene dispositis, nisi crura invicem decussata, et pedes introrsum conversos habuisset, quorum directio nec manibus, nec fasciis diligenter adhibitis corrigi unquam potuit. Erant præterea artus inferiores tam torpidi, ut neque iis insistere, neque eosdem agitare, quemadmodum alii infantes solent, potuerit. Itaque nonis octobris decessit.

Secto cranio, hydrocephalum internum vidimus: nempe aqua inter menynges et cerebrum coacervata, atque in spinalis medullæ tubum dilapsa, sive pondere, sive vi sua dissolvente ita distraxerat membranas, ut inter cutis veluti dilaceratæ rimam expanderentur in sacculi formam, et cum ejusdem cutis marginibus coierint. Itaque ovalis, quem theca vertebralis constituerat, tumor rubebat, atque cuti proprio colore præditæ connatus observabatur. Spinalis medulla eo sacco contenta, gracilior quidem, quam oportuit, visa est; aquæ tamen non innatabat, sed corporibus vertebrarum applicata et fere compressa, nervos more solito emittebat.

Anno 1777 Modœtia huc allatus puer biennis optimi habitus, ut a tumore

ad dorsi spinam, quem nascens ex utero gestaverat, sanaretur. Is postremæ lumborum vertebræ, et superioribus duabus ossis sacri incumbebat ovo complanato similis : nempe ad elypticam figuram accedebat, in transversum positus inter spinas posteriores ossis ilii. Inde basi angustiore exurgebat, mox latescens in convexam superficiem abibat ad modum cucurbitulæ, nisi quod oblongus sit, bullosus, inæqualis, colore fusco aut plumbeo, et striis interstinctus cæruleis. In dorsum decumbere nequibat puer, neque attactum sine lacrymis ferre; quod si diutius attrectaretur tumor, tunc fæces sine voluntatis imperio excludebantur, quod nonnullis qui adstabant, suspicionem fecerat tumorem cum recto intestino communicasse. Verum explorato diligentius intestino, hujusmodi communicationem non adesse compertum est; sphincter tamen quammaxime laxus, et intestinum valde dilatatum erat. His præsens mater addebat, lotium et fæces præter voluntatem semper prodiisse; artus quoque inferiores sustinendo corpori vix pares fuisse. Biennio, postquam a nobis dimissus fuit, obiisse puerum renunciatum est.

Denique spina bifida ad os sacrum affectus in lucem venit juvenis Mediolanensis, vitamque non solum produxit ad annum ætatis decimum septimum, sed ita in dies increscebat, ut præter crurum debilitatem, quæ tamen æque ac reliquum corpus optime alebantur, nil illi molestum esset. Quum apud mercium institorem tyrocinium poneret, quadam die tumorem ad pessulum impingendo contudit, ulceravitque cute tenus, unde crusta obductus fuit. Mox ea decidente lympham ploravit, febrisque vehemens oborta est, quam in nosocomium intulit die 6 aug. 1784.

Tumor ex lumbalibus vertebris assurgens basi latiore, strictiori apice, tensusque in modum inflatæ vesicæ tribus latis digitis attollebatur, quin cutis inflammata appareret. Interiores vero partes inflammationi subfuisse minime dubium erat; nam quoties febris intendebatur, toties ingentem distensionem spinæ præcipue ad occiput et cervicem persentiebat. Fæces et urina ad voluntatis nutum excernebantur. Itaque venam secare jussi, et potum antiphlogisticum propinare, sanguinemque detrahere iterum curavi, cum a meridie febris ingravesceret, dolorque molestius afficeret spinam, caput, frontem. Sanguis uterque pellicula carebat. Altero die imminuta licet febri, dolor frontis, dorsique permolestus erat, qui nocte insequenti acrius os sacrum et tumoris regionem exercuit, ex quo tandem disrupto plurimum aquæ limpidissimæ effluxit, ideoque tumoris saccus mane vacuus, rugosus, minus dolens repertus est. Sed hujus evacuationis utilitas pene nulla, permanente non solum frontis dolore, et tensione ad cervicem, sed aqua continuo tanta copia promanante, ut artus inferiores nimis jam languerent, et lectus penitus inundaretur; quod cum absque convulsivis motibus fieret, non videbatur tam infausta portendere ut prius metuendum erat; eoque minus quod iis diebus, 9 et 10 aug. febris mitior erat, capitis dolor et cervicis tensio fere sublata; nisi quod modicus circa frontem et genua dolor permaneret, et crura quamvis nec atrophia nec œdemate vitiata, imbecillia et subtorpida essent. Lympha extillabat quidem modice, per eos dies; attamen cystis denuo turgere visa est.

Sub vesperam diei 11 augusti febris cum horrore et calore maximo invadit, cephalæa non minus intensa caput gravante, et aqua interim copiosius e spinali theca profluente. Hinc pulsus frequentior vibransque factus est, tumor vero vacuus flaccidusque. Accessit ingens in artubus inferioribus formicatio, respiratio anhelosa, demum reclinato in latus corpore, pallidissimus et viribus destitutus obiit mane diei 12 aug.

Cadaveris sectionem a capite sumus exorti, cujus ossa naturali figura et magnitudine se habebant. Dura mater sincipiti sinistro tenacius adhærebat, spatiumque aliquod inter menynges et cerebrum intercedere manifesto apparuit. In universum vasa sanguine affatim distenta visa sunt, ut in inchoata inflammatione evenit. Pulpa medullaris cerebri et oblongatæ medullæ firmissima, neque vitium ullum in eorum superficie, sive in interiori structura adnotatum est.

Sublatis cerebri hæmisphæriis usque ad lateralium ventriculorum sedem, dexterum ex his paullo naturali ampliorem et limpida aqua madentem invenimus; sinistrum vero aqua turbida refertum, magisque dilatatum, ex quo paucæ aquæ guttæ in cornu inferius delapsæ sunt. Utriusque thalami optici superficies leviter arrosa, sive lanugo illa, quæ illos obvestit, ab aquarum contactu hic illic erat derasa. Ventriculorum lateralium, quæ ad tertium ducunt, orificia in figuram ferme ovalem dilatata, plexusque, quem transmittunt, choroideus sanus erat. Septum lucidum diaphanum et vacuum. Opticorum thalami tam bene commissi, ut nonnisi lentissime secederent. Tertius ventriculus pauca lympha madidus et diametri naturalis. Tenuior menynx, quæ cerebelli hæmispheria columnæ medullari centrali alligat, et illa quæ tubercula quadrigemina complectitur, solidæ erant structuræ, dictasque partes firmius inter se conjungebat. Ipsa interim vasis sanguineis erat conspersa, iisque valde turgidis.

In reliquis partibus cerebri, tuberculis scilicet quadrigeminis, aquæductu, quarto ventriculo, in scriptorio calamo nil vitii deprehensum est. Valvulas tamen semilunares, et origines nervorum acustici, et sympathici medii non bene, aut prorsus non observavimus. Ex dissecto menyngum spinali tubo nil aquæ prodiit, qui præterea neque ab ullo fluido distractus fuisse apparuit. Igitur totum id, quod morbosum erat, in prima et altera ossis sacri vertebra consistebat, quorum processus posteriores sejuncti hiatum fere ovalem relinquebant, per quem D. M. saccus propendebat non omnino vacuus; nam lymphæ adhuc subrubræ pauxillum continebat. Hæc satis designabat thecam membranaceam spinæ fuisse inflammatione correptam, quæ ad cervicis usque vertebras propagata, neque ipsam medullam spinalem reliquit immunem, valde nimirum turgentibus vasculis, quæ inter nervea fila dispersa sunt.

Ossa expurgata ostenderunt fissum esse processum spinosum postremæ lumborum vertebræ, omnesque illas, ex quibus conflatur os sacrum, et coccyx. Processus spinosi vertebrarum lumbalium superiorum tuberosi magis et extantes erant, quam naturaliter solent.

Tumorem spinæ bifidæ non semper congenitum esse arbitratur ill. *Frank* (1), et adultorum ossa ab iisdem causis posse dissolvi, a quibus puerorum ossa læduntur. Quod effatum, etsi de plerisque ossium morbis verum esse possit, nescio tamen, utrum quod de spina bifida affirmatur, aliquo exemplo possit confirmari. Etenim in hydrorachitide non solum cartilagines solutas esse cernimus, quæ processus posteriores seu spinosos conjungunt, ut patet ex anatome, et quæ sub maturiori ætate in os convertuntur (2); verum etiam id deficere nonnunquam animadvertimus, quod jam osseum esse deberet in fœtu. Ita in ejusmodi tumoribus multum de vertebrarum processibus interdum absumptum esse affirmant *Haller* (3), *Oheme* (4) et *Jo. Andr. Murray* in eleganti dissertatione de spinæ bifidæ ex mala ossium conformatione.

Hinc *Hevermanni* opinio refutari debet, qui causam spinæ bifidæ altiori loco positæ tribuit actioni musculorum rhomboidei et trapezii; in imo dorso et lumbis nimiæ spinalis columnæ inflexioni; in osse sacro femoribus introrsum conversis (5).

Cum in hydrorachitide adsit lymphæ collectio, et processuum hiatus, dubium videtur, utrum lympha collecta producat hiatum, an hiatu existente, et turbatis ideo thecæ spinalis functionibus, lympha paullatim intra illam accumuletur. *Morgagnus* (6) primam hujus mali causam videtur reponere in aqua, quæ vel ex hydrocephalo descendit, vel quandoque ex inferioribus partibus ad caput ascendit. Huic assentitur *Hallerus* (7) dicens: « In hoc malo dura menynx ab humore distenta molles spinas lumborum, et sacri ossis aut non sinit coire, aut male glutinatas dividit et obliterat ». Neque dissentit *Ruyschius* (8) qui æque tumorem tribuit latici per spinam descendenti, et in processus spinosos adhuc cartilagineos erumpenti.

Sed si tanta est vis lymphæ congestæ, ut pondere suo ossa divellat, cur hujusmodi tumores non in osse sacro potius oboriuntur, quam in vertebris superioribus, cum *Ruyschius* (9) affirmet infimam partem ossis sacri in statu naturali hiare? Verum *Morgagnus* negat (10) ad finem ossis sacri pertingere duram membranam, licet *Hallerus* (11) oppositum tueatur.

---

(1) Delectus opus. med., vol. II, p. 88.

(2) Vertebræ in infantibus ex ternis ossiculis per interpositas cartilagines conflantur, quæ tria ossicula delata cartilagine in adultiori ætate coalescunt, manentibus quinque epiphysibus, quæ etiam in ætate integra in apophyses vertuntur. *Columbus*, De re. anat. *Ingrassias*, De ossibus.

(3) De monstris, l. I, § 5.

(4) Dissert., p. 91.

(5) De monstr., l. II, p. 136.

(6) De sed., ep. 12, 9.

(7) Physiol., t. IV, p. 87.

(8) Ep. 12.

(9) Obs. 35.

(10) De sed., ep. 12, 9.

(11) Elem. physiol., t. IV, p. 88.

Quare in hoc dissidio cogimur amplecti sententiam cl. *Murray* qui potiorem mali causam in mala ossium conformatione ponit, quod probat ex sceleto puellæ 17 mensium : naturam videlicet in osteogeniæ negotio fuisse turbatam, dum quædam ossa, quæ distincta esse solent, vitioso concremento coaluerint; alia vel membranacea perstiterint, vel variis locis perforata fuerint. Multa alia exempla vitiatorum ossium spinam bifidam comitantium leguntur in auctoribus. Igitur divulsio processuum spinæ non a sola lymphæ congestione procedit, sed potius a præexistenti ossium vitio, quod accumulationi lymphæ locum dedit.

Quæ cum ita sint, nihil mirum si hydrorachitis in variis spinæ dorsi sedibus appareat. *Ruyschius*, qui decies hoc malum observavit, semel eidem in nucha occurrit (Obs. chir. 34, 35) uti et *Foresto* (Obs., l. III, 7). Spinam per tres colli vertebras, et totum dorsi et lumborum tractum hiare vidit *Bidloo* (Op. anat., dec. 2) et a sexta dorsi vertebra ad os coccygis *Gild* (*Haller*, Collect. disp. pract., t. 7, p. 1). Supra lumbos *Gaspar Bauhinus* (*Schenk*, Obs. med., l. V): rarissime in inferiore parte ossis sacri *Ruyschius*. Coccyx etiam in perpaucis fissus est deprehensus absque hydropici vestigio. Cæterum spinæ hiatus nunc latior, nunc angustior esse potest, atque superstites cristæ osseæ magis sæpe divergunt, quandoque penitus deficiunt una cum transversis processibus et obliquis.

Hujusmodi tumores si inconsulto aperiantur, aut sua sponte disrumpantur, mortem accelerare docent *Tulpius* et *Ruyschius*, atque ipsa experientia confirmat. Non desunt tamen exempla longioris vitæ, et præter nostrum, duo producit *Acrell* (*Murray*, l. c., § 5): alterum pueri ad octavum annum; alterum puellæ ad decimum septimum adhuc superstitis, illæso permanente tumore.

Tumores ad coccygem nati minus lethales esse creduntur, aut saltem, qui iisdem afficiuntur, diutius vitam trahere posse; quia equina medullæ cauda ad coccygem non pervenit, et quia aëris injuriis minus expositi sunt tot nervi, ex quorum læsione artuum inferiorum oritur imbecillitas et resolutio.

Bernardinus Genga (Anat., lib. II, c. 33) observationem habet pueri anniculi hydrocephalo affecti, qui suppurato prope anum tuberculo, discussus fuit, puer tamen lympha penitus evacuata mortuus est. Ex hac historia breviter descripta intelligi non potest, an ab insecuta inflammatione mors accesserit; neque an tuberculum coccygi propius fuerit, ut aqua inter cerebrum et menynges collecta per medullæ spinalis thecam potuerit descendere, et per coccygis viam posterius fissi effluere.

Art. IV.

De pubis diastasi.

Permulti sane scriptores eorum vitiorum observationes, quæ genitalia utriusque sexus organa ab ipsa matris alvo afficiunt, diligenter literis mandarunt, veluti præputii nimis producti, aut coarctati, aut cum glande connati (1); uretræ concretæ, aut alio loco apertæ (2); ani coaliti; clitoridis excrescentis, et vulvæ clausæ (3), quorum pleraque aut minus per se gravia sunt, aut congruis operationibus tolli et emendari sic possunt, ut vitam sine gravioribus ut plurimum ærumnis traducere sinant. Nonnulla vero licet rariora vitia adeo constituta sunt, ut curationem omnem respuentes totum vitæ cursum homini ipsa morte tristiorem reddant. Inter quæ postrema adnumerari jure debet organorum genitalium prava conformatio, quæ a nobis aliquoties in viventibus, præcipue vero in virili cadavere observata, et per anatomen indagata fuit 26 martii anni 1776.

Viro quadragenario et cœlibi, staturæ mediæ, ab ipso ortu adnata cernebatur in hypogastrio massa quædam rubra, spongiosa, ovalis propemodum figuræ, quæ transversim, ut videbatur, supra pubis ossa locata erat. Ex hujus substantiæ superficie parvis lacunis refertæ assurgebant tubercula quædam itidem spongiosa, sed crassitie inæqualia, inter quæ ad massæ spongiosæ angulos una utrinque lacuna profundius insculpta, et latiori orificio donata continuo stillicidio urinam emittebant.

Porro hæc massa paullum contracta versus pubis symphisim, desinebat in appendiculam transversi digiti longitudine, quæ anterius producta penis quodammodo rudimentum constituebat, cujus superficies alba, latior, æqualis, et reliqua massa solidior. Extremum appendicis occupabat glans dimidiata, medio sulco superius divisa, cui inferius frænuli ope dimidiatum pariter præputium adnectebatur. Eminentior item linea superiorem penis superficiem dividens, in glandis sulcum desinebat.

Copiosi circum has partes pili erant, sed confertiores supra binas osseas protuberantias, duobus utrinque ab pene transversis digitis distantes, a quibus ampliori origine descendens scrotum, non laxum, sed tensum, et interfemineo adnatum peram quodammodo venatoriam referebat, occupatoque, vel potius distracto, quod perinæi est, spatio, sub ipso scroti arcu magis ad anteriora exporrectum ani orificium aperiebatur.

Cum ex supradictis aliquas partes costituendo peni necessarias abesse suspicarer, quid subesset vitii, sectione detegendum duxi. Detractis integumentis mox cavernosa corpora, tum musculi bulbo et ischio cavernosi,

---

(1) *Paul. Ægin.*, l. VI, c. 56. — *Aquap.*, Chir., part. II, c. 61, 68. — *Hild.*, Obs., c. III obs. 54.

(2) *Paul.*, l. c. — *Ruysch.*, Thes. anat. VIII. — *Schenk.*, l. V.

(3) *Scultet*, t. 41. — *Aquap.*, l. c.

atque sub his uretræ bulbus in conspectum venere. Verum erectores musculi cavernosaque corpora ab osse ischii transversali ductu penem versus tendentes nonnisi extremis capitibus sub glandis basi uniebantur. Hujus directionis rationem inquisiturus, sectionem integumentorum prosecutus sum, iisque penitus ablatis apparuit, pubis ossa, quæ primum deficere penitus videbantur, quatuor digitorum intervallo ab invicem recessisse, geminasque illas pilis obsitas, quæ sub integumentis attollebantur, protuberantias, ab duobus pubium tuberibus, seu *spinis*, ut dicunt, esse efformatas; ideoque non solum mutatam fuisse partium, quæ ad utrumque pubis crus pertinent, directionem, et perinæum deletum ob scroti immanem distensionem; sed pelvim etiam ampliorem, quam viro congruit, redditam, et ossis ilium oras, *cristas* vocant, eminentiores factas fuisse. Quibus illud necessario accessit, ut cum crura ab illis ilium ossibus modice suffulcirentur, et linea propensionis ob pubem dehiscentem mutata esset, homo inter incedendum claudicare debuerit.

Reserato abdomine, remotoque ad lumborum regionem peritonæo, ureteres solito ampliores occurrerunt, qui in parvam pelvim primo delati, dein aucta diametro sursum reflexi insigni orificio angulos spongiosæ massæ perforabant. Igitur tota illa vesicæ superficies, quæ musculis abdominis et pubis symphisi secundum naturam obversa esse debet, penitus desiderabatur, et posterior vesicæ paries, qui supererat, in massam illam spongiosam abierat non recto incumbens intestino, sed verticaliter inter dehiscentem pubem suspensus, cui a posteriori, inferiorique parte seminales vesiculæ cum prostata adjunctæ erant, cæterum bene constitutæ, si parvitatem excipias. Ad hasce vesiculas propter ossium discessum transverso fere itinere ibant deferentes ductus et binis orificiis in superiori penis superficie patebant.

Rectum intestinum, quod alias in viro vesicæ subjacet, et inferiori ejus parti propius adhæret, ex fundo pelvis in arcus modum anterius inflectebatur, ut vesicam contingeret. Sed et lumina vasorum ab hypogastricis derivantium duplo ampliora visa sunt; nulla tamen in hæmorrhoidalibus ramis morbosæ dilatationis, aut congestionis inditia deprehensa sunt.

Eædem pariter deformitati fœminæ obnoxiæ sunt. Die sexta februarii anni 1786 mulier quædam Mediolanensis puellam bimestrem, beneque valentem ad nos attulit, ut de vitio, quocum edita erat, consilia conferremus. Ulcus erat, aut potius stygma peramplum a vulva ad eam sedem protractum, quam umbilicus tenere solet; umbilici enim nulla supererant vestigia. Ex superiori tamen stygmatis angulo funiculum umbilicalem prodiisse puellæ parens testata est. Porro ulcus erat oblongum, rubensque, inæquali superficie et binis orificiis pari intervallo sejunctis præditum, quæ cum urinam stillarent, certe ureterum ostia erant, et reliqua substantia mollis, rubescens vesicæ corpus vel dilaceratum, vel ex parte deficiens, et cum vicinis integumentis conglutinatum.

Infimo loco, quo hians vesica finiebat, vaginæ orificium conspiciebatur,

ostium nempe circulo quodam membranaceo coarctatum Reliqua, quæ infra sunt ad anum usque secundum naturæ ordinem constituta erant. Ab lateribus hujusce stygmatis bina tubercula duriora prominebant, dehiscentium nempe pubis ossium *spinæ*; nam medio inter eas loco nil ossei resistebat. Mater infelicis puellæ probe noscens morbum graviorem esse, quam ut auferri artis ope posset, id potissimum a nobis postulabat, ut quomodo doloribus et molestiis, quæ illam identidem affligebant, succurrendum esset, edoceremus. Quum hi dolores a linteorum affrictu, tum ab urinæ stimulo propius nudatæ vesicæ applicato suscitari viderentur, præcepimus, ut linteo, vel oleo, vel linimento aliquo refrigerante imbuto plagam frequentius deliniret.

Cœterum observationem viventis adhuc ea tempestate mulieris a cel. *Huxhamio* communicatam legimus *Jacobo Jurino*, R. soc. Londin. a secretis, qui eandem phylos. Transact. inseruit anno 1723, n.° 379. Id unum animadvertendum est, *Huxhamium* non satis claram habuisse hujus vitii notionem. Namque cum duos erumpere meatus urinarios videret, qui urinam jugiter extillabant, vesicam sphynctere caruisse concludebat. Deinde existimabat massam fungosam funem fuisse umbilicalem male a partu abscissum, maleque curatum; quin imo urinam effluere per urachum pervium, et in duos forsan tubulos divisum. Rursus cum prolapsum uterum fortius intrudendo in ea, quam describit, fœmina, exilirent rivuli duo urinæ ad pedis distantiam, argumentabatur, cystidem quamdam adfuisse, quæ urinam exciperet. Verum cum in nostra historia ureterum extrema ampliora, et sursum inflexa fuisse dixerimus; perspicuum est in supina maxime fœmina urinam facilius in eorum arcu stagnasse, atque ad pedis distantiam exilire potuisse uterum prolapsum validius restituendo, qui in ipsos canales impulsus urinam fortiter excussit. Nec pubis ossa defuere in *Huxhamii* fœmina; aderant enim quasi apophises breviores ex utriusque ossis ilii parte inferiore protuberantes.

Duo hæc vitia diastasis nempe pubis, et vesicæ ex parte defectus possunt esse sejuncta; ergo vesica non laceratur ab ossibus divaricatis. Id confirmari potest ex disert. *Joh. Gottlieb Walther* (1) qui probavit, nullam existere synchondrosim ossium pubis, seu comunem cartilaginem; sed suam cuique pubi propriam esse cartilaginem, quæ ope cellulosæ telæ intermediæ uniantur, et quandoque in osseam abeant naturam. Qua propter diastasin pubis delineatam dedit ex viro 30, et amplius annorum, in quo pubis ossa 20 $\frac{1}{2}$ lineas pollicis parisiensis ab invicem distabant, et ab singulari ligamento transverso quodammodo jungebantur. Ibi mentio nulla de vesicæ et genitalium vitio facta est.

Sed nostræ analogam observationem cum diastasi nempe, et vesicæ vitio habuit *Flajanus* (2) in viro 70 annorum. Ureteres duplo majores: acceleratores,

---

(1) De synchondrosi ossium pubis. Berolini 1782.
(2) Nuovo metodo di medicare, p. 131. Roma.

et erectores musculi deficiebant. Vidit pariter chirurgus *Mowat* (1) in puello recens nato massam spongiosam supra pubis ossa enatam, atque duabus papillis urinam jugiter emittentibus instructam. Ex infima parte hujus massæ propendebat penis lata admodum superficie, veluti si per medium dissectus fuisset. Præputium magnum, laxumque, scrotum corrugatissimum; intervallum inter anum, scrotumque solito majus; pubis ossa longiora et latiora quam in reliquis infantibus. In utroque inguine eminentia prostat, sub qua testiculus locatur. Fere similes observationes vesicæ mutilæ habent *Buxtorph* (2) et *Desgranges* (3).

Perpensis iis, quæ de genitalium virilium vitio superius attulimus, duo potissimum quæri possunt: alterum an in enixo fœtu id vitium congruam medelam recipere possit. Alterum an procreandi facultatem in adulto adimat. Ad primum quidem non difficilis videtur responsio. Quamvis enim opportunis vincturis videatur ulterior divaricatio præcaveri posse, ossaque ad mutuum prope contactum adduci, cum nullam adesse vim constet, cujus actione ossa divergant; tamen si advertatur vesicam mancam esse, urethram vel superius vel inferne hiare, penem ipsum breviorem, ossa insuper pubis, et ilii in maturo fœtu eum resistentiæ gradum adepta esse, ut conatibus ad ea conjungenda resistant, quemadmodum ego in puella periclitatus sum, facile est judicare, omnem artis operam vanam esse futuram.

Alterius autem, quod magis refert, quæstionis difficilior est resolutio. *Dyonis* (4), *Palfyn* (5), procreationi ineptos esse credunt, quibus aut sub glande, aut retrorsum ad penis radicem uretra aperitur; et *Bartholinus* (6) eos etiam qui glandem fissam habent. Verum licet *Ruyschius* (7) moderans supradictorum opinionem rarius hujusmodi viros imprægnare mulieres dicat, *Vallisnerius* tamen (8), *Morgagnus* (9) et *Kaavius* (10) istud vitium nullo ad generandum impedimento esse tradunt. Imo *Hier. Fabritius* diserte asserit ejusmodi homines generasse (11), et *Melchior Fribe* (12) quemdam virum describit sex filiorum parentem, qui præter glandis scissuram, penem deorsum inflexum habebat.

Metzgerus (13) hypospadiam de imprægnatione accusatum memorat

---

(1) Saggi di med. d'Edimburg, t. III, p. 281.
(2) Acta Helvetica, vol. VII, p. 104.
(3) *Desault.*, Journ. méd., t. 74, p. 488.
(4) Cours d'opérat., p. 269.
(5) Anat. chir., t. II, ch. 23.
(6) Anat. Renov., l. I, c. 24.
(7) Thes. anat. VIII, n.° 30.
(8) Eph. N. C., cent. IX, ob. 72.
(9) De sed. ep. 26, 8.
(10) Comment. de rebus in sc. nat., t. I.
(11) De chir. oper., c. 69.
(12) Eph. N. C. D. 1, anno 3, obs. 98.
(13) Comment. Lips., vol. 35.

se vidisse. *Petrus Tabarranus* (1) Senis quondam anatomen profitens narrat *Augustinum Broli* Senensem, cui uretra imperforata erat, urinam et semen linea parabolica emittere consuevisse per orificium quoddam prope anum, quam ob causam conjugio idoneum judicatum a doctore *Calurio* celebri apud Senenses professore, uxorem postea permittente Curia duxisse. Eandem partium constitutionem habebat biennis infans ab *Amato Lusitano* relatus (2).

Nunc si partium constitutionem eorum virorum, qui aut generarunt, aut matrimonio idonei judicati sunt, cum structura genitalium, quæ nostro obtigerunt, conferamus; profecto conjugio ineptum fuisse hunce virum judicabimus. Namque *Augustinus Broli*, et reliqui quorum virilia male affecta erant, aut integrum penem habebant, aut non exiguam ejusdem partem, per quem urina et semen jactu parabolico scaturiebant; hinc et perfectam fere conjunctionem obtinere poterant, et validam ejaculationem procreationis fini respondentem habere. Ex adverso in homine a nobis relato gemebat continenter urina ex ureteribus, et semen per naturalia sibi foramina in superiori penis superficie existentia necessario effluere debebat absque validiori jactu, ibique hærere. Nec juvat opponere cum cel. *Walthero* (3) non esse necessariam penis intromissionem, quia etsi illud non semper requiratur, opportunum tamen est, ut ad vaginæ ostium emittatur prolificus humor ea vi, qua ab vagina excipi et absorberi possit.

Itaque verum est hujusmodi homines generationi esse ineptos. Non idem tamen de fœminis dicendum est, cujus rei præter alias complures exemplo sit illa ab *Huxhamio* descripta. Vir hicce doctissimus novitate phœnomeni perculsus quærit ex se, quonam forte modo gravida facta fuerit ista mulier-cula? Mox sibi ipsi respondens ajebat: *penis introductionem ad prolem concipiendam* haud absolute necessariam esse; seminis autem intra vaginam ejaculationem quammaxime. Id luculentum fit exemplo ex Aquapendente (4) duorum juvenum mutuo amore flagrantium, e quibus adolescens, cum nimio percitus oëstro continentiæ repagula fregisset, et veretur nihilominus integrum opus absolvere, fœminæ partibus solummodo glandem admovit, ejaculatusque est ea vi, ut ex eo puella conciperet absque hymenis læsione.

Verum ejaculatio fieri nequit nisi per canalem quammaxime idoneum; quamobrem *Ætius* (5) infœcundos censuit eos, qui penem brevissimum habent, et semen in vulvæ profunditatem vibrare non possunt. Id ipsum clarius exposuit *Heisterus* (6). *Quibus prope ventrem perforatus penis*

---

(1) Atti dell' Accad. di Siena, t. III, Append., lettr. 3. *Item*, t. V, ejusdem acad.
(2) Curat. med. cent. I, 23.
(3) Comment. Lips., tertiæ decad. suplem., p. 210, seq.
(4) Op. chirurg., c. 81, — *Trioen.*, Obs. med. chir., p. 63.
(5) Tetrab. IV, ser. IV, c. 26.
(6) Instit. chir., part. II, sect. V, cap. 24.

est, eos ad procreandam sobolem, atque ad matrimonium prorsus ineptos censendos esse; non item illos, quibus vel ex media circiter penis parte, vel et juxta ipsum glandem urina profluit. Proinde uretræ, atque hinc debitæ ejaculationis defectus in viris inter vitia matrimonium impedientia recenseri jure debent. Contra vitia illa muliebrium, quæcunque ea sint, penis ingressum prohibentia, conceptioni non semper officiunt. Duo igitur consequuntur adnotanda: alterum quod fœcundatio possibilis sit, licet fœminæ genitalia virum non admittant, dummodo a pene recte constructo per exiguum licet foramen ea seminis vis intra vaginam vibretur, quæ ad fœcundationem sufficiat. Alterum vero quod fœcundatio impossibilis sit, ubi virilia ad eum, quem diximus, modum, male sint constituta. Tunc enim liquor prolificus destituitur eo impetu, quem alias habet, dum a longiusculo et arctiori canali emittitur. Atque hinc numerosa adeo fœminarum exempla solo affrictu fœcundatarum intelligenda sunt de iis duntaxat, intra quas semen magno nisu a valentioribus viris vibrabatur. Nec aliter intelligenda sunt, quæ *Bohn* (1): « Interdum nempe vix muliebrium extremis affrictum maris semen imprægnasse »; nec quæ *Kaavius* aliique dixerunt: « Minorem spermatis copiam ad fœcundandum uterum, imo et exterioribus tantum partibus applicatam sufficere ». Quæ nisi ita essent, penis flacciditas, et variarum ejus partium paralysis, aliaque vitia, quæ cum boni seminis effusione conjuncta sunt, inter graves virilium morbos non essent recensenda. Ex quibus conjicere licet, fœminam, dummodo sit pervia, vitiosis muliebribus concipere posse absque penis immissione; ex adverso virum fisso, aut mutilo pene donatum fœcundare non posse.

Addo hic *Ludovici Buxtorfii* observationem de pubis diastasi, quæ legitur in *Actis Helvet.*, vol. VII, p. 104. Vesica urinaria nempe extra abdomen sub umbilico prominebat. Ab umbilico ad anum omnia modo insolito formata vidit. Obtulit enim sese sub umbilico moles carnea, rubicunda, et quasi excoriata, cui superne insidebant duo tubercula pisiformia. Sub isto tumore genitalia conspiciebantur. Penis exiguus glandem male figuratam habebat. In glande nullum foraminis vestigium erat: perinæum nullum.

Art. V.

De loxarthro.

Exarthremati affinis est loxarthrus, nempe articuli in directionem a natura alienam conversio, quo vitio præcipue manus et pedes afficiuntur, sed pedes frequentius, manus rarissime. Manus sic affecta introrsum inclinata est, ut dorsum superius, palma ejusdem humum respiciat; pollex

---

(1) Circ. anat., progymnasma 1.

interius vergit, minimus digitus exteriorem partem tenet, atque manus resupinari nequit. Ulna in his longius excurrit ad carpum, radius brevior est et largiori superficie ossicula carpi excipit. Hæc ossicula ordinibus in modum vix describendum mutatis, ita miscentur inter se, ut ab exteriori in interius latus inclinati manum pariter totam introrsum dirigant.

Singulare est specimen, quod possideo, artus superioris dextri ulna, radioque destituti, quod hic refero. In eo humeri sinus inferne cum osse crassiori committitur fere triquetro, cui tria alia incumbunt ossa ad formam quadratam accedentia, eorumque postremo digiti duo infixi sunt. Porro manus hæc mutila retrorsum conversa est extentis digitis, atque humerus ipse sub diaphysi ad posteriora modice inflexus est.

Pedes loxarthro vitiati vari sunt, idest introrsum conversi, sic ut planta pedis retrorsum, et paullo sursum versa sit, dorsum ejus anterius et paullo infra spectet. Dorsum autem magis convexum est sive ob thali ossis, et calcis apophyses prominentiores, sive quod margini pedis externo totum corpus insistat. Pes uterque ut plurimum eo malo laborat sic, ut digitorum apices contra se sint conversi. In recens natis puerulis ad naturalem ordinem convertere placuit pedes; idque non fuit difficile, difficillimum autem fuit illos ita conversos continere. In nonnullis interior malleolus aut deficere, aut certe brevior esse videbatur, ut propterea pes adducentium musculorum actionem sequeretur. In plerisque autem, in quibus malleolus certe non desiderabatur, caussa, ob quam pedes interius converterentur, videbatur in aucta musculorum adducentium actione consistere, qui pedem ad naturalem figuram restitutum, mox in interiorem partem contorquebant.

Hæc quidem in vivis contorsionis causæ apparebant; sed potiores in denatis repertæ sunt, nempe mutatus quorumdam ossium positus, nexusque. In puero sexta die denato, qui anno 1785 sectus est, os naviculare non directe cum superficie articulari hæmisphærica thali committebatur, neque in eandem cum tibia directionem collimabat, sed introrsum promotum, proxime malleolo interno suppositum erat. Quare thali processus articularis (caput) cum extrema solum scaphoidis cavitate aut sinu conjungebatur, atque ut hanc quoque attingeret, cervicem magis introrsum inclinatam habebat. Cæterum thali tuber gibbum a superiori parte in tibiæ sinum, et inter malleolos recipiebatur.

Ossis navicularis sinum articularem, qui interius est, malleolo fuisse suppositum dixi; at inter utrumque os interjectum fuisse quoddam ligamentum non dixi. Ejusdem ossis oræ interiori sinus lævis insculptus erat, quo ipsius malleoli internæ parti convexæ applicabatur. Hanc unionem firmabat ligamentum quodammodo, ut dicunt, capsulare, utrumque os latius compléctens. Reliqua tarsi ossa declinationem sequebantur thali, et ossis navicularis, difficileque fuit singulorum vitia in adeo tenero puello adnotare.

In puero anniculo 15 septembris anni 1787 examini subjecto, tibia in

directum procedebat; fibulaque utraque (nam loxarthrus ex utroque latere plerumque est) paullo introrsum inflexa contra tibiam, ut spatium inter osseum fere nullum esset. Atque hic ambigendum, an a nativitate fuerit, an inflecti sic fibula ab eo acto pueri incessu 12 mensium potuerit. Majus vitium in tarsi ossibus erat. Pes ita positus, ut latus, qui interius esse solet, sursum spectaret, exterius vero terram contingeret: ita pedis dorsum, quod vocant, extra, et modice deorsum versum erat, planta vero interius, et paullo sursum. Hæc vero magis aut minus conspicua sunt, pro ossium majori, vel minori perversionis gradu. In hoc specimine thali apophysis superior oblique in tibiæ sinum recipiebatur, ut potior pars superficiei articularis malleolo externo obverteretur, minima interiori. Caput autem leve, quod cum osse naviculari articulatur, obliquius introrsum, quam natura fert, et paullo deorsum deflexum: quo factum est, ut os calcis pariter oblique thali exeriori inferiorique lateri subjaceret. Accidit propterea, ut contorto in eum modum pede, malleolus interior ossis navicularis oram contingeret; calcanei vero crassum tuber sive calx, extra centrum articulationis positum, sub extremo malleolo consisteret. Valentissimus hinc tendo gastrocnemiorum calci insertus valide calcaneum attrahebat, et simul adducentes musculi in contractione reperti, in eandem directionem tarsi contorsionem agebant; quo fit, ut in vivis pes aut ægre extendi, aut nunquam extensus contineri possit.

In adulti pede calcaneus totus in partem exteriorem et posteriorem disjectus reperiebatur, et superficie anteriori cum osse cubiformi articulatus, laterali vero fibulæ caput extremum, et thali partem exteriorem sustinebat. Thalus autem sic alienus erat a naturali figura, ut tuber lævigatum, quod tibiæ sinui congruit, depressum fuerit; tubere vero postico, inæquali cum cruris ossibus immobili ligamento committeretur; anteriori demum parte os naviculare exciperet, quod deorsum paullo, et introrsum inclinatum ad malleolum proxime tendebat. Cæterum hujusmodi articulatio mobilitate carebat, et homo incedens non plantæ pedis, sed lateri ejusdem externo, nempe calcaneo, ossi cubiformi, extremo metatarsi, et digito minimo insistere debuerat.

Loxarthrum alterius speciei vidi anno 1790 mense junio in rustico, cui thali os ex sinu tibiæ jam ab prima ætate anterius protractum in dorso pedis elevabatur in fastigium. Os calcis retrorsum, et sursum trahebatur ab intento Achillis tendine. Pedis planta maxime sinuata; plantæ extremum, et digiti ad humum conversi. Pes quammaxime extensus, ut calcaneus latitudine duorum digitorum supra alterius lateris os fuerit. Itaque flecti pes nequaquam poterat, motusque ad latera erant præpediti.

Mirandum est *Hippocratem* quoque de loxarthro aliqua attigisse. Is enim ait (1): « Quibus a primo ortu crus varum efficitur, eorum plerique curari possunt, nisi magna admodum emotio extiterit, aut etiam pueris ætate paullo amplius provectis ista contigerint ».

---

(1) De artic., sect. VI, n.° 31, edit. *Foesii.*

Vari igitur non uno modo sed pluribus fiunt. Plerumque, si quidem non ex toto elapsus sit articulus, sed re aliqua detentus eo habitu assueverit, pes varus efficitur. In eorum autem curatione animadvertendum est, ut tibiæ quidem os ad malleolum, quod extra spectat, interiorem in partem propellatur et dirigatur; contra vero os calcis e directo exteriorem in partem repellatur, quo ossa, quæ extant, tum circa medium, tum circa transversum pedem inter se concurrant. Digiti vero una cum pollice interiorem in partem repente inclinentur, atque hunc in modum cogantur. Adhibito autem cerato, quod copiosam resinam recipiat, et spleniis et fasciis mollibus, neque paucis, neque admodum adstrictis deligatio instituenda, neque aliter fasciæ circumducendæ, quam si pes manibus componeretur, quo pes paullo magis ad valgum spectare videatur. Tum solea quædam ex corio non admodum duro, aut plumbo paranda, eaque non cuti proxime alliganda est, sed cum jam postremas fascias sis appositurus. Ubi jam pes devinctus fuerit, ejus lintei, ex quibus deligatio constat, caput ad fascias, quæ imo pedi circumvolutæ sunt, e regione minimi digiti assuendum est; deinde sursum intendendum linteum, ut dum pes recte positus videtur, supra carnosam cruris partem circumducatur, atque ita firmiter collocatum hæreat.

Qui nosse cupiat machinamenta recens inventa, videat legatque dissertationem, quam de pedibus contortis restituendis inscripsit ill. eques a *Scarpa* (1).

Art. VI.

De lordosi.

Affectiones illas, quæ in figura, magnitudine, defectu, mutatione situs, aut connexionis mollibus corporis humani partibus contingunt præter naturæ institutum, sollicite quidem, et prolixiori sermone descripserunt pathologi, sed mutationes durioribus partibus præcipue inhærentes supremis tantum labris videntur attigisse. Quæ licet nonnisi chirurgica, aut diætetica præsidia postulent, et neque his emendari plerumque, aut penitus auferri possint; tanta tamen est hominum deformium in magnis urbibus frequentia, ut interdum iis, qua arte possumus, succurrendum sit. Interdum etiam necesse sit saltem ægritudinis speciem nosse, illamque domesticis indicare, ne, ut aliqui solent, parvi facientes vitia, quæ figuram deturpant, cum dedecore discedendum sit ab ægrotante, eo quod affectionis speciem, et naturam, et præsidia, si quæ sunt, indicare et aptare non noverimus.

Dum artuum ossa varie inflectuntur, aut præter naturam in diaphysi crassescunt, id vitii *lordosis* nuncupatur (2). Est autem lordosis proprie

---

(1) Pavia, 4.°, 1803, fig.
(2) *Sauvages*, cl. I, ord. IV, gen. 31.

spinæ affectio, cum ea anteriorem in partem inclinat (1). Liceat tamen cum *Sauvagesio* hoc uti vocabulo ad quamcumque ossis distorsionem significandam.

Hæc autem deformitas multiplex est, et pleraque ossa afficit. Certe ipsammet capitis ossa sæpius a naturali figura et magnitudine recedunt. Ita nunc crassissima, nunc valde extenuata visa sunt, et quod propius ad vitium lordoicum accedit, modo sincipitis ossa valde fornicata, et ad verticem in colliculi speciem elevari; modo alterum magis inclinatum, aut altero magis extuberare deprehensum est. Id ipsum etiam ossis frontis gibbositatibus evenit, ut plus justo extrorsum, nec sine quadam infamiæ nota interdum porrigantur. E contra nasi ossicula, et cartilagines etsi latissimæ, et editissimæ sint, vultum dehonestare non creduntur; at quando nimium introrsum compressæ nasum resimum faciunt, quod populis nonnullis hæreditarium est, plurimum venustatis vultui detrahunt.

Præ cæteris autem capitis ossibus peccat magnitudine inferior maxilla in fœminis præcipue et rachiticis. Tunc mentum indecore prominet, et in acutum tendit, et dentes inferiores excedunt ordinem superiorum. Hæc affectio adeo notata est, ut a Mediolanensibus indigeno vocabulo *Geppa* dicatur, et non solum cum peculiari inter loquendum balbutie, sed etiam cum mentis hebetudine persæpe conjuncta est.

Anne *Plautus* ad id vitii respexit dum in Milite glorioso (2) ait:

labiis dum ductant eum
Majorem partem videas valgis suaviis?

Accidit plerumque in vetulis, minus frequenter in senibus, ut deperditis præcociter dentibus, ora alveolaris maxillæ superioris contrahatur, dum interea inferior maxilla sive ob compagem solidiorem dimensiones conservat, sive ob musculorum actionem, qui basi ejusdem et angulis innascuntur, antrorsum ducitur, et pluribus lineis superiori maxilla extantior conspicitur.

Nec durissimis dentibus sua labes deest, dum situ, aut figura variant. Itaque *bronci* vocantur ipsi dentes si nimium prominentes, aut inflexi sint, quo etiam nomine per jocum vocantur ii, qui hujusmodi dentibus sunt instructi, ut apud *Mercurialem* lego (3). Idque egregie illustratur versu *Lucilii* (4).

Broncus novit lanius dente adverso, eminulo, hic est
Rhinoceros velut Æthiopus.

Quæ vertebris aliisque trunci ossibus accidunt, ægritudines fere ad loxarthrum pertinent, quia vertebræ dimoveri non possunt, nisi aliqua sit labes in articulari superficie, in cartilaginibus, aut ligamentis articulationem firmantibus. Commodum tamen erit pauca hic de hujusmodi vitiis adnotare,

---

(1) Vide *Foesii*, Œconom. *Hipp.*, p. 235.
(2) Act. II, sc. 1.
(3) Variar. lect., lib. VI, c. 13.
(4) Satyr., lib. III, edit. Comin.

et simul monere nunquam spinæ distortionem ab ortu me observasse. Triplex autem est spinæ distortionis genus (1): cum ea in posteriorem partem promovetur *gibberositas*, seu *cyposis*; cum in anteriorem *repanditas*, seu *lordosis*; si denique in latus *obstipitas*, aut *scoliosis* appellatur. Hisce quartum vertebrarum distortionis modum adjungit *Galenus*, cum dimotæ quidem juncturæ ac compages sunt; sed vertebræ tamen in sede sua permanent, *quassationem*, seu *sisin* hanc appellat.

De cyphosi peculiari commentatione egimus; scolioseos bina exempla proferam inferius. Quassatio, seu sisis *Galeni* est diastasis quædam, aut subluxatio vertebrarum, quæ citos casus, aut violentas spinæ distortiones subsequitur: cum nempe cartilagines per vim aliquo modo compressæ, et collisæ, earumque strata diducta sunt, imo ligamenta nonnulla lacerata, ut sunt ea, quæ spinosos processus colligant. Tunc enim levis oritur inflammatio, et dolor acutissimus, ut ad quamvis inflexionem partes spinæ accumbentes discerpi videantur, post quæ vel suppuratio sequitur, vel humorum in alterum latus affluxus, qui spinam paullum in partem affectam detorquet (2).

De multifaria pelvis angustia et pravitate non est quod memorem; etenim os innominatum vel minus sinuatum esse; vel altero elatius; tum interius contractum pelvim angustare potest. Item summam ossis sacri vertebram elatiorem, vel pubis tuber ad illam accedere; pubes ipsos vel nimis rectos, vel ad acutiorem angulum concurrere; denique vitia ex convergentibus imis ossibus ischii, aut ex tuberorum crassitie, tum etiam ob sedem alterutrius altiorem, humilioremve anatomes et obstetriciæ artis professoribus abunde nota sunt. Addo cotyle quoque magis vel minus amplum esse, quam par est, modo etiam in anteriori pelvis parte, modo in superiori prope pelvis marginem excavatum visum fuisse.

Causæ, quæ spinam deflectere cogunt, vel intro generantur, vel extra adveniunt. Atque inter internas a veteribus propositas præcipuæ erant tubercula spinæ innascentia, quæ vertebras e sede propria exturbabant (3). Tum abscessus, per quos imminuto orbe osseo vertebras per anchylosin recurvatas vidit *Ruyschius* (4); et phrenitis (5). *Coquo ex phrenitide gibbosa spina facta est, neque huic medicamentum purgans epotum operam ullam attulit; sed vinum nigrum, et panis in cibo; balneis abstinuisse, et leviter confricari, neque multis fomentis calefieri, sed blande. Hildanus* (6) in adolescente a pueritia gibbo, et asthmate vexato, quemque phthysis sustulerat anno ætatis 16, omnia ossa a collo usque ad pedes,

---

(1) *Hipp.*, De artic. comment., lib. III.
(2) Vide *Bertrandi*, Opere chirurg., vol. V.
(3) *Hipp.*, De artic., sect. VI. — *Platner*, Prolus. 22. De iis qui ex tuberculis gibbi fiunt.
(4) Obs. anat. 67.
(5) *Hipp.*, De morbis vulgar., lib. V, sect. VII, n.° 52, et lib. VII, n.° 80.
(6) Cent. I, obs. 45.

omnesque epiphyses præter consuetudinem molles invenit. Præterea vertebras 6, 7, 8, 9, 10, quæ gibbum effecerant, carie exesas, ut præter earum processus fere nihil superesset. *Wedelius* (1) puellam quinquennem a dysenteria gibbosam factam notavit. Inter præcipuas causas recenseri meretur rachitis, ad quam refero cel. *Joh. Petri Frank* (2) singularem profecto observationem puellæ ex rachitica matre natæ, quæ quarto et decimo ætatis anno anginoso affectu correpta, caput ad lævam inclinare cœpit, inclinatumque a morbo licet liberata retinuit, quia colli vertebræ binis in locis inflexæ, dorsi vero spina tribus fere locis incurvata erat.

Præter suppurationem, et cariem, et alvi fluxum, et rachitidem potior, et proxima distortionis spinæ causa est quædam mollitudo tum ipsarum vertebrarum, tum cartilaginum, quæ eas colligant. Ita fit ut depresso ex aliqua periphæriæ parte unius vel plurium vertebrarum corpore, sublatoque æquilibrio, spina in hanc vel illam partem obliquetur. Crassior, quæ vertebrarum corpora intercedit cartilago, ex fibris conflata est ita in orbem ductis, ut exteriores ampliori circuitu comprehendant interiores. Inter eas fibras humor unguinosus est, quo naturalis illa vis cartilaginibus impertitur se in pristinam sedem restituendi, et crassitiem recuperandi, dum premuntur, vel attenuantur. Ita fit, ut dum interdiu cartilagines ob erectum corpus et imposita onera comprimuntur, homo brevior sit; post quietem procerior, quia nempe cartilagines supino homine ad pristinam crassitiem evehuntur. Hoc autem phœnomenon hominibus, qui ad provectiorem ætatem pervenere, non amplius accidit; nam quo firmior est ætas, eo magis de crassitudine ammittunt ligamenta et cartilagines, dum strata earumdem vertebris proximiora in osseam naturam abeant (3).

Cartilagines vero et ligamenta præter mollitiem insolitam vexantur etiam a causis exterioribus, quæ spinæ deformitatem creant. Huc referenda est prava consuetudo ad quosdam flexus corporis, ictus, deligationes, exercitia immodica, aut præpostere suscepta, et quædam machinamenta corpori applicata sive ad munimentum, sive ad gratiam.

Ad hæc vitia corrigenda respiciendum est ad virium instaurationem, et ad pravam consuetudinem tollendam. Auxilium igitur præstantissimum erit victus selectus, earumque rerum usus, quibus nutrimenti elaboratio recte succedit. Pueri sani non molli, sed duriori victui sunt assuefacendi; atque si imbecilles sint, eum præferri oportet cibum, qui masticatione subactus ad digestionem subeundam sit præparatior. Inter hæc panis bis coctus, fructus horræi recentes, subadstringentes, maturi, vel siccati, caro imprimis assata numerantur. His addenda balnea, frictio et exercitatio. Et exercitatio quidem suscipitur post jentaculum in aëre libero, puriore, frigidiusculo, usque ad aliquam defatigationem. Frictiones sint moderatæ in

---

(1) Dissert. de gibbere.
(2) Delect. opusc., vol. V, p. 304.
(3) *Morgagnus*, Adv. III, animad. 50. — *Winslow*, Hist. de l'acad. roy. des scien., 1725.

macilentis, fortiores in plenis corporibus et ignavis. Balnea vero præmittuntur frictioni in iis, quorum corpora sicca magis sunt, eaque sub initium sint temperata, deinde per varios frigoris gradus transeant sic, ut ad summum non perveniant.

Nunc ad consilia, quæ mutationem concernunt, perversi situs corporis progrediamur. Hæc spectant ad infantes et pueros. Et primum reprehendenda est consuetudo recens natos fasciis nimis adstrictis obvolvendi; tum sessio per dies integros producta; item gestatio super ulnas diuturna. In pueris inconditi saltus, cursus vehementiores, nimia in stadiis contentio est evitanda. In juvenibus corrigi potest deformitas præter victum roborantem, et moderata exercitia, balneis subfrigidis, et obambulando in amplo conclavi, vel ad limites florentium agrorum. Gradiendo autem utroque pede æqualiter terram concutiant, spinam erigant, et brachia ad thoracis latera demissa agitent. Noctu cubent corpore ad lineam rectam projecto. Monitor accumbet, ut, si opus, directionem dormientis mutet (1).

Vertebrarum excessus fieri nequit, quin costarum directio necessario mutetur; nempe in arcum magis attolluntur, in quam partem spinæ flexus procubuit, et ab opposito latere multo deprimuntur instar chordarum protensæ inter sterni et vertebrarum potentias. Et thoracis quidem partes, ut verbis *Galeni* utar (2) plerumque a nutricibus depravantur, dum ipsas in prima educatione nimium arcte extrinsecus vinciunt. Maxime vero hoc olim apud nos fieri in virginibus intuebamur, quibus dum studebant nutrices augere coxas, ac ilia, ut hæc magnitudine thoracem exuperent, vittis quibusdam totum circumprehendebant, atque omnes scapularum et thoracis partes vehementius comprimebant. Quo fiebat, ut cum aliquando non æque omnes intendebantur partes, aut pronum in partem anteriorem redderetur pectus, aut posteriores, quæ ad spinam pertinent, gibbæ efficerentur. Illud vero nonnunquam accidere solet, ut veluti perfractum, atque ad latus adductum fiat dorsum, ita ut altera quidem scapularum non aucta, sed parva, ac valde compressa appareat, altera vero prominens, tumidaque, ac omnino major.

Quod *Galenus* hic nutricibus, id ante eum *Terentius* (3) matribus exprobravit.

Quas (virgines) matres student
Demissis humeris esse vincto pectore, ut gracilæ sient.

Et vero munimenta illa, quæ *thoraces* vulgo vocant, corpori imposita mechanica ratione in ossa molliora, eorumque epiphyses, in cartilagines, et ligamenta agunt, quorum injuriis imprimis expositæ sunt costæ, et dorsi vertebræ. Illæ vel magis apprimuntur ad spinam, vel etiam introrsum contra

---

(1) Qui plura cupit, consulat. cl. *Ludwigii* advers. medico-practica. De differentiis causis et remediis distortæ spinæ dorsi, vol. II, part. 2, 3, 4.
(2) De causis morbor., cap. 7.
(3) In Eunucho, act. II, sc. 3.

viscera urgentur, vel quasi e sede sua deorsum promoventur. Hæ exterius continuo pressæ versus interiora impelluntur, dum illæ, quæ a pressione liberæ sunt, vel retrorsum excedunt, vel ad alterutrum latus inclinant, et intumescunt. Ita epiphyses, quibus tum corpora, tum vertebrarum processus ornantur, facile diducuntur, et forma mutata, ex naturali ordine expelluntur vertebræ.

Sternum spinæ et costarum mutationes sequitur, et hinc vel indecore prominet, vel carinatum, vel nimis depressum, vel in latus inclinatum cernitur. Mucro ejusdem cartilagineus interdum plus justo protuberat, plerumque tamen introrsum comprimitur, quæ res pertinacissimarum ægritudinum fons esse creditur (1).

Omoplatæ vel propria deformitate notantur, dum ampliori sunt ambitu; aut spina, vel basis alterius elatior et crassior est; vel aliena, dum ob costarum pravitatem e sede sua detorquentur, ita ut altera depressa appareat, si costarum arcus latescunt, altera eminentior sit, si ejus lateris costæ magis sint recurvatæ. Quo fit etiam, ut basis alterutrius scapulæ, raro ambarum, in posteriorem partem projecta multum a costis et a spina recedat, unde *alati* dicuntur, qui extantibus hujusmodi scapulis præditi sunt (2). In his sinus, qui humeri caput recipit, vix conspicuus est, vel ejus loco crassius tuberculum adstat.

Non memini ossa humeri, ulnæ et radii adeo fuisse vitiata ob lordosim, ut oculos percellerent; potest tamen humerus brevior esse, quam fert natura, et levem intorsionem versus interiora thoracis pati. Majorem in modum recurvantur cubiti ossa, ut cancrorum chelas quodammodo effingant.

Graviter lordosi afficiuntur artus inferiores, atque homines hujusmodi fultos male talis, ut cum *Horatio* loquar, passim videre est in magnis urbibus. Femora scilicet extrorsum valde recurvata spatium fere ovale ab interfemineo ad genua intercipiunt; vel etiam utrumque femur geminatis veluti arcubus in idem latus inflectitur; vel quod infrequentius oppositis sibi interius arcubus extremas partes veluti cornua exterius convertunt.

Turpibus hisce intorsionibus obnoxia pariter sunt crura, quæ vel introrsum contra se intorquentur, ut tibiarum diaphyses se contingant pedibus interim divaricatis; vel contra extrorsum curvata diaphysi, genua et pedes convergere cogant. Hisce adjungitur alia deformitas, dum aut femoris, aut tibiæ diaphysis anterius porrigitur quasi in crassius tuber elevata: est etiam ubi in oppositam partem scilicet retrorsum educitur tibia, atque ab anteriori parte sinuata sic, ut eo loco perfracta videatur.

Hasce artuum inferiorum deformitates antiquis tum græcis, tum latinis scriptoribus cognitas fuisse extra dubium est. Atque hinc digna est illa

---

(1) Vide *Ludovici Septalii* De morbis ex mucronata cartilagine evenientibus. Mediol. 1632. — *Hildanus*, cent. II, obs. 33. — *Platner*, diss. IV de thoracibus. — Confer etiam *Soemmering* Ueber die Schädlichkeit der Schnürbüste. Leipzig, 1788.

(2) *Galen.*, De temper., l. II, c. 6.

animadversio, qua notatur ossium quorumdam distortionem ante rachitidis, et fortasse celticæ luis originem in Europa locum habuisse.

Duplex autem est distortionis genus ab antiquis præcipue animadversum, alterum *valgorum*, alterum *varorum* (1).

Valgi, seu blaisoi dicuntur ii, quorum crura ita contorta sunt, ut exterius concava, introrsum convexa sint (2). Qua deformitate præditos Æthiopas et Ægyptios refert *Aristoteles* (3). Hinc *Martialis* apte in valgum (4):

Cum sint crura tibi simulent quæ cornua lunæ
In rhytio poteras Phœbe lavare pedes.

Quibus crura extrorsum convexa, intus concava sunt, hi *vari* dicuntur vel rhaiboi:

Insignis varis est cruribus, atque petilis (5).
. . . . rectum discernis ubi inter
Curva subit, vel cum fallit pede regula varo (6).

Quare apud *Ovidium* Achelous exponens luctam cum Hercule factam, ait:

Brachiaque opposui, tenuique a pectore varas
In statione manus (7).

Id ipsum eleganter expressum apud *Martialem* (8) invenimus:

Vara nec injecto ceromate brachia tendis.

Licet quandoque hæ deformitates uno nomine comprehendantur, ut apud *Horatium* (9):

Nec magis huic niveos inter viridesque lapillos
Sit licet hoc Cerinthe tuum; tenerum est femur, aut crus
Rectius? . . . . pene videre est
Ut nudum: ne crure malo, ne sit pede turpi.
Hunc varum distortis cruribus . . . .

Tamen ita commemorantur ab aliis, ut distinctas fuisse appareat: sic *Lucilius* (10):

Compernem, aut varam fuisse Amphitruonis acoitin
Alcmenam, atque alias, Ledam ipsam denique nolo
Dicere . . . . .

Verum neque *Plautum* præteriere deformitates ad lordosim spectantes,

---

(1) *Valgum* est proprie intortum. Nonius. — Qui diversas suras habent. Festus.
Vari dicuntur ob tortis plantis. Nonius. — Incurva crura habentes. Festus — *Compernes* sunt homines genibus plus justo conjunctis.
(2) *Galenus* in lib. *Hipp.* de iis quæ in med. fiunt. Comment., lib. III, text. 31. — *Fernel.*, Path. l. I, cap 8. — *Aquapend.*, Op. chirurg., cap. 102.
(3) Probl., sect. XIV, quæst. 4.
(4) Lib. II, epigr. 35.
(5) *Lucilius*, Satyr., lib. XII.
(6) *Pers.*, Sat. IV, v. 11.
(7) Metamorph., lib. IX, cap. 1.
(8) Lib. VII, epigr. 31.
(9) *Sermo*, lib. I, sat. 2, v. 80.
(10) Sat., lib. XVII.

quas elegantissime uno versu complexus est, dum in Milite glorioso (1) senem Periplectomenen inducit sic loquentem:

. . . . ccidisset ne ebrius, aut de equo uspiam?
Metuerem, ne ibi defregisset crura, aut cervices sibi.
Tum ne uxor mihi insignitos pueros pariat postea,
Aut varum, aut valgum, aut compernem, aut pætum, aut broncum filium.

Hic addendus *Horatius*, qui ait:

At pater ut gnati.

Quæ loca dum profero, duo animadvertenda esse moneo: alterum notatas fuisse hujusmodi membrorum pravitates, iis præcipue temporibus, in quibus celticæ, rachiticæ, variolosæ labis effectus nondum innotuerant. Alterum vero singulas pravitates ita esse nominatas, ut appareat non semper fortuito, aut ab externa injuria esse profectas.

De varis, de valgis, item de broncis jam diximus. Compernes dicuntur qui longis sunt pedibus juxta *Nonium*. Verior autem *Festi* videtur esse explicatio compernes dicentis illos, quorum tibiæ ad genu sibi mutuo junctæ sensim divergunt, ut pedes inferius quammaxime distent. Itaque est loxarthri species in genu articulo observanda, quandoque cum lordosi conjuncta; pendetque vel a levi extremi femoris inflexione, vel a majori profunditate ejus sinus, qui in tibiæ summitate exterior est (2), vel ab divulsione epiphyseos capitis tibiæ, vel a crassitie nimia cartilaginis inter-articularis, ut genu angulum introrsum faciat, seseque ambo contingant (3); quod vitium ut fœminis familiare est, sic nonnullas pulchritudine et fama celebriores ab ea labe immunes esse voluit *Lucilius*.

Pæti dicuntur qui oculis semiclausis sunt, vel conniventibus, qualis pingebatur Venus; estque levius vitium quam *strabismus*, in quo oculorum axes pervertuntur. Ad id respiciens *Horatius*:

. . . . Strabonem
Appellat pætum pater.

Pullus, ut ab *Horatii* versu ostenditur, significat vitium in statura, apparetque pusillos homines, seu *nanos*, non defuisse, qui poëtarum ingenium exercerent, unde *Martialis* (4):

Hæredes nolite brevem sepelire colonum;
Nam terra est illi quantulacunque gravis.

Et *Horatius* (5):

At pater ut gnati, sic nos debemus amici,
Si quod sit vitium, non fastidire. Strabonem
Appellat pætum pater: et pullum, male parvus
Si cui filius est: ut abortivus fuit olim
Sisyphus. Hunc varum distortis cruribus: illum
Balbutit scaurum, pravis fultum male talis.

---

(1) Act. III, sc. 1, v. 126. — *Horat.* Serm., lib. I, sat. III.
(2) *Ruysch.*, Advers. anat. II, n.° 6, tab. I, fig. 2.
(3) *Severin.*, De gibbis, pars altera, cap. 7.
(4) Lib. XI, epigr. 15.
(5) Lib. I, sat. III.

Scaurus ille est, cui malleoli ita extantes sunt, ut pedis directio nonnihil mutari videatur, unde scauri cognomen profluxit Æmiliæ genti inter Romanas maxime illustri. Ego etiam nobilem familiam novi, cui ea pravitas in hæreditatem transiit. Ad quod alludit versus *Lucilii* (1):

Ut si progeniem antiquam qua est . . . . Quinctus
Qua varicosu ? vatrax . . . . .

scilicet vitium pedum in posteros transiens notat, sive a varicibus in suris magnis, sive a talis turgidis proficiscatur.

Hæ deformitates, quas modo sigillatim enumeravimus, etsi non omnes in eodem homine concurrant, plerumque tamen variis, mirisque modis copulatæ inveniuntur. Quæ res ab exemplo mox proponendo clarius innotescet. Sceleton nimirum ex viro 34 annorum tantis fœdatur structuræ vitiis ut peculiarem mereatur descriptionem. Quod eo lubentius facio, cum anatomicorum pauci de ossium pravitate egerint præter *Daubentonum*, et celeberrimos viros *Andream Bon* et *Eduardum Sandifort* (2) qui et sceleta, et ossa varia præter naturæ ordinem fabrefacta, atque asservata diligenter descripserunt.

Vir, de quo hic sermo, natus est iisdem insignitus vitiis osseis, si matri tunc eidem superstiti aliqua fides sit habenda, quibus denatus est anno 1777 ex inflammatione. Capitis ossa tum crassitie, tum soliditate præter morem præstabant, ut in rachitico *Daubenton* n.° CXXXI. Occiput ab altero latere perforatum dimidii pollicis crassitiem habebat. Cranium ab lateribus compressum valde, a fronte ad occiput longius; vertex in latam superficiem abibat. Maxilla inferior duos latos digitos extantior erat superiore, alveolis dentibusque carens. Quod a vitiata ejusdem basi evenire videbatur; etenim anguli magis obtusi, minusque tuberantes sunt, quam solent, ut propterea tantum antrorsum excreverit, quantum ab angulis acutioribus contracta fuisset. Existimat *Daubenton* gibbosæ sceleton n.° CXXVI ex annosa muliere fuisse, eo quod dentibus et alveolis maxillæ erant orbatæ. Verum non ab ætate solum provectiori decidunt dentes, sed a morbis propriis, vel gingivarum, vel universalibus, quod cum evenit, si non regenerantur, ipsorum alveoli sensim collabuntur, atque obliterantur, ut a præclaris anatomicis *Riolano Bartholino*, et *Tabarrano* animadversum fuit.

Ex superiori maxilla utrinque caninus dens prodit, atque superius inter radicem prioris dentis, et processum nasalem bini iterum dentes emergunt, qui ex incisoribus sunt; præter hos nulli, excepto molari dexteri lateris quarto. Relatum fuit dentibus deciduis excussis, nullos alios succrevisse præter antea dictos.

Spina hujus sceleti in literæ S formam contorta; nam cervicis vertebræ anterius exporriguntur omnes, quarum inferiores quatuor sinistrorsum

(1) Sat., lib. XXVIII.
(2) Description du cabinet du roy. — Thesaurus ossium morbos. — *Hovianus*. Musæum anatomicum.

obliquatæ; contra octo dorsi quæ sequuntur ab axi superiorum paullatim recedentes in regularem a dextris abeunt curvitatem. Deinde dorsales quatuor inferiores una cum lumbalibus tribus sinistrorsum inflexæ arcum multo ampliorem constituunt, priorique oppositum, sed paullo posteriorem. Postremæ duo lumbales iterum ad dexteram feruntur, et anterius, ut cum suprema dorsi vertebra in eandem axim conveniant. Hanc a dextris directionem tenet sacrum os ad formam literæ C sinuatum, et apex coccygis ad lævam conversus est. Hæc tortuositas viscerum sedes mirum in modum mutavit. Caveæ item pectoris, dexteri hypocondrii, et pelvis sinistræ pene obliteratæ fuerunt. Quinta cervicis vertebra duos latos pollices a summo sterno distat. Non majus intercedit spatium a maxima curvitate secundæ et tertiæ costarum a dextris ad corpus vertebrarum dorsi: pollicis duntaxat intervallum inter cartilaginem tertiæ costæ nothæ, et ossis ilium sinistri oram sinuatam invenitur; dimidii vero pollicis inter imas costas spurias sinistras, et vertebrarum lumbalium corpora: pollicis item ab ilii ossis ora ad tertiæ lumbaris corpus; et etiam a postrema lumborum ad pubis cum ilio conjunctionem. Ea autem est spinæ curvatæ dispositio, ut vertebrarum corpora, qua parte inflectuntur, altiora sint; et magis depressa in quam partem inflexio facta est. Ne vero vertebrarum bases magis excurrant versus eam partem, in qua altitudo minor est, ibi eminentior cartilago interponitur.

Dexteri lateris costæ inprimis superiores, et prope turbecula in acutos angulos conveniunt: sinistri vero lateris anterius in acutos angulos exsurgunt, quia cartilaginibus nectuntur, unde duplex gibbositas prior, posteriorque habetur, quæ omnia indicant, quam irregularis in ossibus, caveis, intervallisque sit structura.

Quæ in trunco, eadem in artuum ossibus vitia observantur. Humero caput tuberosum absque cervice obtigit, in vertice latescens, a quo humerus extrorsum producitur triangulari forma, donec sub medium in magnum tuber abeat, quod ad angulum obtusum interiora versus humerum reflectit. Tunc latescit denuo, et extantibus angulis altero priori, posteriori altero in condylos desinit. Ossa cubiti eodem modo deorsum curvata sunt, ut ulna radium superscandat, atque etiam transverse cum extremo humero committatur, unde manus perpetuo prona sit.

Artuum inferiorum inflexio ut ut regularis, meretur tamen attendi. Femora extrorsum convexa, a parte posteriori spinam in aciem extenuatam sustinent; superius compressa, infra latescunt præcipue ante condylos. Capita transverse in acetabula conjecta, ut contra ovale foramen dirigantur; trochanter vero major non e directo capitis sit, sed versus coccygem detorqueatur.

Tibiæ fibulæque in lunæ deficientis modum extrorsum vertuntur; imo fibulas falcibus messoriis verissime comparaveris. Pedes cæterum bene commissi, ob crurum inflexionem ad horizontem positi sunt, ut primo metatarsi ossi, digitoque pedis priori, et tibiarum extremo arcui totum innitatur sceleton. Ossicula carpi et tarsi bene constructa nil de reliquorum ivito contraxerunt.

Cæterum sinus articulorum glenoides et cotyloides minus, quam par esset, profundi; capita vero, quæ iisdem inniti debent, a consueta rotunditate recedentia in latum tuber abibant, quo efficiebatur, ut juncturæ sine mobilitate essent, et fulcris sub alis positis vivo incedendum fuerit. Ossa in universum crassiora et solidiora sunt, quam ab hujusmodi sceleto expectandum fuisset; neque tumorum, quos tophos, exostoses, aut gummata vocant, ulla vestigia, neque eorum, quos exotica labes generat.

Art. VII.

De M. gastrocnemiorum defectu.

Musculos aliquos in sanissimis cuporibus interdum deficere vulgatum est apud anatomicos, cujusmodi sunt M. palmaris manus, plantaris cruris, pyramidalis abdominis, teres minor humeri (1); sed majoris voluminis musculos defuisse novum forte est. Die 28 novembris anni 1787 extra urbem devectus sum, ut puellam septennem inviserem, quæ velocius incedendo claudicabat, et sæpe procumbebat, veluti si crus sustinendo corpori impar esset. Quam imbecillitatem inde a sexto ætatis mense animadversam fuisse narrarunt, crurisque sinistri ad fulciendum corpus impotentiam. Dum incedit pedis apex extra vergit, noctuque crus indolescit paullo, quin articuli motus impediantur.

Ut autem diligentius explorarem quid vitii subesset, puellam lecto supinam dedi, neque difficile fuit animadvertere, cruris ossa brevitate non peccare, atque malleolos pares esse. Calx rotundior et tumidior dextera; planta pedis subrecta veluti in naturali flexione solet, quamobrem brevior justo esse videbatur. Crus totum gracilius, præcipue vero prope juncturam cum pede, ubi magis extenuatum sine pinguedine in duos sinus terminabat. Cæterum etsi pes in omnem partem flecti libere posset, nixus tamen contra prementis manum debilior erat. A posteriori parte natis sinistræ sulcus humilior, femur æque crassum erat; crus deficiente sura complanatum ob M. gastrocnemiorum, et magni tendonis jacturam. Hinc lata superficies nata; sub qua aliquot tendineæ fibræ ossibus propius inhærentes magni tendonis officia præstare non poterant. Qua propter musculi pedem flectentes perdito gastrocnemiorum renixu plantam in priorem partem duxerunt, dum calx deprimebatur. Igitur vitium, quod a debilitate, vel convulsivis motibus generari credebatur, nonnisi a prava conformatione, et defectu musculorum suram pleniorem efficientium pendere manifestum erat.

Die 28 maij anni 1790 denuo opportunitas facta est observandi puellam ætate jam florentem. Hæc inter incedendum in latus affectum corpus inflectebat, quam turpitudinem celeriori passu evitare satagebat. Calx sinistra

---

(1) *Haller.*, Oper. min., t. III, p. 33.

terram premebat, a qua planta pedis in medio sinuata plus justo recedebat. Ratio phœnomeni manifesta est. Nam deficiente tendone pedem extendente, actio flectentium attollit plantam, prohibetque ne terram contingat.

Non absimilem labem videre contigit in agricola annorum 45, cui magnus tendo in crure pariter sinistro deerat; sura enim latior, magisque extenuata deprehendebatur; calx item, qua solum quatit, globosior et plenior dextera; planta pedis gracilior, pinguedine destituta, ea præsertim copiosa, quæ transverse ossiculis metatarsi subjacet. Ob magni tendonis jacturam exterior malleolus extra ordinem retroactus videbatur. Itaque ob eandem rationem pedem extendere nequibat, et in ambulando in alterutrum latus vacillabat. Crus oblique in externum latus extendebat, veluti si natura majus inter crura spatium requireret ad firmandos gradientis passus.

Vitiosam hanc structuram videtur prævidisse *Alphonsus Borellus* (1) dum incessus, et stationis rationem considerat in iis qui apice pedis aut calcanei fulciuntur.

Hic auctor æstimat vim musculi solei, dum homo extremo pedi innititur, et cui onus cervicibus impositum sit, triplo majorem ponderis prementis.

Homines singulari calcaneo, aut apice pedis innixi *stare non* posse contendit, quia *flexo pede*, et elevata ejus planta contingit pavimentum apex calcanei, qui cum sit rotundus et globosus, necesse est ut tangat pavimentum fere in puncto. Quare linea innixionis, conjungens centrum gravitatis totius corporis, et contactum pavimenti, super uno puncto consistet; utque homo stare possit, oportet, ut talis linea sit quoque propensionis, scilicet sit perpendicularis ad idem planum horizontale, et talis innixio perpendicularis super uno pede videtur impossibilis, ut conservari possit firmiter; eo quod nunquam humana machina in omnimoda quiete permanere potest.

Si duobus fulcris *crurum*, et duabus *plantis pedum* homo innitatur, facillime stabit; quia intra grande spatium quadrangulare occupatum a *duabus plantis pedum*, et a superficie soli subjecti, inter eas intercepta, vagari potest linea propensionis, quæ facile situm inveniat, in quo perpendiculariter insistat super planum horizontale; et proinde licet homo vacillet, poterit stare absque ruina.

Art. VIII.

De vesicæ urinariæ et ilei diverticulis.

Non infrequenter observantur in vesica et tenuibus intestinis, præ primis ileo appendices quædam, aut productiones, eadem fabrica constitutæ, qua viscera a quibus oriuntur. Male proinde a nonnullis pro herniis

---

(1) De motu animal., part. I, cap. XI, propos. 41, cap. 18, propos. 137, 145.

habitæ sunt, maleque *Sauvagesius* (1) cystocelen hypograsticam appellavit. Dissentientes tamen video celeberrimos anatomicos *Morgagnum* et *Sandifortium* (2) circa originem diverticulorum, quorum ille *cellulas*, aut dilatationes in vesica occurentes non primævæ constitutioni, sed morbo totas deberi existimat, suffultus observatione potatoris, in cujus vesica duas a dextris subrotundas cellulas invenit cum vesica communicantes, et aliarum cellularum initia in fundo vesicæ observavit. Hic connatas esse illas appendices aperte declarat. Liceat etiam mihi duo exempla proferre, cum primo alienum proposuero.

Sassard, chirurgus gallus, vesicæ herniam, ut appellat, describit (3), in qua ob fibrarum muscularium sejunctionem, interiores vesicæ membranæ per eum hiatum prolapsæ tumorem fecerant ovi galli indici magnitudine in parte laterali fundi vesicæ ante ureterem. Is tumor, sive hernia ab reliquo vesicæ cavo secernebatur per quamdam coarctationem earumdem fibrarum carnosarum, quæ herniæ locum dederunt. Corpus heterogeneum nullum repertum est in vesicæ, neque in herniæ cavo. Hinc conjectabat virum forsan stranguriis fuisse obnoxium, atque ab urinæ copia vesicam fuisse distentam, et fasciculos carnosos fuisse disjunctos, per quorum deinde intervalla tunicæ interiores fuerint protrusæ, qui tumores aut herniæ utique in majorem amplitudinem excrevissent, si vir ille diutius vitam protraxisset.

Ut ut sint exposita, certe comprehendi nequit, qua ratione urina diutius retenta uni dumtaxat vesicæ particulæ vim intulerit. Sed præterquam quod vana est suspicio stranguriæ, si observatio facta fuisset in mulieribus, quæ uterum gestarunt, forsitan intelligeretur ratio, quomodo gravidus uterus distentam vesicam comprimendo fibras aliquas musculares, earum nempe, quæ ab lateribus vesicæ sunt, disjungere potuerit.

Verum de uretræ hujus viri conditione nil dictum est. Quare cum *Hallero* animadvertimus (4): in vesica urinaria difformitates varias, fœmininum in primis sexum, frequentiores habere, ut in alterum latus amplior exeat. Id enim naturale esse, inquit, neque inter morbos numerandum, in fœminis inprimis, quæ sæpe pepererunt, ut utrinque ad latus recti intestini vesica emineat. Hanc vero causam frustra quæres in viro, *cujus vesicam, cum inflaretur, totam in cellulas abiisse* vidit. Neque ill. vir verba facit de aliis vitiis, quibus aut uretra, aut renes affecti esse potuissent.

Anno 1777 die 19 decembris dum renes et ureteres una cum vesica eximerentur, ut hæ partes publice demonstrarentur, et vesica aëre distenderetur, statim bullæ quædam ad ejus superficiem in cospectum se

---

(1) Nosol., cl. I, 56, 4.
(2) Advers. anat. III, 36. — Obs. pathol., lib. III.
(3) Journal de méd., t. XLVIII, sept. 1777, p. 246.
(4) Op. pathol., obs. 44.

dederunt. Earum maxima ex summitate vesicæ, qua urachus prodit, attollebatur; altera ex latere dextro, et plures aliæ minoris voluminis ex posteriori superficie exsurgebant. Lacerti carnei vesicæ magis conspicui, et validiores erant, quam in aliis non vitiatæ structuræ vesicis; atque bulla superior, et major distinctis fibris muscularibus circumdata assurgebat, quarum aliæ magis confertæ ostio, quod cum vesica communicabat, in sphincteris modum circumpositæ erant. Reliquarum bullarum aliæ quidem inter disjectas fibras erumpebant nudæ; aliæ vero ab iisdem fibris mutuo intertextis tegebantur. Singulis bullis a parte interiori vesicæ præfigebatur ora lævigata, solidior, et pallescens, ostio pylori non absimilis, a quo in ampliorem bullæ caveam patebat aditus. Præter hasce bullas tota vesica scatebat cavernulis sex fere lineas profundis, ab exteriori facie non conspicuis: scilicet exiguæ erant foveolæ ab utraque vesicæ interiori membrana productæ, in iis præcipue locis, ubi musculares fibræ in rugas erectæ spatia intercipiebant, per quæ, ut minus firma, utraque vesicæ membrana illapsa erat. Cæterum nulla alia labes in viis uropojeticis, nec hæterogenei quidquam in vesica repertum est.

Alterum exemplum vitiatæ vesicæ se obtulit 18 januarii anno 1778, dum senis cadaver perlustrarem. Vesica parvæ molis, conica, summa pars in sacculi speciem producta. Alii sacculi partem ejusdem posteriorem et lateralem occupantes, omnes inter disjunctos fibræ carneæ fasciculos apparebant, qui in hac validiores et copiosores fuerunt, quam in aliis vesicis. Superior vero sacculus ab urachi radice cava formari videbatur, nam musculares fibræ, quæ urachi initium ambiunt, in tendineas mutatæ ex omni parte super illam appendicem expandebantur.

Interior vesicæ superficies lacunis refertissima erat, quarum orificia sursum spectabant. Earum aliquæ prædictos sacculos constituebant; pleræque vero, et minores non ultra muscularem tunicam producebantur. Harum aliquæ, præcipue ad vesicæ cervicem sitæ calculos sphæricos continebant, quorum qui maximi fere lineæ diametrum æquabant. Cervicis ostium ita patulum, ut digitum caperet. Vesica absque lotio; mors absque ischuria contigit.

Intestinorum diverticula jam pridem ab auctoribus cognita fuerunt. *Morgagnus* post *Littrium* diverticulum se vidisse affirmat eadem, qua ileum figura, et latitudine, et substantia, duos transversos digitos longum, et cum ejusdem intestini tubo paullo infra mesenterii limbum lato orificio communicantem. Semel item vidit in postico pariete recti tribus fere digitis supra anum; et semel iteum in duodeno absque ulla exulceratione (1). *Van Doeveren* (2) memorat ilei appendicem quatuor fere pollices longam, ad distantiam circiter ulnæ ab insertione intestini ilei in cæcum, eademque qua ipsum intestinum capacitate præditum.

---

(1) Advers. anat. VIII. Animad. V de sedibus, ep. 34, 17.
(2) Obs. acad., cap. V, § 4.

Calendis aprilis anni 1777 seximestrem puerum secabam, ab utroque latere herniosum. Testes vaginali tunica comprehensi horizontali positu imum scrotum tenebant, ut superficierum altera sursum, altera deorsum spectaret. Ex utroque latere peritonæum valde productum amplo versus abdominis cavum ostio patebat. Et per sinistrum quidem ostium plicata ilei portio non admodum profunde descenderat, et sacci herniosi reliqua pars lympha ex abdomine collecta turgebat. Per dexterum autem ostium aqua pariter laxatum, digitalis ilei dextri productio ingressa cernebatur quatuor fere latos pollices longa. Quam appendicem non emittebat ileon, ut alias observaveram, scilicet in transversum, tamquam aliquid ad se non pertinens educeret ex tubo intestinali; sed ilei parietes membranosi oblique ex omni ambitu intestini producti, quod ostio peritonæi erat obversum, in id diverticulum concurrebant, eandem ac ileum capacitatem habens atque structuram, quod inferne latescens paullulum olivari fine desinebat. Partem posticam hujus appendicis valens ab mesenterio veniens ligamentum, et totam ejus excurrens longitudinem firmabat, ut diceres alteram esse appendiculam vermiformem. Interiora hujus appendicis non discrepabant ab ilei habitu. Strangulationis nullæ notæ aderant.

Disquirendum nunc superest, an hujusmodi appendices ab ortu existant; an posterius per vim aliquam vesicæ, et intestinis illatam producantur. Neque arduum videtur dissidentium opiniones componere. Nam, quod ad vesicam attinet, notum est ex anatomicis, interiores ejusdem membranæ ampliores esse, atque hinc in rugas abire, quales in sani hominis contracta vesica observantur. Si vero hæ membranæ justo ampliores sunt ab origine, quam natura fert, dum lotio distenditur vesica, possunt inter fibrarum carnearum fasces urgeri, atque ita in foveas, et demum in grandiores cellas abire. Atque hoc de vesicæ corpore, et præcipue de ejus lateribus, quæ parum a peritonæo sunt contecta, dictum sit. Verum si de ejus summitate loquamur, qua in urachum desinit, fatendum erit, quamcumque bullam, aut caveam, quæ in ætate provectiori supersit, ab origine esse constitutam.

Non ita rem esse cum diverticulis intestinorum reor. Hæc enim nullam injuriam ab extra venientem agnoscere possunt. Neque probatum est, quod aër intestina æqualiter dilatans, aut cumulatæ fæces, aut hospites lumbrici sic unum punctum, aut latus intestinorum lædant, ut per id membranæ interiores protrudantur, atque sic appendices eadem prorsus, qua intestina, structura præditas efficiant.

Ex adverso confirmatur per nostram observationem, et per eam, quam *Ruyschius* (1) habuit in maturo fœtu, portionis nempe ilei cum notabili diverticulo, quod etiam incidi curavit; confirmatur, inquam, non repugnante *Morgagno* (2) quod istiusmodi appendices a prima ætate, sive mavis, in fœtu præexistant.

---

(1) Thes. anat. VII, n.° 2, 15, tab. 4.
(2) De sed. ep., 34, 16.

Art. IX.

De obstructionibus.

Utor hac voce, non quod credam vasa, canaliculosve sic obstrui, ut impervii reddantur, aut materiam heterogeneam in cellulis impactam sic hærere, ut humorum cursui, et nutritioni obsistant; sed ut denotem eas particulas, quæ præter naturæ et ætatis consuetudinem grandiores factæ sunt, sive ob nimiam nutritionem, sive ob carneam, aut steatomatis consistentiam quam nactæ sunt, sive ob fluida in eorum caveis, et parenchymate collecta.

Hydroglossus.

Bimestrem masculum expositum invenimus in brephotrofio die 30 aprilis anni 1783 cum *ranula.* Tumor hicce pellucebat sub linguæ apice, uti in hydroglosso, quo lanceola puncto nihil profluxit. Tumor alter sub maxilla inferiori sinistrorsum recondebatur mollis, cedensque, basi lata, priorique haud dubie conjunctus, et sublingualis glandulæ sedem præcipue tenens. Ob febrim, anxietatem, aliaque mala moritur puer 12 julii tumoribus in eodem statu permanentibus.

Detractis colli integumentis in sinistro latere inter M. mastoideum et ossis hyoidis musculos, obtulit sese tumor pellucidus lympham continens. Quo dissecto, pauxillum aquæ effluxit, copiosior enim in aliis vicinis sacculis erat congesta. Ranulæ substantia reticulata erat ex fibris crassis, albicantibus multas cavernulas constituentibus. Ad eam pertinebat, vel certe communicabat glandula sublingualis præter naturam expansa, cujus acini laxato cellulari vinculo mollius colligabantur. Ranula porro cum glandulæ ductu ex eretorio dilatato, et cum nervo hypoglosso subibat palati membranam, quæ linguæ subjacet, inter musculos milohyoidem, et hyoglossum, ibique stagnante subtus lympha membranam ipsam, et linguæ extremum intra oris cavum attollebat.

Bronchocele.

Infans pedibus extractus 12 augusti 1777 haud diu supervixit. Collum ei valde tumebat, et tumor ab thyroidea glandula nimium aucta profectus, prægrandibus lobis extollebat integumenta, venasque multiplices, quæ super grandulam perreptabant. Lobus uterque durus, materia steatomatosa fartus, dexterque amplior erat sinistro.

Fœtus seximestris ex utero eductus novembri 1790 non respirabat, cui sub arida pelle bronchocele transparebat. Erat autem glandula thyroidea ad utrumque colli latus nimis protensa, dura, non comprimenda, intus tota veluti ex carne solidiori compacta, coloris saturi, ut dicunt, hepatici. Nec dicendum glandulas omnes majores esse in fœtibus, quam in

maturis; nam frater ejus (geminus quippe erat), qui vivus in lucem venit, collum naturali gracilitate præditum habuit.

Puellus natus est januario 1784 cum bronchocele ex matre idem vitium patiente. Intra dies octo mortuo, collum lustravimus, invenimusque glandulam thyroideam satis amplam, sanguine intus tumentem, atque in quatuor partitam lobos, qui ad tracheæ latera descenderant. Glandulæ substantia densa, rubella, vasisque referta, nil heterogenei continens, ut videretur a nimio duntaxat incremento id vitii contraxisse, quemadmodum lieni accidit.

Thymus.

Puer, qui nondum biennium expleverat, quinque mensium spatio lacte tum vaccino tum humano promiscue enutritus, deinde cum solo vaccino uteretur, in febrem incidit intermittentem cum tussi, alvi fluxu, et atrophia comitante, obiit 21 junii 1783.

Huic in inguine dextro hydroceles connata erat; invenimus enim aquam nudum testem involventem, et cum abdominis cavo comunicantem. Testis sanus erat; vaginalis dilatata quemadmodum in hernia solet. Ostium vaginalis tunicæ pollicem commode recipiebat, cui in abdomine insidebat cœci saccus, illuc attractus a peritonæo, quod aqua laxatum in scrotum prolapsum erat. Duodenum laminæ mesenterii inferiori erat accretum. Cæterum tenuia omnia vacua. Cœcum et colon viridi materia infarta; appendicula vermiformis tota stercore repleta, quod in repente mortuis observavit *Santorinus* (1). In abdomine pauxillum lymphæ fuit. Lienis superficies veluti a millii granis disseminata.

Pulmones rubescentes molles, spongiosi, itidem granis per totam superficiem obsiti. Thymus vero albus, induratus et veluti ex totidem schyrris coagmentatus. Is sub sterno utrique subclaviæ, primum, tum curvaturæ aortæ, tum thoracicæ, tum canali arterioso applicatus, ad arteriam et venam pulmonis sinistri extendebatur, cujus interiori lateri infixus erat. Superne intercipiens subclaviam ad jugularem sinistram perveniebat, sic tamen ut nulla immodicæ pressionis inditia apparerent. Bronchiales glandulæ copiosæ ad dextrum pulmonem pertinentes obstructæ videbantur, pauciores ad sinistrum. Venereæ labis nulla suspicio.

Lien.

Puella viginti circiter mensium affertur in brephotrophium 25 aprilis 1783 cum insigni duroque liene. Tertio, postquam suscepta est, die parum sanguinis e naribus profluxit. Vomuit postea, dejecit nigra, atque superveniente febre circa medium majum abscessus ad spinam postremæ dorsi

---

(1) Obs. anat., c. IX, § 9.

vertebræ obortus est, qui in ulcus versum, sitim maciemque attulit, licet splen interea detumescere videretur. Postquam ulcus exaruit, et crura siccata sunt, tussicula, et febris, et macies, et virium lapsus puellam confecerunt exeunte majo.

In thoracesana omnia: pulmones albissimi. Hepar item sanum extremo margine super intestina curvatum: bilis copiosa, porracea; omentum flaccidum, maceratum. Lymphæ nihil in abdominis cavo. Ventriculus integer. Intestina tenuia omnia variis flexibus ad sinistram projecta deorsum tendebant, et ilei extremum sursum, et ad dextram porrectum in cœcum desinebat, quod ipsi reni dextro adjacebat. Ligamentum coli dextrum transverse sub ipso rene intestino jungebatur, ideoque sub cœco, et ejus appendicula ileus varie inflectebatur. In extremo ileo, cœco, et colo multa viridans materia; tunicæ, recti intestini omnes corruptæ. Glandulæ mesocoli pleræque lividæ, atræ, non adauctæ. Integumenta communia flexilia, extensa.

Lien magnus septem transversos digitos longus, boni coloris, consistentiæ ut hepar, nullibi, ut per sectionem apparebat, obstructus. Renes et glandulæ succenturiatæ sanæ. Acini pancreatis paullo duriores. Ulcus dorsi in ventrem non descendit.

Lien permagnus describitur a *Stalpartio* in septenni puella (1) qui totum sinistri lateris circuitum a diaphragmate ad inguen inferius replebat. Quod autem congruit cum nostra idest, quod etsi maximus esset lien, naturalis tamen erat coloris substantiæque.

Scrophula.

Puella triennis ad extremam maciem perducta excipitur in brephotrophio, pallida, exsucca, sine tussi, sine febri, quæ alvi fluxu brevi consumitur. Cadaver agmen scrophularum obtulit. Glandulæ colli, axillares, thymus, glandulæ pelvis induratæ. Tubercula alba variæ magnitudinis in pulmone, diaphragmate, hepate, liene, intestinis, mesenterio cernebantur. Ad dorsi spinam sub cava vena grandiora ejusmodi tubercula erant. Pulmon uterque costis adhærebat. Peritonæum arcte intestinis accretum, et hæc inter se. Diaphragma cum hepate, ventriculo, colo agglutinatum. Sub extima intestinorum tunica tubercula erant confertissima, granosa, in mesenterio grandiora. Prosecta illa tubercula, intus albissima visa sunt, tanquam si a concreto sebo repleta fuissent. Renes, uterus, ovaria sana; at in cellulari tela ligamenti teretis similia superioribus steatomata sunt reperta.

Observationem nostræ fere parem refert *Stalpartius* (2). Infans erat quadrimulus, in quo hepar, lien firmiter diaphragmati, ventriculoque annexa reperta fuere. Totus venter durioribus scatebat glandulis, quibus mesenterium, omentum et pancreas obsidebantur.

---

(1) Obs., cent. 1, 49.
(2) Obs. rarior., cent. 1, 63.

Art. X.

De herniis.

Herniis, quæ circa inguen et umbilicum eveniunt, multum obnoxii sunt infantes; sed de iis tantum, quæ congenitæ dicuntur, modo verba faciam. Ut autem intelligantur quæ de connatis herniis proponuntur, scire oportet, testes in fœtu immaturo collocatos esse in abdominis cavea proximos renibus, et sedere super cylindricam vaginam, aut gubernaculum ab ipso peritonæo sursum productum. Is processus deinde sensim descendit in scrotum cum teste, ita tamen ut testis, nunc extra peritonæi seu abdominis caveam posito, ab eadem productione vestiatur; quemadmodum hepar, et lien, et reliqua viscera a peritonæo vestiuntur, et tamen verissime dicuntur esse extra caveam peritonæi, uti testis ipse, etiamsi ab eodem maximam partem obvolvatur. Canalis iste, quem processus peritonæi in scrotum prolapsus constituit, nunc est tunica vaginalis scroti intus cava, quæ ostio peculiari cum ventris cavea communicat. Quodsi ostium, præter naturæ ordinem, postquam testis in scrotum devolutus est, patulum remanet, per id intestina prolabi in scrotum possunt, atque sic herniam generare connatam.

Enterocole connata.

Puellum decem natum menses febris sustulit 22 februarii anni 1786, qui paucis antea diebus expositus fuerat in brephotrophio cum hernia dextri inguinis.

Reserato abdomine, intestina conspeximus vacua, fere diaphana; mesenterii glandulas crassiores. A dextro latere ostium vaginalis tunicæ patulum, quod intestini massam excipiebat. Igitur inciso abdominis ostio ad imum scrotum usque, deprehendi extremam ilei intestini portionem aut flexum ad testem descendisse, cui proxime superstabat. Cum ileo cœcum quoque in saccum vaginalem prolapsum inveniebatur, cujus appendix ab interiori parte cœci intestini procedens, et versus pubem tendens, dein reflexa versus vaginalem inter cœci saccum et testem interponebatur.

Testis ita positus erat, ut altera facie in imo vaginalis tunicæ fundo jaceret; altera ileo, et appendici vermiformi obversa esset. Apex testis dexter, idemque exterior emittebat epidydimum sursum arcuatim sub colo sese occultantem. Colon autem sic a cœco trahebatur, ut hernia verissime componeretur ab ilei ansa, a toto cœco cum appendicula, et coli intestini parte.

Ex his apparet testis positum inversum fuisse, quod etiam sine viscerum prolapsorum remotione manifestum fuit. Dum cœcum et colon suspendissem, primo mesenterium solito laxius descendisse pariter inter dicta intestina, et appendiculam, tum superiori testis superficiei esse alligatum, ope ligamenti tenuioris, novem lineas parisinas longi, animadverti.

Hujus ligamenti extrema, qua nempe testi, et appendiculæ infixa erant,

latiora, ut propterea nullum dubium esset, illud a peritonæo processisse. Nam peritonæum postquam appendiculæ extimam tunicam tribuerat, ulterius eductum, tum in funiculi formam adstrictum, denuo explicabatur, ut supernam testis faciem convestiret, et disjectum ad latera in tunicam vaginalem abiret.

Peritonæum superiorem duntaxat testis faciem convestisse diximus; namque non totum testem amplexabatur, quemadmodum naturalis structura postulat; neque id circo sinuato testis margini ita adstrictum erat, ut cervicem quamdam eo loco constitueret, per quam testis a scroti fundo separatur. Sed facies testis inferior in scroti cellularem demersa, incumbebat residuo corpori, quod ex gubernaculo reliquum erat. Hinc vas deferens interius retro vaginalem ad apicem obtusum testis veniebat, et pariter funiculus spermaticorum extrorsum descendens pone peritonæum, nullibi a duplicato peritonæo comprehensus, prope obtusum apicem bipartitis ramis testem subibat.

Renes in hoc infante duplo majores; et dexter quidem per longitudinem dissectus tubulos uriniferos, et pelvim dilatatam obtulit, cujus cavea muci albicantis pauxillum continebat. Ureter item ampliatus. Sinistri vero renis enormiter distenta pelvis corpus durum tangenti præsentabat, qua incisa, præter mucidi humoris copiam, concretionem calculosam incertæ figuræ, fere ramosam, exhibuit, quæ partim in lapideam naturam, partim in fragilem uti gypsum conversa erat. Ureter ejusdem lateris justo amplior calculos quamplurimos, molles, elypticos muco copioso involutos comprehendebat. Muci pariter insolitus modus urinæ permixtus in vesica deponebatur.

Quod peritonæum duos interius ab inguine demittat processus in scrotum jam pridem notum erat anatomicis; sed quod alterum processum cavum ex abdomine per umbilicum educat, non ita notum est. Ea autem est inter hos differentia, ut inguinales processus in fœtu fere maturo intus ex inguine in scrotum demittantur; contra processus umbilicalis ab extra retrahitur, et in abdomen recipitur aliquot ante partum mensibus; dum scilicet abdominis musculi, et integumenta eo usque increscunt, et ampliantur, ut caveam abdominis effingant. Nam in primæva embryonis formatione abdominis cavea nulla est, et intestina cum aliis visceribus translucido peritonæo protecta foras veluti in marsupio hernioso propendent. At quo magis succrescunt musculi et velamenta, eo citius abdominis cavum efformatur, quod singula viscera complectitur. Quod si naturæ vitio aut deficiunt musculi et cutis, aut non ita perfecte adducuntur, ut umbilici hiatum occludant, tunc oritur omphalocele (1).

Omphaloceles connata.

Hujusmodi herniæ in duas quodammodo classes dividi possunt; in eas,

---

(1) Vide Atti dell' Instit. Ital., vol. II, p. I della vescichetta ombelicale. Bologna, 1808.

quæ nudæ sunt, atque in illas, quæ musculis et cute conteguntur. Harum exempla non sunt rara, et omnibus qui chirurgiam faciunt, exomphalos in lactantibus videre contigit.

Rariores certe sunt exomphali, qui solo peritonæo protecti sunt. Anno 1789 primipara puellam maturo partu edidit satis vegetam cum exomphalo dimidium pugnum æquante. Pellucidus erat, bullosus, peritonæo tectus, sub quo intestina livescentia transparebant. A summo apice exomphali educebatur funiculus umbilicalis, et communia velamenta circum tumoris basim erant glutinata.

Anno 1791 altera primipara fœtum enixa est, cui a dextro abdominis latere per amplum integumentorum hiatum propendebat enorme marsupium, aut tumor mollis omnia fere abdominis viscera continens. Erant autem ventriculus, intestina, mesenterium, excepto recto, hepar, lien, capsula venalis dextra, testis item dexter cum propria vagina, aut gubernaculo. Funiculus spithamam longus e centro umbilici exoriens venam umbilicalem directe in hepatis sulcum prope lobulum immittebat. Ab læva quidem funiculus cum cute cohærebat; a dextris vero desiderabatur cutis, et musculi toto illo spatio, quod a dimotis visceribus implebatur. Oræ deficientis cutis non cruentæ, sed attenuatæ, et peritonæo annexæ sic, ut illud fere fimbriatum esset, unde inter partus labores alicubi laceratum fuisse peritonæum videbatur.

Ex matre indigente, et multipara nata est puella 1786, cum insigni omphalocele, quæ brevi post ortum nigricantem colorem contraxit. Erat perfecte globosa, pugnum exacte adæquans, cujus centrum in funiculum producebatur. Basis tumoris intus in abdomine recondita videbatur, extra vero ab cutis ora fere cruenta circumquaque omphaloceli adnexa, amplexabatur. Porro omphaloceles vagina ex tenui membranula constabat, fusca, cinerea, pressione quodammodo resiliens, ut vesica fluido plena. Exsiccata postea illa membranula, squama, aut crusta quædam, ejus superficiem obtexit. Decima sexta ab ortu die decessit; atque ex cadaveris investigatione apparuit perfectam fuisse hepatocelen. In Actis Helveticis, vol. VII, p. 56, extat observatio *Eduardi Sandifort*, fœtus, cujus viscera abdominis omnia una cum corde extra corpus propendebant.

Celsus attigit aliqua umbilici vitia (1) ubi dicit, ad umbilicos prominentes ne manu ferroque utendum esse. *Plinius* rem explicat, ubi ait, commune omnibus esse, umbilicum indecore prominere, et *Megen* tres causas posuisse: scilicet modo intestinum eo irrumpere, modo omentum, modo humorem; et *Sostratem* iisdem adjecisse carnem, quæ ibi interdum increscit.

Ruyschius (2) pluries se vidisse scribit, cutem et muscolos deficere circa funiculi radicem in recens natis. Quamobrem intestina sub peritonæo

(1) Lib. VI, c. 17, et lib. VII, c. 14, edit. *Comin.*
(2) Obs. anat. chir., 71, 72.

nuda conspiciebantur. *Hallerus* (1) duos exomphalos cute tectos memorat; alterum nudum cum effusione singulorum fere viscerum abdominis.

Morgagnus (2) in fœmineo fœtu, aspectu monstroso, præter alias deformitates describit abdomen quasi in marsupii cujusdam modum protuberare deorsum propendentis, quo marsupio dissecto compertum est, laxatis abdominis non integumentis modo, sed et musculis, marsupium deberi, in eoque tanquam in sacco quodam jecur, lienem, ventriculum, et intestina fuisse posita.

In puella quinto gestationis mense utero ejecta abdominis musculi, et communia ipsis imposita corporis integumenta, anteriorem ventris multo maximam partem non convestiebant; sed eam laxa, et in amplissimi marsupii modum extensa membrana operiebat, in quam musculi et integumenta illa paullatim, sensimque extenuata demum abire videbantur. Intra hanc membranam tenuitate pellucidam jecur et intestina conspiciebantur extrorsum propendentia.

Quæ de femoris et patellæ luxatione congenita dicenda erant, jam cap. VIII, ubi de coxæ vitiis, art. 2, exposuimus.

De anu clauso abunde disseruit cel. *Wrisberg* peculiari commentario Göttingæ edito.

Art. II.

Schyrrus cerebri.

Quamquam non ad congenitos pertinere hunc morbum quispiam arbitrabitur, tamen rarissimum esse, et memoria dignum confitebitur. Anno 1775 mense martio puer anniculus publice expositus, nutricibus custodiendus traditur. Reperta cum eo scheda, quæ monebat eum capite laborare. Cum segnem aliquamdiu ac debilem vitam egisset, de repente moritur. Secto cranio, dura menynx pertinacius ac in pueris solet, sincipiti sinistro adhærebat. Sub ea non pauca lympha et gelatina aderat sincipitis incumbentis figuram referens. Cerebri lobi anteriores secundum naturam se habebant: medius, idemque sinister, totus ab aqua expansus et pellucidus, hydatidarum congeriem referebat. Posterior uterque lobus schyrrosus, durusque adeo, ut medulla in filamenta se divelli pateretur: cortex digitis ipsis facillime detrahebatur a medulla, ex quo copiosa sanies admixtis detritæ substantiæ granulis prodibat. Eadem duritie præter lobos posteriores non exigua pars ventriculorum lateralium afficiebatur. Cæterum nulla cerebelli pars læsa, nulla inflammationis inditia. Pancreas, supravenales et mesenterii glandulæ duræ, corpus majorem in modum enunciatum. Subitaneam mortem præcesserunt stupiditas, leypothimia, vomitus.

---

(1) Op. pathol., obs. 35. — Confer. *Scultet.*, Arm. hir., tab. 38. — *Heister*, Inst. chir., c. CXIV.
(2) De sed., ep. 48, n.° 48, 52, 53.

Eodem mense et anno tristissimus casus evenit cum superiore comparandus. Puella tertium et decimum annum emensa, eminentibus tum corporis, tum animi dotibus ornata, miraque ad omnia peragenda dexteritate, a patris morte, quæ tribus circiter hebdomadibus præcesserat, in eum incidit animi mœrorem, quem nullæ levare poterant undequaque adscitæ hilaritates. Inde de pondere et dolore ad capitis anteriora conqueri cœpit subsequente vomitu, et alvi fluxu, quibus suppressis, malum capitis continuo ingravescens, robur corporis, facultatesque animi ademit, ut præter rerum omnium oblivionem, mox obtusus auditus, et obtusior visus, et taciturnitas gravis mortem prænunciarent.

Ablato cranio, sectaque menynge, cerebrum solito durius apparuit. In ventriculis lateralibus plurimum aquæ, iidemque leviter inflammati conspecti sunt; tum inferior pars thalamorum opticorum proxime ad latus, et ante glandulam pituitariam dura, schyrrosa, sinistrorsum præcipue, cinerei coloris, corrupta, et ab incumbente medulla facile separabilis. Ad sellæ equinæ latera stria gelatinoso-purulenta dilute flavescens ipsos opticos, et tertii et quarti paris nervos involvebat; atque tenuissima mater juxta medullam oblongatam effusæ lymphæ copia distendebatur.

CAPUT XI.

De sarcocele.

Organa virorum genitalia multis, iisque pertinacibus morbis sunt obnoxia, quibus avertendis singulari medentium diligentia et studio opus est; sed nulla fortassis eorum organorum pars tam sæpe, tamque diversis afficitur causis, quam quæ glandulosa carne compingitur. Ut enim hæc ratione mobilitatis et positionis frequentius lacessitur sive ab interiori vitio, sive ab injuria extus adveniente; sic ob structuram, ob distantiam a corde, atque ob alias, quæ glandulis communes sunt conditiones, læsa substantia ægrius ad sanitatem perducitur. Quæ conditiones jam *Hippocrati* innotuerunt, dum ait (1). « Cum autem vel proprio morbo laborant (parum namque etiam cum corpore affectionem communicant), morbi suboriuntur, tubercula et strumæ subsiliunt, febrisque corpus detinet. Quibus afficiuntur, ubi humore ad eas ex reliquo corpore confluente impletæ fuerint. Ex reliquo autem corpore influit per venas, quæ per eas multæ et raræ extenduntur ». Sed præter sanguinea addenda sunt lymphatica vasa copiosissima ad testes, quæ a *Cruikshankio* (2) in quatuor genera dispescuntur, in lymphatica tunicæ vaginalis; in lymphatica profunda testiculi; in lymphatica reticulata testis; et in ea quæ epidydimum subeunt. Porro lymphatica vaginalis tunicæ ampla, et confertissima pertinent etiam ad albugineam, et testem,

(1) De gland. liber, sect. III, edit. *Foes.*
(2) Anat. vasor. absorb.

a quo ad funiculum spermaticum ascendunt. Ampliora sunt lymphatica, quæ a testis reticulo prodeunt, atque omnia in sex ad duodecim truncos collecta cum vasis spermaticis ad abdominis rimam tendunt, atque in glandulis lumbaribus desinunt.

Plerique ex antiquioribus artis magistri, quid quid tumorem faciebat in scroto, perperam herniam vocitarunt, eamque in legitimam, ubi aliquod viscus ex abdomine prolapsum erat; et in spuriam, ubi aliquid in ipso scroto succreverat, diviserunt. Missis herniis legitimis, de spuriis juxta eorum mentem dicamus: hæ sunt hydrocele, pneumatocele, hæmatocele, cirsocele, steatocele, sarcocele, spermatocele. De hydrocele plures accurate scripserunt in primis *Pottius* (1). Pneumatocelen ab aëre scroti cellulas, aut vaginalem distendente sine totius corporis emphysemate, aut artuum inferiorum me vidisse non memini, neque forsitan alii viderunt. Neminem autem esse puto, qui hæmatocelen ab inflicto vulnere, aut ab ictu, aut a scroti punctione non viderit. Hæmatoceles autem nomine digna non est sanies illa sanguinea, quæ a corrupto testiculo in vaginalis cavea effunditur. Cirsocelen Græci nominant, Celso Ramex (2), hodie *varicocele*, cum venæ spermaticæ intumescunt. Hæ quandoque intortæ, conglomeratæque ad superiorem partem vel ipsum scrotum implent, vel mediam tunicam, vel imam. Sed falli existimat cel. *Richter* (3) eos qui cirsocelen pro tumore varicoso funiculi spermatici habent. Nam excepta arteria, venæ spermaticæ tument nodosæ, comprimi se patiuntur; at cirsocele notas varicum non habet; compressione nec minuitur, nec tollitur. Vas deferens adeo posse dilatari, ut tumorem creet, qualis in cirsocele (scilicet varicocele) vix credibile est. Quare *Richterus* persuasum habet sedem cirsoceles esse epidydimidem, cujus *ductus seminiferi intumescunt adeo et indurantur, ut fasciculum funiculorum referant.*

Manifesto aliquoties primum morbi initium in epidydimide se observasse ait, et in fundo scroti, dum funiculus ipse omnis vitii expers esset. Ab epidydimide transit malum ad illa vascula spermatica, quæ testiculum constituunt. Quare hæc vasa crassiora facta ab albuginea secedunt, immiscenturque fasciculo vasorum epidydimidis, unde testiculus volumine imminutus macrescit, et albuginea vacua collabitur. Dum morbus adolevit, afficit etiam funiculum spermaticum, atque cellularem vasa spermatica nectentem ad rimam usque abdominis, in tumorem attollit, et in abdominis cavum protrudit.

Cirsocele dolet et sponte, et dum comprimitur, non secus ac si testiculus ipse comprimeretur. Dolor interdum femur afficit; interdum ex scroto ad dorsum ascendit molestissimus. Cirsocele videtur lascivos præcipue et masturbatores invadere: oriri etiam potest a contusione, vel compressione bracherii. Recenti morbo medetur usus protractus tartari tartarisati, subligaculum,

---

(1) Oeuvres chirurg.
(2) De med., lib. VII, c. 18, 22, 24.
(3) *Aug. Gottlieb. Richter*, Obs. chir., fascic. II, c. 2. Gottingæ 1776.

motus temperatus, et frigidum balneum sæpius iteratum. Adultus morbus remedia respuit, et per totam vitam geritur suspensorio coërcitus. Si dolor acris sopiri nequit, auxilium petitur a castratione.

Huc usque *Richterus*: verum *Adolphus Murray* peculiari dissertatione antiquam tueri videtur sententiam, proponitque quæstionem; *utrum* cirsocele a venis spermaticis tumefactis, ut voluit *Celsus*, vel potius ab epidydimide turgida et dissoluta originem ducat (1)? Juxta *Murrayum* oritur primum *tumor* prope ipsum testem in spermatici funiculi ultimo fine, qui sensim augescens, adscendit versus abdominis rimam; frequentius sinistrum funiculum corripit, atque increscens epidydimidi, et testi vim infert. Non autem vas deferens, totamve epidydimidem eo malo corripi censet auctor, sed mediam ejus portionem cum cauda intumescere, vasaque venosa simul evolvi, testemque contabescere. Negat autem *sedem morbi primariam esse in epidydimide et teste*, ut voluit *Richterus*; sed redit ad priorem sententiam, scilicet *funiculum spermaticum esse primario affectum*. Vidit enim *Murrayus* cirsocelen incipientem sine testis, et epidydimidis labe. Vidit eandem cirsocelen, prope superficiem testis, vaginalem tunicam, aliasque partes afficere, quæ ad spermatica vasa non pertinebant; quæ vasa tunc solum in mali consortium trahuntur, quando tumor rapide increscit, vel quando ob fabricæ destructionem, aut alia de causa sanguis insolita copia advectus propter angustiam vasorum remeare nequit.

Vidit etiam in cadavere venas turgidas induxisse laxitatem in epidydimide; atque hinc opinatur contabescere testiculum, quia ejus venæ, intercepto ob compressionem sanguinis cursu, dilatantur tantopere, ut in testis ambitu contineri nequeant; inde moles testi superposita, vasa ejus nutrientia comprimit, et ipse ob nutritionis defectum contabescit.

Steatocele *Arantio*; liparocele *Hollerio* (2) est, ubi adiposus quidam tumor in scroto, et circa testem concrescit. A nemine, quantum scio, præterquam a *Morgagno* (3), visa est pinguendo vasis spermaticis interposita a summa vaginali tunica ad annulumusque; tum etiam in ima eorumdem vasorum sede, et inter epidydimem et testem, in corporibus cæterum sanis, et minime pinguibus. Dicitur sarcocele, dum testis parenchyma præter ordinem tumet et indurescit, atque carnis fere consistentiam acquirit. Ab hoc pendentes varietates sunt hydrosarcoceles et schyrrus. Hinc recte notat *Morgagnus* a vero non aberrasse *Olaum Borrichium*, qui dixit, frequenter sarcocelen non tam adnasci testibus, quam innasci. Ipse vero non dubitat (4) quin ab erosis testium tunicis morbida possit caro excrescere, in hanc tamen per dissectiones nunquam se incidisse fatetur. Spermatocelen facit, juxta *Bonnetum* (5), vas deferens corrugatum, in scrotum

---

(1) *Adolphi Murray*, Dissert. de cirsocele. Upsaliæ 1784.
(2) De tumor. præter nat. De morbis internis.
(3) De sed., ep. XLIII, n.° 37.
(4) L. c., n.° 38.
(5) *Sepulchret.*, sect. XXIX, obs. 20.

descendens, et manuum ope, aut corporis situ resupino introrediens. Verum hanc corrugationem non facile admittent artis periti, nec ab ullo prosectore compertam scimus. Alii spermatoceles nomine seminis congestum in testiculis intelligunt, cui opinioni vix locum dare possumus, cum natura sapienter providerit, ne a semine in testibus secreto, testis ipse, epidydimis, et vesiculæ sic distendantur, ut gravem morbum contrahant. Existimamus potius partes seminis secretioni dicatas, iisdem causis et iisdem inflammationibus, quibus aliæ partes subjacent, esse obnoxias, atque phlegmonen scroti pro spermatocele agnitam fuisse (1).

Præstat igitur quemcumque testis tumorem uno nomine sarcoceles comprehendere, tum quia quælibet caro inter tunicas scroti increscens a Græcis, et a *Celso* sarcocele vocatur (2), quæ etiam schyrrum denotat, vel in eum transit; tum quia a quacunque causa originem habeat tumor, ex alia, atque alia constare materia probatum est. Non reticendum tamen est circocelen contrarios effectus producere; etenim dolore stipatur sæpe ad lumbos porrecto, qui sustentaculo scroti et decubitu conquiescit; interdum tamen deleto dolore testis liquatus deprehenditur, quod *Celsus* alimento ammisso tribuit.

Harum affectionum causæ potiores sunt febris et tussis, rheumata, et ictus, et gonorrhæa, et scrophula. *Hippocrates* (3) malas judicationes vocat, si in contraria transeunt; velut si diuturnæ *tusses* in testium tumores desinunt, et cessant. Unde fit, ut testis ex tussi intumescens nos consensionis, quæ est geniture, et voci cum pectore, et mammis, commonefaciat. Quibus testes intumescunt tussi sicca vexantur; et tussis, vena secta, in testium tumores desinit.

Vir annos natus quinque supra triginta mense augusto 1787 hemitritæum cortice peruviano fugavit. Mense septembri inter molestam tussim testis dexter eidem induruit, et per intervalla detumuit, demum ad molem duplo majorem iterum adaucto teste tussis elisa est. Testis, quem nos inspiciebamus, integris vasis spermaticis nullo tædio fatigabat ægrum. Huic intus aperientia propinata sunt; extus, quæ molliunt, superdatis, mense decembri persanatus est.

Id evenit etiam post diuturnas febres, ut humor in testes jam prius labefactatos irrumpat, eorum parenchyma distendat, atque in superficiem inæqualm, tuberosam attollat. *Alix* (4) exemplum habet testiculi humore rheumatico obruti, quem diaphoreticis intus et extus usurpatis sanitati restituit. Alia duo protulit *Theden*, alterum sarcocelis rheumatici extirpati;

---

(1) *Vidus Vidius* refert casum monachi a pleuritide abrepti, cui ob castitatem testiculi fere penitus contabuere, vasaque spermatica cum semine ejus redundante exaruisse adeo, ut cum ejus cadaver secaretur, exsiccatorum nervorum, seu duriorum ligamentorum potius imaginem præseferrent. — *Schenkius*, Obs., l. IV. De test., obs. 2.

(2) *Sepulchret.*, sect. XXIX, obs. 20.

(3) De morb. vulg., l. II et l. IV, sect. VII. *Foes.*

(4) Obs. chir., fasc. II, ob. 19. Altenburgi.

alterum itidem rheumatici sed resoluti. Nonnunquam in iis, qui a gonorrhæis persanati sunt, testes longo post intervallo intumescunt, quod non semper a venerea labe evenit, sed ab alia labe, quæ vel priori socia est, vel ab eadem concitatur, et in testes delabitur. Quod si tumor prompte discussus non est, aqua in vaginali tunica, aut in cellulari funiculum ambiente effunditur. *Morgagnus* (1) pluries observavit albugineam exiguis tuberculis inæqualem, tanquam vestigia disruptarum hydatidum. Vidit etiam pendere hydatides ab alterutro epidydimis globo. Quæ vesiculæ interdum solidiores, carneique coloris sunt, ut pro glandula carnea sint considerandæ.

Magna intercedit affinitas scrophulam inter et schyrrum; nam quæ scrophulæ tribuitur congestio sæpe schyrrosa evadit, et schyrrus qui testem occupat, non raro glandulas lymphaticas colli, mesenterii, lumborum, veluti in scrophula inficit; tunc enim scrophula malignæ nomine apud quosdam practicos venit. Atque virus hoc sive scrophulæ, sive schyrri, aut quocumque nomine indigitare velis, ad tempus aliquod in corporis ambagibus callide sese occultandi vim habet. Etenim post testis vitiati excisionem accidit ut per unum, alterumve annum bene se habeant qui convaluerunt, cum lente schyrrus in abdomine ab excisi testis latere protuberare incipit, quem sequitur lumborum dolor, febris, marcor, cum languore mors. Ita evenit cuidam Mantuano temperamenti sicci, jam pridem a sanguinis sputo extenuato, a quo ægre admodum convaluvit. Huic anno post testis schyrrosi excisionem dolor ad lumbum affecti lateris obortus est; dein ad epigastrium pervenit, ubi altero anno nondum emenso transversus schyrrus supra stomachum adolevit, eumque morti dedit.

Sarcocele non dolens, æqualis, sine fluido in vaginali tunica, periculo non terret. Si vero testis, et epidydimis duriores sunt, ingentes, veluti nodis distincti, dolentes periculo non carent. Incipit a tumore, duritie, interdum cum dolore, inæquali superficie; interdum celeriter capit incrementa, atque pessime ulceratur. Tunc caro spongiosa, dolens, sanguinem fundens, excrescit. Est ubi parenchyma testis in cellulas expanditur lympham turbidam, aut sanguineam, aut saniem fœtidam continentes. Morbus sæpe solitarius est, utpote ab injuria externa procedens; ut plurimum vero agnoscit pravam viscerum abdomnis constitutionem, quam color pallidus, ventriculi cruditates, tusses, tormina, malæ digestiones, alvi fluxus indicant. Tunc aliquando tumor a funiculo spermatico in testem declinat, contra ac evenit, ubi testis primitus afficitur. Sub albuginea quoque in testis schyrro colligitur fluidum saniosum, puriforme, aut sanguineum.

Quamdiu sarcocele parvæ molis est, parumque dolet, vasa spermatica integra manent; sed ubi insigne volumen adepta est, tunc vasa in varices dilatantur, et cellularis, quæ eadem circumdat et colligit, densatur, contrahiturque in ambiguum tumorem, vel tubercula, quæ sæpius in imi

---

(1) De sed., ep. XLVIII, n.° 18, 19.

ventris cellularem producuntur. Non temere igitur ad sectionem veniendum est, nisi prius corporis habitum, partiumque affectarum exploratum habeamus. Illi etenim, qui testem sibi excindi passi sunt, et quibus ipse testis ab interiore causa intumuit, ob schyrrum in abdomine natum, vario post salutem restitutam tempore, mortem oppetierunt. Igitur ne manum, ferrumque admoveamus, ubi nulla causa cognita sarcocelen generavit, ubi vultus pallescit, aut flavescit; si febris adsertur et macies; si crebri dolores dorsi, lumborum urgent; ubi abdominis viscera dura, renitentia sunt, aut artus œdemate tument; ubi funiculus spermaticus particeps morbi fit, nempe si cum duritie inæqualis, nodosus, dolensque evadit. Interdum tamen funiculus tumefit sola lympha in cellulis hærente, quæ non officit operationi; neque venarum varices dummodo funiculus laxus, cedensque fit; neque hydrops funiculi, si ope lanceolæ commode aqua emitti potest. Infrequens admodum est epidydimen schyrro affici priusquam testis vitietur.

Jam ad curationem quod attinet, multa a multis proponuntur, rationem vero causarum habendam esse nemo dubitabit, qui juxta artis leges tuto mederi cupit. Ita si phlegmone aut erysipelas scrotum et testes invaserit, præter venæ sectiones et hirudines, superdanda sunt quæ molliunt et fervorem extinguunt. Ubi in lymphaticis congestio fit, farinæ calidæ, et semina quæ discutiunt, prodesse solent. Quidam etiam magni faciunt radicem ononidis contritam ex vino albo epotam, item radicem ireos cum oleo rosarum in malagmatis formam impositam. Sed ubi altius consedit congestio, inducitur setaceum, quo diutius expurgatio detineatur. Hæc etiam in rheumatico defluvio opitulantur, et præter setaceum, aut vesicatoria utiliter usurpantur diaphoretica, et præparata ex antimonio. Si scrophula testem occupavit, mira præstant setacea, aut vesicatoria sæpius iterata; tum cataplasmata ex cicutis, aut cum saturno præparata, quæ in omnibus laudantur. Vapores etiam ex aceto, ex gummi, ex herbis, quæ leniter calefaciunt, et materiam movent, maximæ utilitatis sunt. *Gaspar Wetter* (1) novum remedium protulit a vitrico suo sæpius expertum, quo feliciter usus est. Rustici grandævi testis jampridem durus et inæqualis, cum forte equum conscenderet, contusus inflammatur vehementer una cum funiculo spermatico, et uterque levissimo attactu acrius dolebat. Sublata inflammatione venæ sectionibus et emollientibus, pureque, quod maturuit, per incisionem evacuato, redierunt, quos antea patiebatur, dolores multo intensiores in abdomine et lumborum regione. Hunc sanavit 15 mensium intervallo superponendo linteos sacculos ligni vulgaris cineribus impletis, servatoque continenter calore.

Sarcocele, quæ a viru venereo originem ducit, illinito abunde mercurio plerumque discutitur, si neque inflammatio subest, nec nimis dura, aut

---

(1) Nova Acta Helvetica, vol. I, obs. 2. *Gaspari Wetter.*

inæqualis sit. Verum præter memoratas affectiones, quæ adauctum testem vitiant, sunt aliæ quædam, haud ita raro contingentes, quæ ejus structuram ita pervertunt, ut nunquam postea congrua medicamentorum administratione ad pristinum statum redire sinant; veluti si testis factus est cartilagineus (1), aut si lapillos, aliave concrementa continet (2), uti *Gesnerus*, *Fœlix Platerus*, *Lucius* et *Knoblochius* observarunt.

Phlegmone, erysipelas.

Tumores, quos *humorales* appellant, non genitales minus, quam alias partes infestant, et plerumque ejus generis sunt, qui per defluvium fieri dicuntur, atque ad phlegmonen, vel erysipelatem referuntur. Invadunt de repente adolescentes boni habitus, fervido sanguine præditos, multoque exercitio defatigatos. Scrotum his, et testium alteruter intumescunt, mox inflammantur, acceditque febris, pondus et dolor. Hujusmodi phlegmoni, qui agricolis est familiarior, abunde secta vena et cataplasmatibus, quæ potenter emolliunt, medendum est. Id si mature perficitur, tumor intra paucas hebdomadas dispellitur. Non in omnibus tamen æque cito dispelluntur testium congestus, multumque ad promptiorem resolutionem confert sive temperamentum, sive humorum blandior indoles.

Mercator Mediolanensis, cælebs, staturæ proceræ, trigesimum agens annum, macilentus et cachecticus, dum mercibus explicandis diutius distinebatur, et tum stando erecto corpore, tum inter conatus, crebrasque trunci flexiones complures horas transigebat, toties insigni tumore dextri testis extemplo increscente corripiebatur. Tantum autem increscebat testis, ut pugni magnitudinem æquaret, et continuo hunc defluxum sequebatur febris, et lumborum dolor, et distensio funiculi spermatici, quæ omnia ægrum per aliquot menses lecto affixum detinebant.

Quos febris adoritur cum partis rubore, pulsatione, aliisque inflammationis signis, eos protinus repetita sanguinis emissione, et iis, quæ refrigerant, quæ evacuant curare convenit; scilicet illud medicamentorum genus adhibendum est, quod aliarum partium phlegmonibus adhiberi consuevit.

Est aliud etiam mali genus erysipelati affine, quod scroti tunicas cum levi rubore turgere facit, et testem intus conclusum expandit. Vir florente ætate recens viduatus, cum sub vesperam diei 6 martii 1785 inambularet, quamdam in scroto molestiam persensit, quæ postera die vehementior rediit, cum longiori deambulationi indulsisset. Post biduum ab ægro accersitus, scrotum, quod a sinistris est, et a media sutura divisum, sic intumuisse vidi, ut duplo crassius esset, levique rubore infectum, testem

(1) *Ruysch.*, Thes. anat. IX, n.° 51.
(2) *Schenk.*, Obs., l. IV, obs. 7.

et funiculum spermaticum sanum deprehendi, globum autem minorem epidydimis obstructum; quapropter imperata quiete, cataplasma ex farinis discutientibus injeci. Accessit modica febris cum lumborum dolore, qui, expurgata alvo, conquieverunt; sed cum lecti instaurandi causa paullum se proripuisset, mox intolerabilis distensio orta est, recumbente ægro iterum cessura. Post octiduum sedata febri, doloribusque globus epidydimis minui cœperat, ut testis interstingui potuerit, subsistente etiam nunc scroto turgidulo et rubescente. Verum evanescentibus in dies hisce sympthomatibus, scrotoque ad naturalem contractionem parato, lectum primo ad plures horas relinquere, deinde quotidie in conclavi inambulare potuit, donec sublata penitus epidydimis crassitie, 24 ejusdem mensis prorsus convaluerit.

Mitior fuit idem morbus erysipelatodes, qui virum patritium, cœlibem, annos supra quadraginta natum detinuit. Affirmabat ille neque compressionis, neque venereæ labis effectum fuisse; sed quindecim ante dies scrotum sibi intumuisse cum aliquo lumborum dolore, sine febri, qui juxta fasciculum spermaticum ad testem ipsum devolutus est. Cum ad particulæ examen descendissem, testem et epidydimidem subtumidos, et cellularem tunicam paullo magis inflatam deprehendi, sic tamen ut sine dolore et absque duritie essent, et cutis color ad roseum subpallidum vergeret. Congrua huic medicina adhibita infra hebdomadam ad sanitatem rediit.

Sarcocele a nixu.

Dulciarius juvenis procerus, capillo flavo, mollibus carnibus, dum intentis viribus lagenam vini humo sustulisset, ut bajuli humeris imponeret medio decembri anni 1783, de repente acri testis sinistri dolore percellitur, qui paullatim postea intumuit, ut laboribus suis prosequendis imparem redderet. Huic primo sanguis detractus, dein alvus ducta, et testis anodynis fotus est, quibus dolor a teste ad renem transiit. Sed quiete corporis diuturna assiduus renis dolor conquievit, et testiculi tumor imminutus est. Licet autem ex his proximam sanationem augurari liceret, dolor tamen plus, minusve molestus testem alternatim lacessebat. Igitur sub initium februarii 1784 variis ad id temporis incassum adhibitis remediis, meam expostulavit opem. Testis quidem non videbatur fuisse læsus, aut saltem, si quidquam passus fuerat, ad priorem statum rediisse; præter funiculi vero spermatici, et epidydimidis crassitiem, molle corpusculum quasi lympha distentum ad minorem globum contrectabatur. Ut igitur tumorem, doloremque compescerem, emplastrum oxycroceon superdedi, cujus beneficio hebdomadam sine molestia transegit. Cum autem quadam die paullo diutius defatigaretur, postridie testem eodem perculsum dolore sensit, cujus rei causa cum ad me venisset, epidydimidem, et quæ illi proxima est, funiculi partem denuo magis intumuisse deprehendi. Quamobrem cataplasma ex mica panis et lacte confectum, addito croci tantillo, imponere

jussi, atque dispulso intra quatriduum dolore, aliud cataplasma ex farinis aquæ calcis incoctis subrogavi, eo quidem effectu, ut exeunte martio omnis molestia sublata esset. Tunc enim testis sanus erat; epidydimis adhuc turgescens, et exiguo ab ejus minori globo intervallo secundum funiculi directionem bini tumores, molles, non dolentes, avellanæ magnitudine percipiebantur, qui an a varicibus, an a distento ductu deferente, an a lympha in cellulis stagnante essent profecti incertum erat judicium. Scrotum certe ab sinistro latere varicem habebat insignem et lividam, quæ immutata permansit. Eodem cataplasmate, scrotoque suspenso, convaluit, atque mensibus majo et junio ejusdem anni bene valuisse compertum habui.

Sarcocele ab incerta causa.

Rustico triginta quinque annos nato testis sinister paullatim ad eam increverat molem, ut pugnum magnitudine æquaret, qui et dolere, et eidem molestus esse cœperat, ut propterea in nosocomium exceptus fuerit. Huic cœtera bene valenti, et funiculo, ut apparebat, nullibi vitiato, testem excidi 29 martii 1782. Inter excindendum gravem dolorem perpessus est, quem ad quemvis scalpelli ictum renovari manifesto ingemiscendo significabat. Ablato testiculo, alius exortus est dolor haud ita levis in ipso vulnere, qui juxta funiculum in ventrem influebat. Tunc expalluit illico, et anxius æger opprimi se sentiebat. Interea ut sanguinem ex funiculo stillantem cohiberem, laminulam flexilem e plumbo, cujus interior superficies esca igniaria obducta erat, circumduxi, eaque modice compressa, sanguis stillare desiit. Reliquum vulneris linamentis aridis impletum est. Dolores qui a vulnere fibrisque recisis nati videbantur, post quatuor demum horas desierunt. Pulsus humilis erat, mollisque cum leypothimia, seu, ut ægri verbis utar, cum stomachi deliquio. Haustus eodem die datus est ex iis quæ calefaciunt et corroborant.

Mane diluculo doloribus et sanguinis exitu repressis, pulsu et vultu vegeto, jusculi, quantum licuit, per diem hauriendum datum, sanguisque e brachio missus est. Jam tertio die a stomachi deliquio liber et a febri, noctem placidam habuit; ex vulnere detrahuntur linamenta et lamina plumbea; pus copiosius movetur, et ulcus consueto ordine ad cicatricem perductum fuit, ut 26 maji domum proficisceretur.

Postmodum de hoc ægro ex literis ad me datis 30 aprilis 1783 ab experientissimo chirurgo sequentia comperi. Nimirum hunc virum jam inde ab autumno anni 1782 atrocissimo dolore affici cœpisse in ea lumborum regione, sub qua didymus sublatus fuit, eumque dolorem hinc ad inguen sinistrum, illinc ad os sacrum descendisse. Medicos advocatos, qui affectionem illam a rheumate suspicabantur, variis incassum remediis indulsisse, doloresque magis ægrum exercuisse. Chirurgum, is ipse, qui hæc retulerat, in consilium vocatum, longe aliam opinionem habuisse; scilicet eundem existimasse morbum a peculiari lienis plethora ortum fuisse; lien quippe

multum intumuerat, et dolor ab ea sede, quam tenet funiculus spermaticus, ad vicinas exteriores partes propagabatur. Dein receptum esse in chirurgicis, quod mutilato artu, aut destructo organo aliquo, sanguis in viscera proximiora, et molliora irruat, eaque distendendo plethoram peculiarem gignat, adversus quam iis utendum esse præsidiis, quæ sanguinem ad æquilibrium componant.

His nixus rationibus sanguinem primo per hæmorrhoidales venas eduxit; dolores antispasmodicis sopivit; hisque junxit balneationes, apozemata diluentia, præparata ex tartaro. Neque dubitabat hac curatione se id esse consecuturum, ut ægrum in integrum restitueret. Verum graviter indoluit, ubi spe sua frustatum esse, atque ægrum ad se redire vidit de doloribus quærentem mitioribus quam antea, attamen molestis quoties penis cum voluptate, aut præter voluptatem erigeretur, et insuper de immani cardialgia vexatum. Hæc prior chirurgus: chirurgus alter autem anno et quod excurrit elapso, videlicet 10 junii 1784, renunciavit, ægro post longos dirosque cruciatus schyrrum in inguine obortum fuisse, eumque doloribus et macie confectum demum occubuisse, interjecto autem post testis evulsionem tempore semel prolem suscepisse.

Testis tumens ab esu cynaræ.

Honesto viro ob esum duodecim capitum cynaræ crudæ testes ambo intumuerunt, ut quindecim dierum spatio duntaxant subsederint. Quærendum esset an id vitii ob nimiam seminis copiam, an ob stimulum a resina quam continet inductum, an ab alia causa contigerit; item an aliæ hujusmodi extent observationes?

Testis atrophia.

Fuliginarius dum forte pronus terram spectaret, ab ejus socio super natim dextram percutitur, a qua ictus ad ejus lateris testem propagatus quamdam concussionem in eo excitavit, atque ab eo tempore, quo ictum excepit, videlicet ab æstate anni 1781 usque ad aprilem anni 1782 dolorem plus minus acutum persensit, cujus causa laboribus ferendis impar fuit. Quem ego dum inspexissem, testem certe duplo minorem, atque naturali multo molliorem reperi. Suasi ut aromaticis uteretur, quæ an profecerint nec ne, ignoravi, cum nunquam ad me redierit.

Sarcocele ab hepate.

Tonsor quinquagenarius Mediolani degens, nulli antea morbo obnoxius, atque venereæ labis expers, quantum quidem ex diligenti percunctatione haurire licuit, nisi quod scrotum indecenti pruritu afficiebatur, qui ad scalpendum continuo cogebat, mense septembri 1783 testem dextrum sibi intumuisse animadvertit, et quo magis increscebat durities, eo vehementiores

circa lumbos dolores torquebant etiam lecto decumbentem, quos cum balneo mitigare satageret ex peritorum consilio, non solum deliniti sunt, sed novos accedere sensit homoplatas præcipue et cervicem obsidentes.

Lumborum dolor interdiu mitior, noctu acerbior, interdum urentis flammæ sensu excruciabat, cui adjiciebantur maculæ latæ, subobscuræ, coloris, ut dicunt, hepatici, non sine prurientis cutis pectoris, et abdominis tædio. In consilium vocatis collegis 7 augusti, ut de eo quod agendum judicarent, balneis utendum statuerunt, donec nimius tempestatis æstus deferbuisset. Inter hæc pulsus modo valens, nunc humilior, modo ad febrim vergens, et lumborum dolor intensior, interdum remissior erat, et aliquando urentis flammæ sensu, noctu præcipue, exagitabat. Alvus quoque, si quando solvebatur, ardentia dejiciebat.

Quamvis hoc in statu ægri res essent, tamen qui in consilium adhibiti fuerant, existimabant memorata sympthomata a mole testis pendere, proindeque quantocyus ad extirpationem esse deveniendum. Quod consilium licet nequaquam probare possem, cum sarcocelem alteri noxæ complicatum cernerem, tamen cujusmodi id vitium fuerit, quia a me intelligi non potuit, minus repugnanter in aliorum sententiam concessi. Prægrandis erat testis, cutisque distracta, et eidem accreta, quæ per sectionem remota est sic, ut magna ejusdem pars testiculo infixa remaneret. In imo scroti stagnabat lympha flavescens, turbida, quæ eundem colorem cuti impositæ conciliaverat. Soluto undique ab involucris testiculo, et funiculo spermatico, spleniolo, et plumbea laminula eidem funiculo injecta, vasa modice compressa constrinxi, testemque præcidi. Venæ spermaticæ passim tumidæ, et in varices dilatatæ conspiciebantur. Secta cute, vix indoluit, atque nunciatum est ei primum excisionem peractam esse, quam testem ablatum esse sensisset. Ex quo nuntio nihil commotus nec sanguinis, nec virium jacturam fecit.

Postridie, et sequentibus diebus præter febrim, et panniculos copiosa et subcruenta lympha madefactos, quod frequentius deligare cogebat, nullum aliud sympthoma terruit. Cum æger melius se haberet, nocte quadam tonitru et fulguribus bacchantibus, e somno excussus, atque vehementer perculsus ter copiosum sanguinem amisit, qui vel ex funiculo, vel sub eo, vel ex imo scroti vulnere prorumpebat, qui tamen aqua styptica, et fasciis haud difficulter cohibitus est. Expalluit æger propter hanc sanguinis jacturam, quæ forte dissolutæ ejus crasi adscribenda videbatur, proptereaque cortex peruvianus cum elyxire vitrioli datus est. Sub noctem duodecimæ diei, cum a febre, doloribus, tensione penitus conquiesceret, inter nimios egerendi conatus denuo sanguis ex infima vulneris parte prorupit, qui vinctura arteriolæ suppressus est. Ex eo die, licet pus melioris notæ esset, et carnium color, et pulsus vegetior, tamen vultus pallebat, pedesque intumuerant; deinde accessit febris cum horripilatione, tremor et ardor totius corporis, ulceris et linguæ ariditas, cruris, femoris, lumborum, et abdominis inflatio, denique mors.

Postera die cum abdome inncidissem, primum intestina perlustravi, quæ omnia secundum naturæ ordinem erant constituta præter cœcum, quod et amplius multo, quam debuisset, et ossis ilii simæ superficiei adhærere visum est. In pelvi nihil præter naturam, nihil in funiculo spermatico repertum est. Remotis intestinis, continuo quatuor lumbares glandulas vertebrarum corporibus insidentes conspeximus, quæ mole auctæ, et nigro colore suffusæ erant. Earum aliquæ consectæ saniem, aliæ materiam densiorem, quæ steatomatis est, fuderunt. Hepatis volumen a naturali non recedebat; color obsoletus; superficies gibba binis maculis liventibus fædata; extrema vero lobi dextri portio, quæ in hypocondrii cavo delitescit, magis livens gangrænam conceperat. Nec difficile fuit hic mortis causam invenire; nam inciso ampliter hepate, sanguinis nigerrimi, et veluti corrupti vis ingens sese obtulit, et parenchyma hepatis, quod id putridum continebat, et infra in limbum desinebat, veluti obstructum, fracidum, cinereum, scilicet in speciem atheromatis degenerasse visum est, ea extensione et profunditate, ut ab extremo angulo dextro, intus ad magnum sulcum pertingeret. Bilis omnino defuerat.

Sarcocele a scrophula.

Juvenis boni habitus, viridisque ætatis, nulli antea morbo affectus, qui patritio Mediolanensi a pedibus erat, testem sinistrum sibi tumefieri sensit mense majo 1783, qui paullatim ad pugni virilis molem pervenit, et licet non dolore, erat tamen pondere molestus, nec ante decembrem in nosocomium se inferri passus est. Tunc testem durum, renitentem, ovalem, non dolentem observavimus, funiculumque spermaticum integrum recognovimus. Quid causæ subesset, cur testis intumuisset prorsus ignorabamus; nam vis nulla exterior accesserat, nec de metastasi præcedentis morbi erat dubitandum. Hinc chirurgis aliquibus hydroceles suspicionem movit, eamque secuti opinionem, cum pertentando fluidum aliquod hærere in vaginali videretur, lanceola satis lata audacter scrotum perforarunt, ex quo aquæ pauxillum, plurimum autem sanguinis profluxit, quia non solum vasa sanguinea dartos tunicæ, sed etiam albugineam læserant, unde per idem vulnus sarcocelis, aut potius testis inflati substantia sibi viam fecerat. Linamentis aridis represso sanguine, æger hac operatione perterritus lecto committitur, et haud multo post sive ob mœrorem, sive ob nosocomii mephitim in typhum incidit, sub quo multi testis glomi putrefacti ejiciebantur, absque ullo tumoris decremento. Tandem depulsa febri, cum æger meæ curæ committeretur, consilium cœpi testem evertendi; quapropter scrotum per longitudinem incidi, testemque vitiatum, undequaque solutum prope radicem vinculo injecto constrinxi, eo animo ut sarcoceles eo citius marcesceret. Vinculum per suppurationem laxatum, quantum oportebat, denuo adstringebam, donec sarcocele penitus contabuerit, et sine discrimine præcidi potuerit 29 jan. Per id temporis, quo testis lente ad putrescendum

disponebatur, febris amphimerina ægrum exercuit, quæ decocto corticis peruviani, et acidis vegetabilium partim moderata, penitus ægrum deseruit, quamprimum testis fuit sublatus. Tunc pure, et colore cutis in melius mutato vires erigebantur; sed post octavam a præcisione diem observatum est funiculum spermaticum esse retractum, induratumque usque ad inguinis rimam, imo intra ipsum abdomen duritiem cum dolore pervenisse. His sympthomatibus ita obventum est emollientibus, cicuta, victu ex oleribus, ut consolidato ulcere calendis martii e lecto se proripere potuerit, atque ab omni molestia liber exeunte martio læto animo discesserit.

Ab eo tempore, etsi bona, non tamen diuturna valetudine usus est; nam sub initium decembris labentis anni 1784 me denuo convenit ob binas glandulas induratas, quæ eidem in sinistro colli latere succreverant, ad interius venæ jugularis externæ latus duo ova æquantes, atque alteram alteri superpositam. Narrabat se aërem patefactæ fenestræ excepisse, et tunc primum glandulas assurgere cœpisse, easque intra 20 dies ad eam molem, quam tangebamus, pervenisse. Quam parum huic causæ tribuerim cuilibet conjectari licet, et quamvis parum etiam a medicamentis expectassem; tamen ne omnis spes ægro præcideretur sanescendi, nonnulla a me fuerunt proposita, et per intervalla adhibita saponacea, uti ceratum diabotanum, de ranis *Vigonis*, antimonium cum cortice, et alia hujusmodi, quibus nil proficientibus, anno sequenti 1785 vidimus duas prægrandes scrophulas, glandularum loco, collum fœdare, accepimusque ægrum lumborum dolore vexari cœpisse, qui februario intensior factus, ad testem dextrum porrigebatur. Sed præter scrophulas quæ retrorsum jugularem venam disjecerant vere ineunte duos alios renitentes tumores, nec dolentes epigastrium occupasse, atque a costis nothis ad umbilicum productos animadvertimus, qui non in visceribus, sed in omento, vel mesocolo sedem habuisse videbantur. Æger præterea nihil nisi languorem post escam experiebatur.

Scrophulæ lapide caustico apertæ, motaque suppuratione, ita aggressæ sunt, ut anterior decussatim consecta fuerit; hac tamen sectione reprimi non potuit, quin potius vivide extrorsum cinerei coloris, et durissima excresceret, dum carnes eam circumambientes rubellæ sanguinem promptissime funderent. Ut citius everteretur inferior scrophula plusquam media ejus pars filo constricta fuit, repetitoque post quatriduum vinculo butyro antimonii illinita fuit. Mox recisa scrophula superiore, qua parte corrupta erat, diductisque circa eam carnibus, prope basim tertio revincta fuit, atque penitus succisa. Deinde eodem modo inferior, ejusdem ac prior naturæ, a vicinis partibus separata, religata fuit, quod sine ægri molestia actum est. Inter hæc febris, macies, dorsi dolores ægrum detinebant, nec tumores in epigastrio minuebantur.

Scrophula postremo loco ligata, atque citra ligaturam emortua, ultra eam germinabat adhuc circa radicem collo infixam, videbaturque esse coagmentata ex carnibus mucidis, rubellis, et concrementis duris, gypseis; hinc digitorum ope a proximis carnibus sejuncta atque filo circa

pedunculum constricta decidit. Enucleata scrophula, ulcus cavum sordidumque remansit, quod cum pure pelliculam, quasi cystim ejecit. Verum æger ab hisce non reficiebatur; nam vultus pallor, languor, febris lenta pallor item ulceris, muco tenaci, cinereo obducti, et serum fundentis vires conficere videbantur. Inter. hæc substantibus epigastrii tumoribus, aliquid strumam adæquans ex ulceris fundo pullulabat, quod digito evulsum, gluten album, coagulatum, friabile, sine vasis, stratisve ostendit. Abdomen ab imo sterno ad media femora intumuit; vultu extenuato, pulsu parvo reptabat. Cum in superiorem ædis contiguationem se transtulisset, lectumque conscenderet, fere loquendo animam egit. Cadaveris inspiciendi facultas non fuit.

Sarcocele a scrophula.

Generosus vir, habitus sicci et gracilis, a pubertate glandulas colli infartas, et cysticum tumorem sub mento habuit. Adolescens sæpius veneno lacessitus venereo, renis sinistri abscessu torquetur, et pus per urinæ vias evacuatur. Ab eo tempore renum regio semper fuit vexata, et cum forte longius iter fecisset epidydimis sinistra primum; tum paullatim testis ipse intumuit absque alio sympthomate. Hunc cum inspicerem junio 1788, durum, non lævigatum, non dolentem dimidii pugni magnitudine inveni, conjectavique labem scrophulosam non extinctam id vitii induxisse. Ergo æthiops antimonii cum conii maculati extracto intus datus est; extus ceratum Norimbergensium cum triplici camphoræ dosi impositum, qua præscriptione id obtinuimus, ut decembri mense testis extenuatus, et lævigatus deprehenderetur, neque postea, quoad vixit, pejorem habitum acquisivit.

Hydrosarcocele.

Pistor annosam in dextro scroto hydrocelen gestans crebris punctionibus aquam effundebat; sed calendis jan. 1788, cum postremo aquam simul et sanguinem ob læsionem vasis sanguinei emisit, unde hæmatocele oborta est. Cauterium satis inopportune scroto impositum, inflammationem et suppurationem movit, cui accessit febris continua et gangræna, qua e vivis sublatus est.

Vaginalis tunica crassior erat; funiculus item spermaticus fere cylindricus crassitie pollicem æquabat, et intra abdomen usque ad ossis ilii cum sacro conjunctionem producebatur, totidem solitarios, parvosque abscessus in densioribus cellulis continens. In superiori abdomine, et sub rene dextro, scyrrhus ovi galli indici magnitudine, extus lividus incumbebat venæ cavæ atque aortæ. Schyrri interior substantia subalba, compacta, variisque coloribus maculata. Renes, testis cum funiculo sinistro sanus: sana item viscera sinistri pectoris. Sed dimidium caveæ pectoris dextri aqua flava, turbidissima, fere purulenta, ad duarum librarum pondus opplebatur. Pulmo præter exiguitatem sanus et mollis erat, neque tuberculis obsitus.

Hydrosarcocele.

Mense aprili ejusdem anni ex familia Reformatorum viro macilento excisa fuit hydrosarcocele dura , oblonga , quam ab anno in sinistro latere gerebat. Altera die ex improviso mors eum rapuit nullis præcedentibus vulneratarum partium signis , nec sanguinis jactura , neque nervorum distensionibus. Hanc tribuimus schyrro prægrandi aortæ , cavæ , et dorsi vertebris prætenso , qui ad utrunque hypochondrium pertinebat sic , ut vasorum diameter non videretur esse imminuta. Hinc enim mole sua attollebat ventriculum , pancreas , et anterius a mesenteria lamina , et superpositis intestinis occultabatur. Ren sinister , quem schyrrus attingebat , mole auctus , durusque. Glandulæ inguinis internæ funiculo proxime pariter schyrrosæ fuerunt.

Hydrosarcocele.

Similis propemodum eventus obtigit rustico mediæ ætatis , cachectico , hydrosarcocele sinistra laboranti , qui in valetudinarium nostrum delatus est 24 maji 1791. Cum scrotum cum tensione indolesceret , et tormina abdomen agitarent , a chirurgiæ tyronibus pro hernia acceptus est tumor. Verum nullo alio superveniente herniis strangulatis proprio sympthomate , et accedente aliquo fluctuantis seri inditio , de vera morbi indole nullum dubium superesse poterat. Inciso igitur scroto , demittitur aqua , et perstantibus doloribus vulnus diu aquosa expurgavit ; tum gangræna depascente corripitur homo , et febricula vires frangente , per quæ stupidus factus quam ocyssime interiit.

Pectoris viscera illibata erant. Pauxillum aquæ continebat abdomen; intestina coloris plumbei ; lien maximus , non item hepar. Mesenterio protectus tumor muco-carneus , latusque , maximam sub ventriculo columnæ vertebralis partem , ad postremam usque lumborum vertebram contegebat. Musculi psoas , iliacus interior , funiculus spermaticus ab sinistro latere valde livebant Testis item sinister exhibuit carnem mucosam , subruffam , quam pariter observavimus in alio tumore jugulari venæ imposito , ad latus thyreoideæ glandulæ , æque tumefactæ , ex quo dissecto exsiluit cum quodam impetu fluidum sanguineum.

Sarcocele a gonorrhœa.

Coquus gonorrhæa laborans post duorum mensium purgationem , præsidiis nescio quibus , vix sanatus est , cum testis sinister ei tumere cœpit , increvitque nimium dum forte ruri agens in ea parte ictus fuit. Conquievit tamen , ceratumque , quod quater mercurium recipit , imposuit non sine emolumento ; hinc frequentius extra urbem equitabat , quod genus exercitii tumorem adeo exasperavit , ut omnis medicina supervacua esset. Consulitur ; atque hydrargirosis proponitur ; malum non levatur. Inter hæc scrotum

incidi oportuit, ut liquor effunderetur, in quo contentus testis duos pugnos æquabat. Postea in pejus ruere; cutim scroti rubescere; hominem febri et macie confici. Excisionis tentandæ occasio præceps fuit.

Sarcocele ab atheromate.

Agricola conjugatus 22 martii 1785 meæ curationi committitur, qui ante duos annos in dorsum ceciderat, a quo tempore sine alia injuria testem dextrum sensim sensimque sibi intumuisse animadvertit, accensoque scroto in imo ruptum est, abscessitque materia quædam mollis, fere fungosa, demissoque in scroti caveam digito corpus molle deprehensum est. Consilio capto, scrotum patefaciendi alia materia mollis, alba, cerebriformis solis digitis educta est, quam testis esse substantiam in atheroma conversam existimabamus. Verum diligentius rem exploranti patuit, corpus illud molle esse testem, ex cujus superficie mollis illa caro pullulabat. Interim accedente febri, scrotum gangrænam concepit, ea tamen haud adeo penetravit, nec tam valida fuit suppuratio, ut quidquid fungosi erat, depasceret. Quare deterso penitus ulcere funiculum spermaticum a tunicis separavi, vinculoque sic constrinxi, ut testis emoveretur, quo intra dies octo extincto, quidquid erat putrefacti abscidi. Dein refocillato ægro tum vino, tum cortice peruviano, alimentoque pleniori, res ita bene cessit, ut intra quartum mensem convaluerit. Hic casus videtur propius accedere ad eam ægritudinem, quam veteres proprie sarcocelem, aut carnem adnatam testi appellabant.

Sarcocele cum ulcere.

Vir quadragenarius ante 12 annos ab empyemate per sectionem convaluit. Mense septembri anni 1784 tuberculum intus in scroto subnatum, cui ab imperito ceratum impositum fuit, eo magis amplificatum est. Is, ut educeret materiem, quam intus latere supposuerat, scrotum incidit, et purum sanguinem effluere vidit, quem vix sistere potuit. Per id vulnus tumor sibi viam fecit, atque 7 junii anni 1785, dum nosocomium peteret, massam fungosam, inæqualem, palmæ longitudine, sanie ex tota superficie fluentem, ex scroto propendere conspeximus. Testis etiam ab eadem massa protractus videbatur; nam quod in scroto tumebat adhuc, et dilute rubebat, nil nisi funiculus tensus, ulcerique cutaneo proximus esse apparebat.

In hoc viro præter faciei pallorem, abdomen intentum, ac veluti ab effusa lympha inflatum erat. Cum nulla alia spes esset hominem conservandi, præcisus eidem est testis cum sarcomate confusus. Roborantibus uti oportuit ad vires sustinendas; sed artus inferiores œdemate obsidentur, alvus fit fluida, lingua arida, ascites increscit, et moritur 1 julii.

Abdomen discissum aquam multam urinæ similem exhibuit. Omentum et intestina fracida, leviter ulcerata; funiculus spermaticus durus, lividus, parvis abscessibus refertus erat.

Castratio ab hydrocele.

Famulo inciditur scrotum sinisterius, ut ab hydrocele sanaretur. Mox vaginalis tunica, et testis vehementi inflammatione comprehensi, et suppuratione diuturna vastati sunt, ut retracta cuti, et deleta scroti cavea testis nudus conspiceretur. Quod cum vidissem, neque appareret, cute testiculum contegi amplius posse 13 julii 1785, excindendum esse suasi, quod et feliciter cessit; nam sine graviorum sympthomatum comitatu sospes domum rediit medio augusto.

Hydrosarcocele.

Agricola hydrosarcocele sinistri lateris affectus nosocomium petit 1785, quam labem solum præcedenti martio sibi primum innotuisse, neque compressione, neque casu, nec ictu, aut venereo contagio provocasse ajebat. Cum hydrocelis pondere gravatus esset vir, forato scroto, aqua ejiciebatur; sed sive ob vaginalis tunicæ crassitiem, sive ob testiculi noxam ab aqua inductam, scrotum inflammatum, prompte in suppurationem abiit; et cum puri liberum iter non pateret, scrotum apertum est, testisque quammaxime vitiatus deprehensus est. Nam præter duritiem, et superficiei ulcerationem, triplo naturali grandior factus, eandem duritiem, et crassitudinem funiculo spermatico usque ad abdominis rimam conciliaverat. Tamen cum hæc vitia nondum carcinomatis naturam ostenderent, cohortavimus ægrum, ut sibi testem præcidi pateretur. Illo annuente, 29 julii sarcocele ablata est. Sanguinis jactura nulla fuit. Post modicam febrim femur, et crus dextrum intumescere cœperunt: pulsus exilis, vox demissa, flavus color, gangræna ad coxam sinistram, faucium ariditas rem in præcipiti esse denunciarunt; dolor in lævo brachio obortus in paralysin transiit; demum vis vitæ extinguitur 19 ab operatione die.

Patefacto imo ventre, primum ad funiculum spermaticum oculos conjeci, quem perfecte sanum usque ad truncatum finem inveni. Nulla in cavea abdominis humorum effusio; nulla viscerum obstructio; sed generalis potius partium collapsus. Pulmones sani; pericardium densa lympha distentum; cor imminutum, corrugatum, maceratum; cellularis tela circa cordis basim; atque illa quæ coronaria vasa comitatur, œdemate pellucida erant.

Sarcoceles a scrophula.

Vir quadraginta annorum, staturæ mediæ, temperamenti aridi, boni cœterum habitus, decembri 1784 gonorrhæam contraxit, a qua brevi liberatus est. Martio mense 1785 testis sinister in tumorem elevatus, quibuscunque præsidiis per 5 menses adhibitis constanter restitit. Cum in nosocomium adductus esset 2 septembris 1785, et tumoris originem ad gonorrhæam plerique retulissent, præmissis balneis, ad hydrargirosim ventum est. Sed hæ inunctiones non solum levaminis quidquam attulerunt, sed

sarcocelen eo magis amplificarunt, doloremque induxerunt, et quod pejus, sub sinistro hypocondrio tumorem alterum elevarunt, qui paullatim auctus, tertium tumorem genuit, totamque sinistri lateris regionem occupavit. Hos tumores profunde compressos, dolentes invenimus; sarcocelem inæqualem, duasque appendices emittentem; hominem vero ab hectica febre extenuatum.

Hæc consideranti in mentem venit sarcocele scrophulosa in quodam juvene observata, atque experientia edoctus minime hæsitavi hos tumores omnes ad scrophulam referre, quia in maturiori etiam ætate persæpe sine cognita causa scrophula extricatur, quæ tunc deterioris notæ esse solet, quinimo mercurialium affrictu quammaxime exasperatur. Judicium nostrum plenius confirmarunt, quæ ab ægroto super his interrogato declarata sunt: nempe vere, et autumno sinistras colli glandulas frequentius tumidas deprehendisse; fratres suos, præcipue sororem, male a scrophula fuisse vexatos. Sarcocele interea, quo magis extenuabatur corpus, increscebat, atque hominem 13 octobris e vivis sustulit.

Reseratum abdomen pauxillum aquæ dedit, ostenditque duos prægrandes tumores sinistrorsum magis porrectos, nam intestina ad dexteram erant protrusa. Prior, idemque superior magnitudine humani capitis a ventriculo et coli subtensi arcu descendens, regiones hypocondrii sinistri, epigastrii, atque hypogastricam adimplebat. Omentum superpositum erat eidem agglutinatum. Colon sinistrorsum inter duos tumores in hypogastrium perveniebat, ut ad dexteram reflexum in pelvim se demergeret. Lien parvus, integer contra dorsi spinam compressus. Ventriculus item, et hepar, et pancreas sani, nisi quod albidiora erant. Ren sinister durior, et cum uretere tumori superiori valide accretus. Tumor inferior pueri caput æquans supra lineam innominatam pelvim obstruebat, vesicamque urinariam contra pubem sic urgebat, ut eidem adhæreret. Ita tumori majori contiguus erat, nec ab eo dirimebatur nisi per transversum sulcum, quod defluens colon sinistrum cum mesocolo legebat. Mesenterii glandulæ intactæ.

Igitur tumores isti in cellulari, quæ est inter mesenterii laminas, comprehensi esse videbantur, quorum substantia admixtum habebat aliquid rubri, et albi, et subflavi, ut marmoream misturam diceres; centrum vero pulticulam, aut mucorem densiorem, loturæ carnium persimilem continebat. Testis vitiatus eandem prorsus misturam exhibuit, præter mucorem album, densumque, qui in ejus fastigio hærebat. Funiculus spermaticus ab epidydimide usque ad ventris cavum integer, nec nisi prope tumorem inferiorem, cum quo confundebatur, vitiatum apparebat. Reliqua viscera abdominis flaccida, et cadaver ex toto emaciatum.

Sarcocele a schyrro.

Rustico ob ictum dextro testiculo inflictum obortus est durissimus tumor a rima abdominis usque ad lienem protensus, per quem, ut erat summe renitens, femur semiflexum extendere nequibat. Funiculus spermaticus durus,

tensusque. Ita macie confectus obiit octavo, pôstquam in nosocomium importatus est, mense.

Schyrrus prægrandis, aut si mavis, atheroma, inter mesenterii laminas conspectus est, qui intestina in dextram partem disjecerat. Colon vero tumori anterius affixum, multis locis adstrictum, et ut dicunt strangulatum, atque e propria sede depulsum cernebatur. Substantia tumoris tam varia, ut difficile sit videre mistum ex spongioso-sanguineum, lardeum, mucilagineum, sebosum.

Sarcocele a tertiana.

Agricola conjugatus ad 40 annum accedens cum forte a tertiana perniciem minitante adortus esset, tantam vim corticis peruviani ingessit, ut intra hebdomadam liberaretur. Nec mora exactis 15 diebus testis sinister intumuit, cujus causam frustra quærebat æger, cum exactum vivendi modum tenuerit. Erat vigesimus quintus a metastasi dies, cum ad me accessit 5 octobris 1785, ut afflictam partem inspicerem. Integumenta scroti adhuc rugosa, nec distenta facile permittebant, ut solam fere epidydimiden ab utroque apice esse tumefactam, atque a teste quodammodo discretam discernerem, absque funiculi spermatici noxa. Hæc metastasis tamen non sine dolore erat, qui ab afflicto teste ad ejus lateris femur porrigebatur, præcipue si celeriori passu ingrederetur. Hæc congestio corporis quiete, et alvum ducentibus, tum cataplasmatibus, quæ molliunt, levata est.

Sarcocele ab hepate.

Nobili viro, obæso, ad 35 annum accedenti, conjugio juncto, a prima jam ætate aliquid vitii suberat ad scroti dextram, cujus vitii genus cum non satis se cognovisse fateretur, meminisse tamen se ajebat, testem dextrum non majorem nuce avellanæ fuisse, neque in scrotum prolapsum, sed fere suspensum ad abdominis rimam permansisse. Hæc narrans 25 octobris 1785, addebat, tertium esse mensem, ex quo pusillus testis augere cœpit absque dolore, ruboreve cutis, aliave molestia, si levem doloris sensum excipias in dextra lumborum regione; quoque magis testis inflabatur, eo citius rheumaticum dolorem homoplatæ dextræ jam diu insidentem evanuisse; nunc vero paullatim incrementa cœpisse, ut quamvis scrotum laxius esset, et sine molestia tactum, et ambulationem ferret, nec nisi aliquam in centro testis, neque crebram perciperet mutationem; tamen ad duorum fere ovorum magnitudinem modo, quam spectabamus, pervenisse. Multa et varia incassum medicamenta sive intus sumpta, sive extus apposita nullam mutationem induxerunt; neque consilium meum probatum fuit fonticulum aperiendi, et kermes minerale cum guajaci extracto aucta sensim dosi hauriendi.

Cum ad medium aprilem anni insequentis post longius iter incaluisset, doloresque a lumbo dextro per funiculum spermaticum ad testem declinassent,

pulsusque valide vibrarent, a medicis venæ sectio imperata est, et omni modis in lecto quies; supervenitque non ex infimis chirurgus, qui eum tumorem ab hydrocele esse aperte declaravit. Demum medici cum quidquam viscidi, aut glutinosi in sanguine detracto se animadvertisse autumarent, datis *Plenkii* pillulis, simul illiniri totum ægrum ex mercurio præceperunt. Hæ inunctiones non solum ad testis incrementum, sed etiam ad renovandos dolores circa lumbos, pelvim et scrotum contulerunt. Quare judicium petitum est a magni tunc nominis professore, qui herniam aquosam recognoscens pro tantorum malorum causa, effundendam esse aquam existimavit; proindeque instituta ab eo punctione præter aliquot sanguinis guttas nil amplius distillavit.

Irritatio, quæ a punctim sauciato testiculo nata est, eundem expandere in triquetram molem; dolores ciere ad lumbos utriusque lateris, ad femur dextrum, ad testem tam stando, quam cubando perrexit; donec visum fuit nullum aliud præsidium superesse, quam testis præcisionem, quæ 10 augusti peracta est, exemptoque sexdecim unciarum schyrro, alligatisque quatuor vasis sanguiferis, funiculus perbrevis intra scrotum conditus est.

Hilari, tranquilloque animo sustulit incisionem æger, atque post horæ intervallum penitus conquievit. Testis per longitudinem dissectus exhibuit primo carnem quamdam spongiosam, tum aliam duriorem, demum pauxillum lymphæ flavescentis versus apicem testis majorem.

Tunicæ erant crassissimæ, atque ita comparatæ, ut patentissima esset divisio tunicæ vaginalis, et albugineæ testi propriæ, quibus interjacebat stratum cellularis telæ ab effuso sanguine nigrescentis. Vaginalis communis nil fluidi continebat.

Tertia die accenditur febris, ad meridiem calor augetur absque frigore, aut sudore, aut urinæ mutatione; oræ vulneris tumescunt. Die octava febris intenditur cum anhelitu, delirio, calore urente, pulsu rigido, vibrante. Evomit biliosa; per tussim feruntur sputa viscida, pauca; oculi flavescunt; ardet cutis genarum, corporis et lingua. Nox turbatur a delirio et sudore; puris loco paucum seri, urina crocea cum subsidente muco fluit. Die undecima vibrante pulsu, rubente vultu suspiriosus tussit cum vomituritione; anxius femora dispergit, hinc ex cruralis arteriæ ramulo sanguis exundat; sistitur circumducto filo. Post quæ vires dejiciuntur; flavescit corpus; voce rauca, pulsu formicante tendines agitantur; urina demittitur crassa; et stomacho mœrente epigastrium intenditur cum sonitu. His perstantibus proximæ mortis signis, et accedente oculorum protrusione, ingestorum vomitu, singultu, hypocondriis dolentibus tumidisque, extremis sudore frigido perfusis, homo decessit 13 ab operatione die. Cadaveris secandi facultas facta non est.

Hydrosarcocele ab ictu.

Juvenis annorum fere viginti bubone venereo affectus tribus abhinc annis, atque ob eumdem articulorum doloribus, simul et a tumentibus circa

collum glandulis vexatus, mercuriali, ut ajunt, curationi se subjecit. Die 16 martii 1785, cum forte super dorsum cecidisset, impetum omnem in dextrum testem confluxisse persensit, qui intra mensem cum dimidio duplo altero major factus est, cum indolentia figuram ovalem retinens. Tangenti non eam offerebat duritiem, quæ schyrro propria est, sed quamdam mollitiem, et lævitatem, quæ incipienti herniæ aquosæ comunis est.

Præscribitur decoctum altheæ cum quarta grani parte sublimati corrosivi cum lacte hauriendum. Scroto cataplasma ex farinis, dein vesicatorium injectum est, quo exsiccato, emplastrum ex atropa belladona juxta formulam *Spielmanni*. Nullo a cantharidibus, nec ab atropa, nec a sublimato percepto emolumento, 10 maji excessit ab urbe.

Sarcocele a scrophula.

Vir quatuor supra sexaginta natus annos in nosocomium exceptus est, ob testis dextri tumorem vix dolentem, et globi majoris epidydimis duritiem. Hunc a pueritia scrophulas passum fuisse manifestabant, excepto collo, cicatrices frequentes in inguine, et supremo femore. Testis inde per plures hebdomadas lentum cœpit incrementum, dum inconsulto configere in terram palos conatus est. Exhibitum fuit kermes minerale cum cicutæ extracto, testi vero emplastrum ex belladona impositum. Dum testis dexter decrescebat, intumescere, et dolere cœpit sinister, rubere, et mollior fieri, ut in abscessum verti putares. Omissis ideo descriptis pharmacis, cataplasmata ex malvis inducta sunt cum decocto aperienti, et acetato tartari; quibus præsidiis uterque testis ad naturalem figuram et statum rediit. Eodem regimine continuato, convaluit integre, et profectus est peregre.

Sarcocele a pulmonis imbecillitate.

Abbas quidam 35 annum attingens, habitus gracilioris et irritabilis, ad venerem nimium proclivis, consilium meum expostulavit 1786. Is pulmonibus laborabat præcipue per hyemem, et tussi, viscida, et parum cruenta trahenti. Cæterum inditia pravæ valetudinis aderant; caro gingivarum spongiosa, facies subflava, qualis scorbuticorum. Exponebat igitur mense decembri 1785 lumborum doloribus conflictatum fuisse, quos insecutus est testium præsertim sinistri tumor, ideoque longam ei quietem sustinere oportuit. Emollientia et sedantia pro testium morbo usurpata, pulmonibus etiam opitulabantur. Sed februario anni subsequentis præcedens lumborum dolor novam materiam in testes devexit, quæ præsidiis jam indicatis iterum discussa est. Die 2 augusti 1786 lumborum dolor per certa intervalla recurrens epidydimidem cum sociis vasis turgidiorem fecit, et quamvis homo vegetus esset, et sustentaculi ope ad 4 menses satis bene valuerit, metus tamen erat, ne appropinquante hyeme eadem sympthomata ingruerent, novamque ad testes materiam deponerent.

Perpendenti mihi modo enarrata phœnomena existimavi noxium humorem ex pulmonibus ad testes confluxisse; idque eo facilius contigisse, quod genitalia a pollutionibus labefactata, aptiora ad congestum redderentur. Qua propter ut altera in testes metastasis præcaveretur, simul ne pulmones ab contracta imbecillitate magis periclitarentur, adhortatus sum, ut fonticulos aperire sineret in femoribus; frictionibus mane, et sero uteretur, balneoque sensim, sensimque frigidiori; tum corpus exerceret citra fatigationem, instauraretque sumpto cortice et marte, aut ex iisdem compositis.

Sarcoceles cum hæmatocele.

Rusticus septem abhinc annis hydrosarcolen a dextris patienter gestaverat, solaque scroti suspensione contentus agrestibus vacabat officiis. Evenit autem ut cum ictum in scroto suscepisset, sanguis suffusus hæmatocelem procrearet, quamobrem 8 septembris 1786 nosocomium petiit. Scrotum lanceola apertum emisit fluidum sanguineum grumis aliquot intermixtum. Punctio scroti visa est sufficere ad educendum fluidum, ideoque neglecta fuit incisio, ne sarcocele patefacta, illam præcidere necessitas postularet. Scrotum ut ut leviter inflammatum primo febrim, triduoque fluidum sanguineum dedit. Diebus, qui insecuti sunt, etsi scrotum a sanguine tumidum, et livescens esset; tamen decrescente febri, aucto per fomenta bonæ notæ pure, tumor scroti imminutus, et tunica vaginalis per suppurationem absumi videbatur. Interea dum copiosius flueret pus, abscessus in inguine dextro sine febris accessione natus est, et post biduum apertus purum dedit pus, per quod scroti plaga detergebatur, sarcoceles decrescebat, ita ut 12 novembris sospes ad suos reverti potuerit, superstite duntaxat modica in imo teste et proximo funiculo duritie, quæ in testium morbis, ut practici norunt, plerumque post cicatricem vix evanescit.

Sarcocele ab arthritide.

Sutor septem supra quadraginta natus annos kal. jan. 1787 in nosocomium admissus est sarcocele sinistri lateris affectus. Hic narrabat, se a pueritia arthritidi fuisse obnoxium, quam testabantur manus dextræ digiti intorti et reflexi. Decem abhinc annis acuta febri laborasse, devolutaque in testem sinistrum materia, abscessum fecisse, eoque inciso pus copiosius effluxisse. Cicatrice obducta, funem quemdam valde duram in scroto permansisse, eamque ad dimidii pugni molem nunc pervenisse. Hac duritie testem ipsum, ut pote ex parte mollem, veluti fluidum continentem, partim veluti cartilagineum, fuisse comprehensum. Denique postremis mensibus scrotum in anteriori parte in duos abscessus abiisse lympham gementes vel puram, vel sanguineam, ob super crescentis carnis putredinem.

His expositis cum observarem funiculum spermaticum esse integrum; omnem abesse dolorem; atque intra decennium nonnisi leves arthritidis

paroxysmos sustinuisse; ne ulterius serperet malum, satius duxi inciso scroto promere funiculum spermaticum, atque deligare ita, ut testis paullatim emoreretur. Ita effectum est, ut triduo post adstricto magis vinculo, testis excrescens penitus extinctus esset, præcidique sine damno potuerit. Exinde funiculus spermaticus a pondere liberatus versus inguen se recepit, æger vero inducta cicatrice in patrium Arlunum. Hic denuo incolumis spectandus se nobis dedit, nisi quod infirmitate stomachi interdum laboraret, dextrumque brachium dolenter moveret; quæ omnia arthritidi vaganti tribuebat.

Hydrosarcocele ab herpete.

Civi quinquagenario, cui jam diu herpes cum pustulis vultum obsederat, anno 1786 detractus est e brachio sanguis, nescio quam ob causam, sed certe dum herpes magis efflorescebat. Per id tempus, cum quædam insecta inguinibus sibi inhæsisse animadverteret, linimento mercuriali scrotum, vicinasque partes acriter perfricavit, ex quo evenit, ut uterque testis in tumorem attolleretur, præcipue dexterior. Quæ res adeo eum perculit, ut hydrargirosi se submittere pateretur, testesque ante trigesimam unctionem pristinum habitum recuperarint. Sed sub crebro ptyalismo dolores homoplatis, brachiisque irrepsere, quibus per octo dies maxillæ trismus supervenit. His visis, excitata uberius exspuitione, et purgatione alvi, et superdatis undique emollientibus, trismus quidem resolutus est, testiculus autem sinister intumuit iterum, induruitque ad dimidii pugni magnitudinem. Post quæ confluente fluidi copia in superiori testis parte hydrosarcocele extitit sine funiculi damno.

Cum æger hæc retulisset, et meum consilium postulasset febr. 1787, persuasi ut pillulas ex cicutæ extracto et antimonio hauriret; ut cataplasma ex cicutis cum farinis superhaberet, experientia edoctus, cicutam interdum adeo calefacere humorem, ut in separatos abscessus abeat, perque illos noxius humor expurgatur. Neque eum fefellit experientia; nam biennio postea adeo profecisse observavimus, ut fere restitutus videretur.

Eodem anno vocatus fui, ut inviserem equitem Constantinianum aridi habitus, annorum supra quinquaginta pluries gonorrhæis infectum, cui testis sinister induruerat. Ante multos annos testem sibi per intervalla punctim lædi animadvertisse ajebat, præcipue si longius iter, et acceleratum suscepisset; tunc enim testem, magisque epidydimidem inflari consuevisse, qui etiamsi desiderent postea, duritiem eandem semper permansisse. Anno proxime superiori tertio testem duritie, et mole auctum non amplius, ut solebat, detumuisse, postquam herpes, qui perinæum tenuerat, sponte dispulsus est. Testis, quem tunc pertractaveram, ovum pulli indici exæquans, partim duriore substantia, partim fluidiore coagmentabatur. Fasciculus spermaticus, et reliqui corporis valetudo recte erant constituta. Huic eadem remedia ac superius memorato viro præcepi, nec sine fructu.

Sarcocele a scrophula.

Medio majo 1787 octennis puer Mediolanensis in nosocomium adfertur, cui testis dexter ad suppurationem vergebat. Et abscessus per se ruptus est, tum pus moventia imponebantur; testis tamen durities eadem erat, et integumenta scroti pallide rubescebant. Hinc sciscitatus puer de morbi origine, alacriter respondit: ante tres fere menses scrotum ei tumere cæpisse, atque paullatim increvisse, seque suspicari ab scrophula eum morbum esse, cum prius abscessus in sinistro brachio ei supervenerit, cujus longa cicatrix ad oram interiorem bicipitis adhuc conspiciebatur. His cognitis, porrecta sunt puero quæ contra scrophulas juvare creduntur, atque sanato ulcere, sub finem junii discessit.

Sarcocele a schyrro.

Agricolæ testis sinister ob schyrrum exsectus est 12 augusti 1793. Die quarta febris frigore et æstu remixta supervenit; corpus flavescebat; suppuratio mali moris erat. Tum nulla præcedente causa, et febri non decedente, sanguis ex scroti vulnere copiosus manavit. Eo suppresso, noctu insequenti effudit cum novo sanguine vitam.

Hæmorrhagiæ et mortis causa fuit schyrrus suppuratus, qui incumbebat plexui mesenterico superiori, inter majorem duodeni arcum et renem sinistrum, sub pancreate et super vasorum emulgentium originem. Crassitudine ovum gallinaceum æquabat. Venæ spermaticæ nigrescentes, veluti gangræna tactæ observabantur.

Sarcocele a manustupratione.

Generosus vir sanæ constitutionis, et parentibus sanis procreatus, rei venereæ et manustuprationi deditus, convulsivis motibus primum affici cœpit, qui motus, vel agitationes a partibus superioribus, ad inferiores declinarunt, atque in nervis funiculi spermatici sinistri substiterunt. Qua propter viginti annorum circulo tensionibus et fugacibus punctionibus identidem subjacebat, parumque molestiæ si pacatus esset animus, afferebant; sed cum ob varia pathemata graviores erant accessiones, epidydimis inflabatur cum duritie, atque intra triennium eadem labe affectus testis ad ovi gallinæ indicæ magnitudinem pervenit. Itaque inito consilio, alii linimentum mercuriale cruri, femorique illinendum proposuerunt; alii decoctum hauriendum approbarunt ex duabus sarsaparillæ unciis, et duobus libris aquæ confectum, cui adjecerunt pillulas ex assa fœtida et opio deglutiendas. Sarcoceli nihil, quod irritaret, aut nimis molliret, sed cimoliam terram, aut unguentum ex minio camphoratum superdandum censuerunt. Quibus rite adhibitis martio 1796 ad vegetam deinde senectam perductus est.

Sarcocele priapismus.

Civi cuidam testiculus sinister in schyrrum mutatus, pharmacis, nescio quibus, imminutus est, dum interea penis turgescere, rigidusque fieri cœpit. Hoc sympthoma, pro legitima inflammatione habitum, evacuantibus, debilitantibus, hyrudinibus curabatur sine ullo levamine. Advocatus ab ægro ut rigentem colem observarem, corpus uretræ spongiosum, quod etiam bulbum et vasculare vocant, glandemque non esse rigidum; sed corpora bina superposita, quæ cavernosa dicuntur, intenta esse, et tumida deprehendi, et priapismum spurium concitare. Conjectanti mihi materiam sive scrophulosam, sive rheumaticam a teste ad penem fuisse translatam, præscripsi linimentum ex mercurio, et cataplasma ex cicutis peni imponendum. Quid evenerit postea, ignoro.

Sarcocele a pressione.

Agricola annos natus quinque supra triginta narravit anno 1802: testiculum sinistrum sibi extra rimam abdominis in inguine hæsisse, antequam trigesimum tertium annum attingeret, ibique nullam in functionibus suis molestiam attulisse; deinde ab incauta, violentique manu in scrotum protrusum fuisse, quam sedem ei natura præparaverat.

Hæc injuria organo perquam delicato illata effectus tristissimos edidit. Inflammatio lente progrediens invasit testem, cum molesto formicationis sensu, tumefactusque est ad eam magnitudinem, ut marsupio opus esset ad eum sustinendum, schyrrosamque indolem induens, visceribus abdominis eam labem communicavit. In hoc statu ad valetudinarium nostrum advolavit 29 octobris. Ibi animadvertimus glandulas mesenterii tumidas et schyrrosas factas, renemque ejusdem lateris vitiatum fuisse, forsitan ab nervearum propaginum a plexu emulgente cum teste consensum. Hinc nulla salutis spes, quæ brevi præcisa fuit kal. januarii.

Testis schyrrosus in pulticulam flavescentem immutatus erat; funiculus induratus. Regio iliaca sinistra fluidum sanguineum copiosum continebat. Peritonæum parieti interno abdominis agglutinatum; omentum et colon totum gangræna corruptum; stomachi et intestinorum tenuium membranæ crassiores; canalis intestinalis dextrorsum protrusus, et a magna vi putridæ lymphæ fere sepultus, ex glandulis mesenterii, reneque suppuratis et dissolutis, scaturientis. Parcreas, et lien indurati.

Nullus dubito, quin solertissimus *Maunoir* sarcocelas, quas ab atheromate et scrophula esse dixi ad fungum medullarem referendas esse censeat. Ille etenim affirmat fungum medullarem præ solidis molles partes concupiscere, et inter has testem præcipue seligere. Et ne forte fungus cum scrophula confundatur, hanc suas notas habere asserit, glandulasque invadere, quæ dum tumefactæ induruerunt, materiam caseosam continere cernuntur. Sed de nomine non disputabo: illud solum asserere velim,

scrophulas alias esse benigniores , alias malignas, non secus ac fungus medullaris; item parum differre atheroma et scrophulam a fungo sic dicto medullari, cum singuli contineant materiam vel caseo, vel glutini, vel sebo similem, vel permixtam, quæ forte a sola proportione muci, albuminisve cum phosphato calcareo, vel laminulis cellulosis confusa inter se differunt. Hæc autem omnia a congeneribus glandulis simul separari possunt; quo fit, ut si glandula major copiosius secernit, minores glandulæ vel parcius, vel agere omnino desinunt. Ablata majori glandula, secundariæ prioris officium assumunt, paullatimque increscunt morbidam materiam separando, novumque tumorem aut fungum extrudendo. Quæ res multos fefellit existimantes ab initio labem externam fuisse ab una glandula conspicua profectam, dum inguinis interiores glandulæ, lumborum, et mesenterii jampridem vitiatæ essent.

Nec *Callisenium* video (1) fungum testis adeo pertimescere si solitarius sit; nam si testis *substantia in massam æqualem*, *molliorem*, *fungi æmulam absque notabili dolore mutata fuerit*, *irresolubilem atque immutabilem esse quidem decernit*; sed non nisi mole et funiculi spermatici tensione molestum esse monet.

Verum ut a nominibus ad rem ipsam accedamus, in testis fungo excisionem omittendam esse suadet eximius praxeos cultor *Maunoir*, ejusque loco funiculum transversim truncare, vasaque supra et infra deligare, quo facto, testis in scroto relictus emaciatur servato ægrotante. Inopinatum hunc salutaremque effectum unico probat exemplo, ideoque optat ut alii experimentum capiant, quod ego, si casus tulerit, lubenter me executurum spondeo.

CAPUT XII.

DE ABSCESSIBUS SANGUINEIS.

Abscessuum sanguineorum nomine veniunt omnes illæ affectiones, quæ ab effuso sanguine, vel intra membranæ adiposæ cellulas, vel inter musculorum spatia, vel in caveis quibuscunque producuntur. Funditur autem sanguis vel ob ictum, ob vulnus, vel ob ruptionem arteriæ, venæve. Diversæ quoque indolis inflationes a sanguine per reticulum minimorum vasorum circulante suboriuntur, in quibus cutis attenuata excrescit, et roseo, vel subfusco colore notatur, nævique materni nomine a medicis distinguuntur. In his vascula sanguinea exiliora ita inter se nectuntur, et volvuntur, ut perpetuæ retis formam adipiscantur, qua propter sanguis per ea libere it, reditque, neque in grumos coit.

Sed de nævis sermo hic non est; neque de sanguine, qui ab incisa, vel rupta arteria, aut vena effunditur, qui tumorem propriis notis distinctum

---

(1) Systema chir., vol. II, § 195.

efficit. Agimus hic de abscessu a singulari, ut videtur, venularum productione et mollitudine orto, in quo sanguis ita effusus et stagnans in vasa non remeat, imo quandoque cogitur, sæpius corrumpitur, periculoque semper terret.

Hi abscessus cum duritie se produnt, initio plerumque limites habent; nec dolent, neque cutis mutatur; interdum tamen molles, interdum magis tensi apparent; non pulsant, neque febres concitant. Est etiam, ubi sub initio insolitus dolor et pungens, et stupor suboritur, atque ex parvo lente increscens abscessus sine febri, sine alia noxa, sine agnita causa exsurgit. Ubi abscessus adolevit, et rotundior est, aut magis diffusus adjiciuntur ei dolores paullo vehementiores; venæ circa eum amplificantur in varices, cutisque assumit colorem fuscum, aut sublividum. Adaucto magis abscessu, dolor interdum supervenit atrocissimus; musculi et aponeuroses distrahuntur, contra ac in cysticis observatur; sanguis, quem vascula deponunt, nunc fluidus, nunc coactus; semper decoloratus et corruptus, ut fibrosa ejus pars abscessus parieti inhæreat; atque inveterato malo, ossa etiam vitiata esse deprehenduntur. Hujusmodi abscessui, si maturantia imposueris, non transit in suppurationem, neque incensio, aut pulsatio excitatur, imo potius febris succenditur; contra si a medicamentis desistitur, malum modice sublevari videtur. Quod subtus fluctuare percipitur, fallaces notas dat puris, aut saniei conclusæ; nam, incisa cute, erumpit sanguis aut dilutus, aut subniger, quod cum summo periculo fit, nam gangræna protinus vulnus invadit. Est etiam ubi febris accedit longo post incisionem intervallo, quæ pessimæ notæ est; nam vel latentem noxam, quæ tunc se pandit; vel humorum cursum perverti indicat.

Omnes ferme corporis partes, quantum ex observationibus nostris colligere licuit, abscessibus sanguineis obnoxiæ sunt: veluti caput, palatum, lingua, guttur, alæ, mammæ, digiti, imus venter, ovaria, cervix uteri, scrotum, femur, crus et pedes. Duas tumoris sanguinei in capite relatas video observationes a cel. *Carolo Gaspare Siebold* archiatri olim principis Wirceburgensis (1). Tumor in trium mensium puero situs erat in regione ossis bregmatis, et occipitis sinistrorsum. Mollis erat, subrotundus, non dolens, et fluctuans, naturali colore, quem ab utero gerebat. *Siebold* a disruptis vasis sanguinem manasse existimavit, eo quod mater, priusquam pareret, per aliquot hebdomadas lecto se continuit ob pelvis et crurum cruciatus. Hunc opportune discussit fomentis ex herbis aromaticis vino generoso incoctis.

In altero puero ante sex dies nato tumor erat magnus, a margine frontis ad occiput protensus. Partus difficilis fuit, atque obstetrix affirmabat fœtus frontem contra pubis ossa valide impactam fuisse. Auctor inde judicavit multum sanguinis sub epicranio effusum fuisse, quem sacculis cæphalicis

(1) Chirurgisches Tagebuch. Nürnberg 1792, obs. XVI, XLIV.

ex herbis, vino, sale ammoniaco confectis, et arctiori vinctura resolvit. Tumores aquosos in recens natis propendentes describit *Ruyschius* (1).

Job a Meckren (2) meminit tumoris sanguinei ad palatum, ex quo inciso effluxit sanguis calidus, purus, rubicundus magna copia. Clauso vulnere, intumuit denuo; et iterum apertus sanguinem ardentem, acremque impetuose projecit, ut linteo combusto hæmorrhagiam sistere cogeretur. Ulcus autem non prius consolidatum est, quam fragmentum ossis palati separaretur. Sedem arteriæ, et venæ palatinæ indicatam videbis in *Sculteti* Armam. chirurgo (3).

Quam variis et multiplicibus modis vitiari possit glandula thyroidæa facile intellexerit qui *Morgagnum* (4) perlegerit. Notavit enim ille glandulam schyrrosam interdum evadere; constareque modo ex substantia carneo-fusca, interjectis albidæ carnis particulis, modo ex cysti spissum flavumque humorem concludente, aut viscidum bili similem; aut rubrum obsoletum; aut corpuscula fere ossea; aut vesiculas muco plenas. Ego etiam inter alios juvenem dissecui, cui dexter glandulæ lobus durus materiam flavam continebat: sinistrum sanum reperi. Sed inter duos lobos in ipso glandulæ isthmo tertius lobulus apparebat a fluido valde fusco distentus. In viro lobus dexter thyroidææ turgebat in modum intestini crassi, utpote substantia alba, compacta, granosa et lapidea infartus. Anno 1791 cum virum testiculi schyrro defunctum dissecarem, animadverti a glandula thyroidæa multo crassiore facta sic amplexatum fuisse laryngem, ut ferream equi soleam repræsentaret. Dexter lobus durum concrementum, sinister steatoma ostendebat. Tertius tumor haud æque magnus a prioribus sejunctus sinistrorsum jugulari venæ interiori applicabatur, ex cujus cysti fere carnea prodiit fluidum sanguineum. Quartum ejusdem indolis tumorem reperire datum fuit pone peritonæum, postremis dorsi, et reliquis lumborum vertebris incumbentem, qui certe inter illos annumerandus erat, quos *Severinus* muco-carneos nuncupavit. Neque ab eo discrepabat testis vitiati substantia, quæ partim mucida, partim carnea, ab interpositis caveis aut cellis distincta, lympha subcruenta distentis.

Sed hæc vulgaria sunt vitia: transeamus ad ea, quoniam de iis sermo est, quæ ab expanso sanguine fieri dicuntur. Consulebatur per litteras *Valsalva* circa hujusmodi tumorem (5), quem, ajebant, esse magnum, globosum, mollem, non variciformem, fluidumque intus continentem, non pulsantem, imo pressum evanescentem. Hunc a loco, quem occupabat, et alio fere simili exemplo doctus *Valsalva*, a venæ occipitalis ruptione ortum fuisse censuerat. Exemplum autem præbuit ei tumor in collo, quem a jugularis venæ internæ ruptura ortum fuisse post ægri mortem comperit.

---

(1) Cent., obs. chir., 52, fig. 45.
(2) Obs., cap. 57.
(3) Obs. 24.
(4) Epist. anat. XVI, XXIII, XXVI. — De sed., ep. L, n.° 31 et seq.
(5) De Aure humana, cap. IV, n.° 8.

Hinc opportune significavit *Morgagnus* (1), *Valsalvam* sanguineorum proprie tumorum nomine intellexisse, aneurysmata, et varices, et tumores quosdam cum rupto venæ alicujus trunco communicantes, effusumque ex eo sanguinem continentes. Horum postremorum autem signa præter globositatem, esse naturalem cutis colorem, et fere livoris, et pulsationis absentiam. De hoc postremo genere tumorum multæ extant observationes: et *Morgagnus* inter alios (2) sæpius alterum, vel utrumque glandulæ thyroidææ lobum cruento humore turgere vidit, modo membranaceis cellulis concluso, modo cysti ovali contento. Nonnunquam etiam visum est ei ex cavea sanguine redundante viam esse in vasa sanguifera, aut certe multa vasorum, quæ sanguifera videbantur, orificia in alterutrius lobi substantia deprehendit. Hæc fere collineant cum *Petiti* historia (3), qui pertusa acu triquetra bronchocele, cum saniem eduxisset; postea in caveam sanguis multus confluxit, ut opus fuerit caveam per incisionem patefacere, eximere grumos, et plumaceolis aqua styptica madidis sanguinem coërcere. *Severinus* quoque (4) in bronchocele pervasta cujusdam Subalpini grumos ingentes sanguinis undique circumfusos cum quibusdam carunculis se offendisse scribit.

Præter venarum læsiones, in thyroidæa præcipue, vasis cujusvis generis refertissima, nonnunquam arteriæ quoque male afficiuntur, atque valide micare persentiuntur, ut aneurysma adesse crederes. Inter primos fortasse *Albucasis* (5) meminit bronchocelis pulsantis, dum ejus species enumerat; inquit enim: « Et modus alter est similis apostemati, quod fit ex nodatione arteriæ ». Quod repetit *Freindius* (6) distinguens bronchocelen in id quod naturale est; et in id quod accidentale. Primum genus tractari non debere, ait; secundi duas esse species, quarum una crassam comprehendit materiam; altera aneurysmati similis est. *Severinus* etiam memorat (7) bronchocelen sanguineum pulsantem, sed post mortem tantum observatum, neque apparet diligentius in eum inquisivisse.

Interim tamen non desunt observationes bronchocelis non sanguineæ feliciter curatæ. Ita *Heisterus* (8) habet curationem tumoris cystici gutturis non pulsantis, quæ peracta est ope setacei, ex quo manavit copia liquoris subfusci, qui tumor directionem prius tracheæ mutaverat, et æger difficulter respirans, difficilius deglutiebat. Ita *Petitus* (9) lupiam varicosam, quæ, postquam secta fuit, ex tota superficie sanguinem profundebat, feliciter extirpavit.

---

(1) Epist. anat. XIII, n.° 4.
(2) Ep. anat. IX, n.° 39.
(3) Œuvres posthum, t. I, p. 215.
(4) De novissime obs. abs., c. VI.
(5) Chir., c. XLIV.
(6) Hist. med., ubi de *Albucasi*.
(7) L. c., cap. VI. — *Fallop.*, Tract. de tumor., part. II, c. 17.
(8) *Haller*, Disp. chir., tom. V, p. 431.
(9) L. c., tom. I.

Pauciores sunt scriptores, qui de abscessibus sanguineis in reliquis partibus mentionem injecerint; nec video qui hypoglossin sanguineam notaverit (1) quæ cæterum varia continet deglutitionem impedientia, aut ovi albuminii similem humorem; aut materiam firmius induratam (2) ut ferramento candenti opus sit; aut gypsum, vel calculos, quæ proinde cum sponte perraro rumpatur, aperiendam esse suadet *Heisterus*.

Abscessus sanguinei sub ala solam figuram dedit *Severinus*, nec descripsit, neque dissecuit. Quod *Amatus Lusitanus* (3) tradit de aneurysmate sub ala male curato, mallem potius ad abscessum sanguifluum referre, quam ad arteriæ axillaris ruptionem. Ill. eques a *Scarpa* (4) semel tantum se observasse affirmat sanguineum alæ abscessum, similem fere delineationi quam dedit *Severinus*. Tumor elasticus quodammodo erat sine pulsatione, venis turgidis, doloribusque acerbissimis stipatus.

Non semper detegi possunt fontes e quibus sanguis scaturit non solum in tumoribus externis, sed etiam ubi in caveas internas profunditur. Sic *Morgagnus* (5) observationem habet viri ex dysenteria defuncti, in cujus thorace sanguis non paucus, etsi nulla viscerum læsio comparuerit, repertus fuit. Altera est de viro, in cujus cavo thoracis cruoris quamplurimum repertum fuit, etsi præter aortæ aneurysma non ruptum, cæteræ quoque partes nec minimum læsionis, unde sanguis ille propullulasset, vestigium prodiderint. Similia exempla habet cel. *Joh. P. Frank* (6): primum doctoris medici, cui sublevando immane pondus dolor in pectore obortus est, et vitæ finem imposuit. In cavo dextro thoracis sanguinis nigri uncia una cum dimidia stagnabat. Nullum in vasis majoribus vitium, aut signum aneurysmatis, vel varicis repertum fuit. Alterum est juvenis Helvetii, cui post febrim testis intumuit incaluitque; sed dum tumor per cataplasmata subsidebat, aucta per noctem anxietate, respiratione suspiriosa et difficillima miser animam efflavit. Præter sex circiter sanguinis sinceri, fere coccinei in dextro thoracis cavo fluitantis uncias, nihil quod a debita partium constitutione recederet, detexit. Unde cruor effusus illuc venerit, incassum inquisivit.

Sed ut ad gutturis tumores redeamus, quos bronchocelas Græci vocant, et botium medii ævi scriptores, sedulo distinguendi sunt a strumis, seu scrophulis. Bronchocelis enim unica sedes est glandula thyroidæa, quæ amplificatur sive a laxitate parenchymatis, sive ab extensione vasorum, sive ab uberiori pravaque illorum secretione, quod jam notavit *Celsus* (7), tumorem scilicet inter cutem et asperam arteriam modo carnem hebetem,

(1) *Hipp.*, l. II de morb., sect. V.
(2) Obs. med., l. I, c. 52. — *Haller*, Disp. pract., vol. VII.
(3) Cent. VI, obs. 82.
(4) Trattato dell' aneurisma, cap. 5, nota.
(5) De sed., ep. XXXI, art. 14, ep. XVII, art. 17.
(6) Interpres clinicus, p. 309, 312.
(7) De med., l. VII, c. 13, edit. *Comini*.

modo humorem aliquem melli, aquæve similem includere; interdum etiam minutis ossibus pilos immistos esse. Longe autem differt bronchocele a struma, quia bronchocele morbus solitarius est, et fortuito subveniens; dum struma, monente *Celso* (1), confertim cervicem, alas, inguina, latera visceraque aggreditur, et a quibusdam hæreditario jure traduci dicatur. Insuper quia longe alius est remediorum delectus qui scrophulis medetur, et diversa facultas pharmaci, quod bronchocelen extenuat atque disperdit.

Arduum est dicere de causis quæ abscessibus sanguineis originem præbent; etsi enim nonnullæ patere videantur, pleræque tamen densioribus tenebris obvelantur, ut nonnisi selectis novisque observationibus revelari possint. Ita, ni fallor, qui in capite exsurgunt abscessus, adscribi poterunt defectui extimæ cranii tabulæ, aut ossi perforato (hist. 1); qui in gutture, amplificationi et laxitati vasorum ob terrorem, vel contentionem inductæ (hist. 3); qui in alis et digitis, diuturnæ ob varia munia fatigationi (hist. 4, 5); qui in ovariis, febribus, aliisve morbis male judicatis (hist. 7); qui in scroto, laxitati vasorum ob senium, vel immodicum laborem (hist. 8); qui in lumbo, compressioni cuicumque (hist. 9); in coxa, arthritidi (hist. 12); in femore, a concussione (hist. 13); item in femore et genu, labi internæ (hist. 15, 16); qui in crure, nixui, aut partium distractioni (hist. 18, 19), demum qui in crure, labi internæ non cognitæ (hist. 21, 23, 24).

Quæcumque autem sit remota horum abscessuum causa, certe proximior in vasorum sanguineorum systemate est quærenda; hi etenim abscessus nunquam rutilum aut spumantem sanguinem ferunt, neque pulsant, neque eas sedes ut plurimum tenent, in quibus aneurysmata oriri videmus, si excipiantur poples et alæ. Sed in poplite semel tantum vidi hujusmodi abscessum sanguineum. Dum alæ innascitur, notæ, quibus dignoscitur ab aneurysmate, fere desiderantur. In gutturis autem abscessu pulsante manifesto vitiatam arteriarum conditionem reperimus, ut labes a turgente glandula, a turgidioribus et reticulatis venis, et ab arteriis extra propulsis complicata fuisse videretur, ex quo conjicimus sanguinem per vasa meantem per arteriolas, simul et per venulas profluxisse. Hinc dignum esset inquirere, an per diapedesin, aut diæresin sanguis effundatur: scilicet an fila vel fibræ, quibus vasorum tunicæ intertexuntur, ita secesserint, ut contentus humor ex eorum rimis exsudet; an vasa omnino disrupta sint, aut erosa, per quæ sanguis in aliena spatia transcurrat; an demum ob hiantia et rarefacta vasculorum ostia lente transeat ex minimi ordinis venulis in spatia cellularis membranæ. Certe *Scarpa* affirmat, aquam, quam per truncos majores brachii injecit, per innumera erosorum vasorum ostia effluxisse. Id quod nos etiam vidimus liquorem non ex arteriis impletis, sed ex venulis modicum quidem prorupisse. Quæ si ita sunt, inquirendum denuo remanet,

(1) L. V, c. 28, art. 8.

an a sanguinis pravitate, an a solidorum vitio ita erodantur, aut labefactentur venulæ, ut sanguinis in aliena loca congestus fiat. Verum utrumlibet, sit, quod congestui locum dat, scire oportet in sanguifluis tumoribus quidquam vegetare, et in aliam præter ordinem naturam immutari. Nam et venulæ minimi ordinis numero adauctæ, et mollitudine corruptæ, adiposa item membrana in densiorem veluti gelatinam conversa videntur, ut simul junctæ et permixtæ corpus quoddam fragile, et spongiosum componant. Et profecto ex ingentibus præcipue abscessibus haud rarum est videre ejecta fragmenta aut polyporum forma, aut aliquid veluti ex teneriori placenta humana coagmentatum, et quod intus est molliusculum, et cruentum exploranti digito abradi se patitur.

De curatione diri morbi, et nondum satis investigati, pauca admodum dici possunt; nondum enim experientia, quæ tollenda sint, quæ amplectenda declaravit. Errant certe qui abscessum hujusmodi esse præcidendum, aut candenti ferro adurendum existimant; nam, præterquamquod cysti carent, in latum et profundum, si adoleverint, sic tendunt, ut penitus excepto articulo excindi non possint, vel assident partibus, quas adurere pestiferum esset. Aduri utique poterit exiguus abscessus, et parti alicui proprius; at si toti corpori communis est, vel labi viscerum conjunctus sanari non poterit. Persæpe setacea multum levaminis attulerunt, imo persanarunt, quibus adjici possunt reprimentia, quæ adstringunt, quæ vi antiscorbutica pollent, et si quæ alia usurpari, quæ morbidæ causæ adversentur. Tumores in equis facile sanatos fuisse, non facili ad explicandum ratione tradit se accepisse *Morgagnus* (1) a spectabili medico Veronensi. Veterinarius nobili equo, cui ambo crura aquoso tumore cum dolore intumuerant, corium supra tumorem incidit, et duobus vinculis constricta vena majori, hanc inter vincula dissecavit; atque ita tumores sensim decrescentes intra vigesimum diem evanuerunt. Quidni poterit ejusmodi experimentum in homine institui, vinciendo venam cutaneam ejus artus præcipuam, quæ sub tumore revehit sanguinem, obstareque ne in abscessum invehat? Aut e contra arteriam minoris præcipue articuli ut sanguis novum corpus reticulatum nutrire desinat?

1. *Capitis.*

Quamvis de abscessibus sanguineis recens natorum egerim capite X, ubi de morbis congenitis, juvat tamen ad historiam perficiendam pressius repetere, quæ huc pertinent. Horum igitur tumorum, qui in capite eveniunt, quidam molles, lati, alii sphærici, vel elyptici sunt, cute capillata integra, observanturque in infantibus facili et maturo partu enixis, persæpe alterutri sincipitis ossi incumbentes, atque ex parvulo paullatim

---

(1) De sed. ep. L., n.° 54.

increscunt ad ovi gallinacei, et quod excedit, magnitudinem. Compressi sine dolore esse videntur, marginesque quodammodo perruptos habent, ut aliquid de cranio deficere pronum sit existimare. Inciso tumore, sanguis fluidus et ater ejicitur, qui sub omnibus capitis integumentis continetur, craniique superficies denudata, aspera, et veluti erosa invenitur. Dum pus movetur, is subflavus et glutinosus est. Ampla vulnera lethalia sunt; perforare iterato tumorem, vel setaceo trajicere salubre est; præ omnibus autem præstat aromaticis, resolventibus, sive fomentis, sive cataplasmatibus sanguinem discutere.

In his qui decesserunt, antequam sanatio perficeretur, observatum est cutim pressius inhærere pericranio; ablato pericranio, totam sincipitis aream, quæ tumorem comprehendit, æquo rubicundiorem, maximeque oras ejusdem areæ rubro sanguine infici; areæ vero tenacem gelatinam superinduci ipsi ossi agglutinatam, quemadmodum in adhæsiva, ut ajunt, inflammatione contingit. Visa est interdum ipsa gelatina, aponevrosis, et pericranium sanguine perfusa. Os expurgatum exhibet superficiem asperam, hinc inde excavatam, vasculis sanguineis refertam, ex diploe emergentibus; fibras etiam osseas non paucas e centro sinuoso ad margines ejusdem tendentes. Durior menynx plerumque a superficie interiori sincipitis secedit præterquam in regione suturarum. Ab interiori superficie destillare visæ sunt aliquot sanguinis guttulæ ob laxam tabulæ interioris structuram. Ex his manifestum est, quod in hac affectione pars exterioris tabulæ desit, et quod os adhuc tenerum nondum soliditatem adeptum est, ubi sanguis ex diploe profluere non desinit.

Mense augusto anni 1807 obtulit sese mihi quædam mulier, ut hydrargirosi subjiceretur. Dolores quidem capitis, levioresque aliæ molestiæ non satis indicabant luis venereæ præsentiam. Ex colloquio cum ea instituto compertum est eam in occiput cecidisse, et duobus a casu mensibus tuberculum enatum fuisse, quod paullatim intra anni dimidium in tumorem se explicavit ovum gallinaceum excedentem. Id inhærebat sincipiti sinistro, suturæ sagittali, et occipitis ossi proximus, fere sine dolore, sine pulsu, basi latiore, tensusque adeo, ut pro eorum tumorum genere, qui tunicam habent, recognoscerem; proptereaque exurens medicamentum incautus imposui. Mollibus diutius suprapositis crusta a subjectis partibus resolvi non potuit. Interea velamenta capitis in dies magis tensa plurimum molestiæ afferebant, ut audax consilium cœperim cutem in crucis formam aperiendi, sub qua copiosus sanguis qua corruptus, qua concretus exiluit, cujus quidem ignota erat fons; sed demisso in vulnus digito, compertum est sanguinem ex profundo vulneris scaturire, et cranium lato foramine pervium esse, quod alba, mollique substantia obstruebatur: erat nempe excrescens cerebrum, quod sincipitis hiatum compleverat. Paucis linamentis sanguis sistitur; altero die sopor; tertio mors supervenit.

Sublato cranio, visum est pericranium in cystidis formam sinuatum; cerebrum a D. M. orbatum in herniæ modum exsurgere, cujus basis erat

prope sinum falciformem in laterales confluentem, ex cujus ulcerato pariete sanguis profluxerat. Sanguinis coagulati pauxillum inter cranium et menynges conspectum est.

2. *Linguœ.*

Mulier ad quadragesimum annum perducta, ante tres ferme annos quam ad me conveniret 18 mart. 1793, ad latus fræni, quod linguæ subjacet, batrachio laborabat. Quamobrem accersito chirurgo, lanceola id sibi incidi passa est, et pro viscido et salivario humore, cujus pauxillum duntaxat apparuit, sanguis per tres ferme horas ex levi vulnusculo manare perrexit. Eodem autem cohibito molestiis quidem caruit mulier usque ad februarium 1793, quia ex quadam vena veluti in varicem expansa in superiori batrachii parte conspicua, sanguis identidem erumpebat, doloresque, si modo aliquos habebat, et linguæ, et masticationis tædium compescebat. Ab insequenti mense tumor cum dolore adauctus, noctu præcipue exagitabat, cujus superficiem perreptabat vena tumidula in ramos dispertita, quæ, ut dictum est, exulcerata sanguinem nonnumquam emittebat.

Hisce urgentibus causis die 18 martii ad transversam tumoris sectionem ventum est, ex qua sex circiter atri sanguinis unciæ effluxere. Abscessus digito exploratus cysti carere visus est, hinc linamentis aridis impletus est. Vespere cum leni febre membrana, quæ linguæ supposita est, parum intumuit. Perstante illa febricula, cum capitis gravedo, et tumentis maxillæ dolor accessissent, primum alvus, deinde sanguis e vena eductus est. Proximis diebus conquievit; et licet nulla phlogosis fuerit, et membrana sublingualis subsederit; tamen molestus calor videbatur ei totam oris caveam pervadere. Aqua malvarum sæpe ore contenta repressus, dein extinctus est adurens calor, palatique membrana ad priorem mollitudinem perducta. Exterius maxilla cataplasmate ex mica panis lacti incocta fovebatur.

Decimosexto a sectione die cum vulnus fere glutinatum esset, permanente solummodo quadam duritie in ea membrana quæ sub lingua est, a raris sub lingua punctionibus adhuc defatigabatur. Hæ punctiones post mensem cum dolore recrudescentes buccarum membranam sub linguæ fræno sublevarunt, frænumque ita diduxerunt, ut ferme in duas veluti partes scindi videretur; quem recens ortum tumorem a sanguinis per venas vomitu intra membranam fuisse reor. Interea post alterum mensem batrachium quamvis molle, cedensque a dextris magis attollebatur, dum mitiores erant dolores, et vena, quæ super ejus dorsum serpebat, minus conspicua. Hoc autem non ab alia fortasse causa evenit, quam quod batrachium ad lævam nonnihil vergere cœpit, et quod urgentibus doloribus medius glandulæ thyroideæ lobulus intumescebat; tum ea colli pars, quæ dextrorsum musculo sterno-mastoideo subjacet. Cujus indoles cum spectata non esset, venarum vero maximam esse dilatationem, sanguinisque in cellas effusionem, videbatur ad bronchocelen sanguineam accedere, per quæ cum quid moliendum esset, ancipites hæreremus, maluimus ægram dimittere, quam in vitæ discrimen conjicere.

Rusticus edentulus, utraque nempe maxilla dentibus orbatus, et ascite distentus, tumorem quemdam gerebat in læva linguæ parte sanguinem identidem fundentem. Tumorem huncce sub cystici abscessus forma, atque a linguæ apice ad basim ferme protensum, et a communi linguæ membrana protectum, exterius implicatarum varicum acervus perreptabat. Foramen angustum, canino denti, si adfuisset, e directo respondens, sanguinem sincerum, fluidumque emittebat, qui a me aliisque arteriosæ indolis habebatur. Biduo postquam lecto se dedit, gravem noctu sanguinis jacturam passus interiit.

Linguæ vitium sic se habebat, ut super ejus superficiem reperent varices; intus cellularis membrana septis validis transversim distincta contineret sanguinem prope fluentem. Componendis septis, quibus areæ interjacebant, adjungebantur fibræ carneæ M. hyoglossi et styloglossi. Cæterum de morbi origine, qui ad triennium pervenit, nihil ab ægro declaratum est.

3. *Gutturis.*

Vir duorum supra quinquaginta annorum in agri Mediolanensis oppido medicinam cum laude faciens, sed negotiis nimium defatigatus circa medium januarium anni 1787 febri vehementi cum tussi corripitur. Iteratæ venæ sectiones, purgantia, bechica, ferociam quidem mitigarunt, neutram sustulerunt. Interea inter tussis impetum guttur paullatim in tumorem distendebatur. In hoc ægritudinis statu meam opem expostulavit mense julio, quem cum narrantem audivissem, quæ præcesserant, ad reliqua investiganda animum applicui. Aderat febris continua, vox aspera, defatigatio, et si prolixior esset sermo, pectoris angustia. Tuberculum primum in læva colli, dein alterum in media gutturis parte obortum, mox inter se ambo confluentia, integumenta immutata attollebant. Tota colli regio inter binos sterno-mastoideos undique indurata valide pulsabat. In medio item gutture paullo supra oram cartilaginis scutiformis mollius quid extabat basi latiore tracheæ impositum, quod non pulsabat, sed compressum anxietatem et dolorem inferebat.

Præter hæc distensio et continuus dolor erat præcipue juxta carotidem sinistram, et temporis arteriam, et quod non infrequens est, tussiendo sputa alba, viscida, tenuibus, rubentibus filis permixta excernebat. Noctu, quam interdiu magis agitabatur, et cum interpositis aliquot diebus conquievisset, pulsationis impetus imminuebatur. Sed medius tumor cum incresceret, et veluti cystim lympha plenam referret, cum spirandi molestia conjunctam, in consilium vocati sunt artis magistri, collatisque hac super re sententiis, e senioribus alter, longæ, felicisque experientiæ vir, tumorem medium, utpote mollem, et fluido turgentem, aperiendum esse proposuit, tum ut vasa sanguinea nimium distenta exsolverentur, tum ut tracheæ compressio tolleretur.

Etsi præviderem ulcerationem in ea parte innumeris vasis referta multum

tædii fore allaturam; tamen cum consilium ab omnibus probaretur, eodem die lapis causticus admotus est gutturi. Febri vehementi exagitatus, noctem tamen tranquilliorem exegit; sputa cruenta, viscida ferebantur; rigor colli minor erat. Post quatriduum crustam per medium secui, ex qua incisione nil præter sanguinis guttas haud dubie e venis profluxit. Mitiora licet universe viderentur bronchoceles symptomata, sputa tamen semper cruenta educebantur. Qua propter immisso in profundum ulceris digito, exploraturus quo tenderet, in spongiosam quamdam substantiam incidit, ex qua copiosus sanguis erupit, mox linamentis carptis, et fascia cohibendus. Postea vero quam sanguis fluere desiit, sanies decolorata, fœtensque tam abunde manare cœpit, ut cutim latius exulceraret, quæ fallacem signorum mitigationem traxit febris nempe remissioris, sputi sinceri, et cubitus levioris; noctu enim quadam e varicibus erosis prorumpens sanguis splenia, fasciasque complevit, atque per excreatum fibrosum corpusculum violacei coloris ejecit. Quies itaque diuturna non fuit; nam turbatæ noctes, dolor a nervis thyroideæ lacessitis ad cervicis nervos propagatus, tussis permolesta, sputa mixta, sanies rubescens pejora portendebant; atque altera exacta hebdomade concretionem primo polyposam excreavit, dein inter tussis impetum varicosi parenchymatis fragmentum expulit. Post hæc ulcus nigrescere, saniem fuscam effundere, et gangrænam præsto esse observabatur, atque paucæ intercurrebant horæ, quin aliquid aut concreti, aut atri sanguinis, aut etiam sanguinis sine tussi rejiceret æger. Urgebant quoque præter modum virum increscentis sinistrorsum bronchocelis distractio, et febris, et gravis anhelitus, et corporis jactatio. Sæpius e lecto exilit, et ab intento bronchocele suffocationem in proximo esse persentit. Quare tanquam insaniens splenia a collo avellit, varices fungosas lacerat, sanguinisque ad tres libras ammittit. Hoc profluvium excepit brachii sinistri œdema, virium lapsus, luteus faciei color, singultus, ulceris ariditas, angor, denique mors. Cadaveris visendi venia data non fuit.

Mulier quintum supra quadragesimum annum attingens, cum forte anno 1788 in notum sicarium incidisset, vehementer exterrita est, cujus terroris effectus haud adeo graves fuisse existimaveris, quia nullas in ejus œconomia perturbationes concitaverit, neque menstruas purgationes suppresserit. Mense augusto insequentis anni dum sub vesperam cum marito inambularet, ab aëre frigidiore perculsa protinus vocem amisit, dolorque fere ad rheumaticos pertinens, homoplatam, humerum, pectusque sinistrum prehendit. Tussicula simul infestare cœpit, sub qua veluti inflatio circa collum apparuit. Tussis vero in annum sequentem 1790 producta, mense majo sincerum sanguinem eduxit, et sputa deinceps sanguine vel coacto, vel soluto remixta quotidie efferebantur, mane præcipue et vespere,

Mulier hoc modo ægrotans, 22 julii 1790 in urbem invecta est. Huic pulsus frequens, valens, et arteria quodammodo teres; tussis arida, brevis, quæ etiam movebatur aut collum extendendo, aut laryngem manu premendo. Guttur tumidulus, mollis, subsidensque, ut in œdemate, quod

esse videbatur a thyroidæa glandula latius expansa, vel in spongiæ substantiam conversa. Larynx contrectata non pulsabat, sed, uti jam indicavi, tussim, et dyspnœam concitabat, et imposita gutturi, dum loquebatur, manu, vox per eas partes teneriores, et emollitas quodammodo permeare videbatur. Cæterum dolores, qui ab humero dextro in pectus descenderant, neque eodem loco, neque eadem vi infesti erant. His postmodum doloribus, sine ob nimium æstum, sive ob tempestatis vicissitudines, acerbioribus factis, accessere per vigilium, cibi fastidium, anxietas, persistente eadem tussi, per quam sanguinem modo sincerum, modo viscidum, ex nigro fuscum, et spumosum ejiciebat. Inter hæc pectoris et humeri dolores vehementius excruciabant; pervigilium, jactatio, difficilis spiratio quam maxime affligebant, ad quam sublevandam ingenti et profunda exspiratione opus erat. Demum accessit dolentis humeri frigus et torpor, et imbecillitas digitorum, ut apprehensa constringere non valerent. His agitata malis domum reversa mulier fato cessit 24 octobris 1790.

4. *Alæ.*

Vir annorum supra quadraginta, habitus cachetici, qui in eluendis linteis totus erat, imbecillitate brachii sinistri diutius laborabat, quam cum suscepisset dolor per totum artum diffusus, venæ sectionibus et alvi purgatione profligatus est. Triginta ferme diebus elapsis recruduit dolor, quem frictionibus, tum cineribus calidissimis depellere conatus est. His frustra adhibitis, tumor sub ala sensim, sensimque adolevit, dolore interim minus urgente. Tumor, ubi primum a chirurgis inspiciebatur, malum punicum æquabat, durior in centro, mollior in ambitu, cute integra permanente. Hirudines admotæ, et mollientia cataplasmata tumorem eo magis eduxerunt, ut spatium, quod ab homoplata ad os juguli spectat, pertinaciter compleret. Igitur, ut quid intus subesset, exploraretur, acu triquetra abscessum subalarem perforavit chirurgus, fluidique sanguinis majorem modum effluxisse vidit. Mox febricula invadit cum virium imbecillitate, et macies, et depascens gangræna; pulsus fit parvus, profundus, non ordinatus, vox rauca, facies lurida. Inter hæc massa carneæ naturæ, spithamam longa, inæqualis, ex concreta, ut videbatur, fibra sanguinis coagmentata per plagam educta est. Demum sub vehementiori febri virium jactura, saniei subcruentæ, fœtentisque profluvium, arteriæ cæliacæ verberatio oculis conspicua, brachii œdema, pulsusque exilis mortem in propinquo esse prænunciarunt, quæ evenit 24 aug. 1816.

Hujus viri cadaver dissecandi opportunitas facta est. Sublevato pectoris osse, ut moris est, mox in conspectum se dedit massa quædam trium ovorum magnitudine partim sanguinea, partim alba, quæ oræ anteriori infimi lobi dextri pulmonis erat agglutinata; cujus massæ prior pars cruoris densitatem retinebat; altera albescens steatomati propius accedebat. Tota porro utriusque pulmonis superficies tuberculis albis steatomatosis scatebat,

quorum aliqui altius in visceris parenchyma descenderant. Præterea sinister pulmo intercedente grumo sanguineo pleuræ costarum inhærebat. Pericardium uncias ferme quatuor lymphæ continebat.

Fluidum per subclavearem arteriam sinistram etiam vi quadam impulsum in abscessus caveam non penetravit, licet arterias omnes compleverit. Latius patefacto tumore materiæ sanguineæ, corruptæ, fœtentissimæ, magna vis profluxit, ex quo cognovimus abscessum hinc ad homoplatam, a qua musculus subscapularis secesserat, necrosi affectam pertingere; ligamentum orbiculatam humeri, ejusdem cervicem et cartilaginem articularem ex parte fuisse absumptas; inde sinum articuli in abscessum subalarem confluxisse. In eo autem sinu injecti liquidi quidpiam concretum animadversum est, quod ex arteriola minimi ordinis effugit; nam reliquæ abscessum ambientes, veluti thoracicæ, scapulares, circumflexæ, et axillaris liquido repletæ, quantum oculis judicare potuimus, illesæ permanserunt.

5. *Digitorum.*

Rusticus boni habitus ad nosocomium se contulit anno 1816, ut a pollicis dextri affectione, qua per menses multos conflictabatur, penitus, si fieri potuisset, liberaretur. Corporis facultates, et color, et cibi desiderium eadem erant, quæ in sano homine esse consueverunt. Unguis, qui extremum pollicem contegit, nigricabat, et a carnibus recedens, tenuior magis et emaciatus attollebatur. Digiti vero pars ima ab ungue libera, paullum aspera, ex rubro fusca, punctis carneis in papillarum modum extantibus erat interrupta. Sanies, quæ ex illo stillabat ulcusculo, fere cruenti aliquid habebat, sæpiusque linamenta et splenia puro sanguine madentia removebantur. Cæterum, si duritiem quamdam carnium exceperis, pollex pro sano haberi potuisset. Prætereundum tamen non est, quod interdum molestas quasdam punctiones a digito et brachio ad alam usque productas persenserit, ubi glandulæ sensim-sensimque tumefactæ sine alia causa induruerunt.

Hoc autem nonnisi initium atrocissimi mali fuit, quod postea sese explicavit. Nam et febris, et vigilia, et dolor; tum auctus glandularum infartus et numerus, tam ad os juguli, ad inguina, quam in cute abdominis, femorisque sic eum detinuerunt, ut de ejus valetudine jam conclamatum esset. Glandulas, dixi, obsedisse variarum regionum cutim, ut indicarem turbercula dura, parum albicantia, ferme sphærica vel sub cute, vel intra cutem enata, ubi certe vera glandulosa corpora non existunt. Doloribus noctu præcipue urgentibus, vigiliis longis accessit marasmus, fractisque viribus et animo decessit. Per incuriam sectus non fuit.

Famula ex Helvetiis culinam faciens, robustioris temperamenti, apicem pollicis dextri ad multos menses exulceratum habebat. Sanies videbatur scaturire sub ungue per totidem foraminula carnibus impressa. Dum saniei facilis exitus concedebatur, parum molestiæ digito afferebat; at ubi

medicamentorum impositione, et variatione suppuratio moderabatur, dolores pungentes, et veluti anxietas quædam digitum invadebant. Demum suppuratio, quæ nullo malagmate supprimi potuit, sponte per aliquod tempus exaruit. Quod cum ruri accidisset, protinus inflammatio sub ala exorta est, quæ in abscessum mutata multum puris dedit. Sub hoc puris profluvio, sive quod non opitularetur, sive quod malum altius visceribus insederit, febris intendebatur magis, atque inflammatio dextrum pectus corripuit, quam excepit delirium et mors in agri Mediolanensis oppido.

6. *Ovarii.*

Continens febris et valida, qua virgo annorum 24 extorrebatur, intra quartum diem soluta est, cum dextri hypogastrii regio intendi cœpit, paullatimque sic increvit, ut abdomen fere totum compleret. Interim catamenia fluebant, nec nisi duobus ante obitum mensibus emanserunt. Flavescens vultus, dyspnæa, vomitus frequens mortem antecesserant, quæ altero, quam in nosocomium recepta fuit, mense ingruit 6 novembris 1783.

Corpus defunctæ flavum erat, non tumidum, præter abdomen, quo inciso magna vis subcruentæ lymphæ exiliit, simulque apparuit tumor in globi formam subjacentia intestina comprimens, eodem anterius flavo colore imbutus, posterius albus et lævigatus. Is ovarium erat dextri lateris, quod eo usque intumuit, ut supra lineam pelvis innominatam sese extollens, hypogastrium, hypocondrium a dextris, et totam ferme umbilici regionem obsideret. Pondus erat librarum medicarum undecim cum dimidia. Superficiem ejus anteriorem vestiebat crusta durior, steatomatosa, intus diversimode striata. Totum porro ovarii involucrum valide renitens, non secus ac aortæ canalis, continebat liquidum quoddam crassius, colore et densitate minio concocto persimile. Totum hoc marsupium in duas veluti caveas discriminabatur a septo interiori medio, quod valvulæ in modum ab una ad alteram patebat. Cavearum parietibus infixa erant parva steatomata coloris subruffi. Eodem colore præditum erat omentum ad hypogastrium usque protensum, et in schyrrum mutatum ea parte, qua ovarium contegebat. Hepar pallidum, non durum; bilis pauca, decolorata. Uterus sanus, qualis in virginibus esse solet. Alterum ovarium frequentibus scatebat tuberculis calcareæ indolis, crassiorisque intestini appendices, quas vocant, adiposas in duritiem schyrrosam conversæ aspiciebantur.

7. *Scroti.*

Non infrequens est hæmatocele spontaneus scroti; spontaneus inquam, ut qui a nulla exteriori vi promoveatur. Oboritur paullatim in senibus, ideoque perquam raro increscit celeriter, nec notas habet, quibus a communi hydrocele tuto distinguatur. Dum longa plaga inciditur scrotum, evacuatur sanguis et fluidus et concretus, et superficiei internæ vaginalis tunicæ

grumi aliquot cruenti inhærent, quibus hiantia vasa obstruuntur. Per dies autem multos sanguis defluere pergit ex vaginalis tunicæ superficie; dein pus copiosius movetur, quo extenuatur æger, et ad interitum vergit. In senibus plaga prompte gangrænam concipit, et plerumque occidit.

8. *Lumbi.*

Figulo triginta annorum, exeunte decembri anni 1807, innatus est parvus tumor in regione ilei dextri, qui cum non indolesceret, neque cutis vitiaretur, neque muneribus obeundis officeret, neglectus est, donec ad ampliorem molem pervenit. Tunc phlebotomi consilium arripiens, qui herniam abdominis judicavit, subligaculo tumorem constrinxit, qua pressione excitati dolores, auctusque præter modum congestus, eo adduxerunt hominem ut vincturam abjiceret. Attamen tumor quamvis a pressione liber increscere et intendere se perrexit, ut a costis spuriis ad oram ossis ilii et lineam albam abdominis porrigeretur. Cum per tres menses anxius conflictaretur, demum chirurgis sese commisit. Tumor in globos tripartitus erat, cutis ntenta, pressus indolescebat, atque fluidum subtus esse indicabat, neque ullo modo pulsabat. Vana fuit investigatio causarum, quæ tam immanem tumorem produxerant: id unum ab homine accepimus, se nunquam antea ægrotasse.

Pridie kal. aprilis 1808 trium chirurgorum inito consilio, decretum fuit acu triquetra perforare tumorem, ut fluidi conclusi indoles innotesceret; sed præter aliquot sanguinis guttas nil aliud effluxit. Hinc materiam intus hærentem densiorem esse, et fortasse steatomati similem judicantes, quam ut per angustum foramen defluere posset, statuerunt longa incisione tumorem aperire. Qua peracta, plurimum sanguinis eductum est digitis, pars fluidi, pars concreti, pars albæ contritæ substantiæ permixta, atque *fibrinæ* sanguinis quassatæ persimilis. Vulnus linamentis impletum, fascia deligatum est. Eodem die et sequentibus linteola sanguine plus minus aquoso, ex tota vulneris superficie stillante tingebantur, quæ superficies multis cellularis membranæ septis, iisque inæqualibus erat interrupta. Tertia die nox agitata fuit; pulsus deficiebant; intumuerat scrotum; plaga gangrænam redolebat. Extincto pulsu, primo diluculo diei quintæ extinguitur vita. Sectio vetita fuit.

9. *Femoris diffusus.*

Vinarius octogenario major, firma tamen valetudine, integris sensibus, ineunte æstate anni 1808 lumborum dolore afficitur, qui dolor qua arte recesserit, ignoratur. Brevi autem post tempore pes dexter tumescere cœpit, paullatimque crus et femur usque ad coxam inflatum est œdemate, albo, non dolente, non renitente, sed pondere, et artus torpore ingravescente. Hoc neque medicinis usurpari solitis, neque injecta fascia cessit, quinimo vinctura intollerabilis fuit. Urina pauca et crassa subsecuturam asciten

indicabat, quam epigastrii, scroti, artusque sinistri inflatio proximam ostendebant, quæ tamen usu digitalis purpureæ et aconiti napelli extracto, paullisper consedit, mox iterum in scroto et crure dextro reditura.

Kalendis septembris artum dextrum valde intentum, cutem rubescentem, cutaneas venas turgidas lividasque observavimus. Calor ad naturalem accedebat; suprema, eaque interior femoris pars turgidior erat, atque circum premendo totam femoris superficiem fluctuare quidquam percipiebatur, non secus ac si confluens sub musculis aliquod fluidum, femoris os circumdaret. Nec solum femur, sed crus etiam fluctuantis subtus humoris signa ostenderat.

Quamvis quæ maturandorum abscessuum propria sunt symptomata non præcesserint; tamen non levis suspicio orta est saniei sub musculis collectæ. Indagantibus quo loco, quo modo emitteretur fluidum, statutum fuit exigua sectione penetrandum esse in focum abscessus, esseque incidendum in parte femoris postica inter musculos flexores cruris duobus supra poplitem transversis digitis. Etenim diutius trahendo metus erat, ne ob nimiam tensionem pars gangræna afficeretur.

Vix forata cute, sanguis exiluit purus, eoque copiosior, quo magis ferrum altius descenderat, neque subsiliendo, sed placide ut rivulus defluendo; atque in vase receptus ad trium librarum pondo concrevit, ut æger pene animo linqueretur. Post quam sanguis spongiæ marinæ particulis cohibitus est, accessit febris cum lypothimia, pulsu parvo et recondito. Duobus, qui subsecuti sunt, diebus, pulsus validior erat, et artus dexter fervebat, cutisque intense rubens quasi ardens tangenti occurrebat. Demum pulsu variante, febri, tensione, calore urente persistentibus, savieque ex plaga gangræna corrupta defluente octavo die animam egit, cujus cadaver a consanguineis subtractum fuit.

10. *Femoris.*

Abscessus sanguine plenus incisus est anno 1790 in interiori femoris dextri parte cujusdam rustici. Sanguis, qui inde prodiit, concretus erat. Nulla vis externa antecesserat, neque morbus, ad quem abscessus origo referri posset. Cutis erat intacta, et quasdam duntaxat punctiones æger subinde percipiebat. Inciso autem, et purgato abscessu, intra tres menses, quæ rara est felicitas, convaluit.

Ejusmodi abscessum sanguifluum in adolescente nondum quartum lustrum emenso observavi circa femoris partem posticam, in quo nec dolor, nec color mutatus erat. Is ferme sex latos digitos longus, setaceo trajectus, dedit sanguinis inodori, et vini fœces æquantis vim magnam, qui deinde in materiam subfuscam conversus cum fœtore aliquo per aliquot dies perrexit fluere. Postea in tenuem saniem mutata, ad sanationem usque perduravit, quam intra mensem et dimidium recepit.

11. *Femoris.*

Vir arthriticis doloribus valde conflictatus, cujus curationem medicus frustra susceperat, febri tandem acerbiori et erysipelate corripitur, quod inguini dextro et hypogastrio incubuit sic, ut dolor totus in coxæ articulum confluxisse videretur. Femur immobile, naturali crassitie præditum extrorsus vergebat. Febris autem sine remissione exardens intra paucas hebdomadas hominem confecit.

In cavitate dextera pectoris et in abdomine nil morbidi fuit. Femoris autem dextri cum coxa junctura undique oblinita erat subruffo quodam humore, veluti a sanguine, dum ad coagulum tendit. Deterso eodem humore, cartilago, quæ femoris caput, et quæ cotyle interius obducit, abrasa inventa est; ossaque, qua parte nudata erant, aspera.

Mirum certe videri potest, quomodo tam exiguus humor articulo inhærens, tam immanes potuerit gignere dolores, nisi adjicias arthriticam labem cartilagines et ossa absumentem.

12. *Femoris cum hydrothorace.*

Rusticus annorum ad sexaginta, habitus sicci, dum autumnali tempore frumentum excuteret, ad medium sinistri femoris dolore percutitur, qui licet temperatus esset, tamen intermisso labore curandum se dedit. Apposita sunt malagmata, quæ molliunt, mox fluidum subtus hærere deprehensum est. Tunc æger nondum a febre vexatus in nosocomium illatus est 28 octobris 1789. Tumor latus, mollisque, cum intenso cutis colore indolebat. Re perspecta naturæ ordinem quodammodo immitaturus quatuor locis punctim abscessum aperui, ex quo mox sanguis dissolutus et continenter sequentibus diebus effluxit.

Die 5 novembris exiguæ incisiones primum indolescere et rubere, dein in lividum et nigrum colorem mutari, scilicet gangræna affici cœperunt. Protinus æger mutato cubili, et datis intus et foris, quæ adversus gangrænam sunt, medicamentis, fere servatus videbatur, remanente ob emortuam cutem ulcere satis amplo. Verum post kalendas decembris febri, cum modica tussi, laterisque dextri dolore corripitur. Huic vesicatoria, oxymel, kermes opposita sunt, quibus etsi dolor et tussis sublevarentur, tamen eadem symptomata identidem cum quodam impetu intercurrebant, dum interea ulcus purgatum implebatur. Sed ante medium januarium anni 1790 idem ulcus subito expalluit, cum vehementior febris cum dolore denuo urgeret. Et dolor quidem jugiter primam sedem tenuit; sputis viscidis, tussi sicca, pertinaci, pulsibus frequentibus stipatus. His malis signis pressus homo cum stertore vitam finivit 20 januarii.

Reserata thoracis dextri cavea exhibuit ingentem aquosi fluidi copiam, totum circumquaque pulmonem ambientem, preterquam ubi lateris dolor vexabat, ibi enim pulmo veluti pleuræ accretus erat, sed non proxime;

quia spatium inter utrumque purulenta materia scatebat, quæ a dissoluta forte *crusta phlogistica*, ut ajunt, proficiscebatur, ab ea etenim crusta major dextri pulmonis lobus per totum ejus ambitum cingebatur.

13. *Femoris.*

Agricola sanguifluo pariter affectus tumore inferne ad latus interius sinistri femoris ad nos perductus est, cujus mali nullam causam sciscitando invenire potuimus. Intra mensem increvit tumor cum mollitie, febrique continua, doloreque inter explorandum molesto. Hunc abscessum eadem ratione curandum suscepi qua superiorem, scilicet quatuor exiguis incisionibus aperta cute, elotus sanguis cum puris quadam specie permixtus abunde manavit. Interea febris magis invaluit, gangrænamque toti cellulari membranæ induxit. Biduo antequam occumberet æger, lateris sinistri dolore conquestus est; scilicet qua parte femur ægrotabat, atque in ejus lateris cavea empyema serosum post interitum repertum est.

14.

Empyema lymphæ turbidæ pariter observatum est in sinistro pectore juvenis 15 annorum, qui sacro morbo obnoxius, dum forte procideret, genu dextrum graviter adusserat. Per menses novem, quos in nosocomio decumbendo transegit, sæpius gangræna correptus, toties liberatus est. In latus dextrum plerumque cubabat; neque interea latitantis in thorace morbi inditia aderant, cum postremis ægritudinis diebus dolor lateris, febrisque, pulsusque velox, et vires prostratæ finem vivendi fecerunt.

15. *Femoris.*

Juvenis agricola medio decembri anni 1789 calceos rudes, novosque pedibus induxit, cutisque sinistri pedis paullo supra os calcis ab ora suprema calceamenti vulnerata est: inde cutis valde irritata intumuit continuo tractu ad inguen usque sinistrum. Vulnusculum interea pedis sanabatur, dum totus femoris tumor, modica febri, et modica ad gressum difficultate stipatus, ad interiorem inferioremque ejus partem colligebatur. Is parum indolescens, parum etiam prominebat, neque cutim vitiaverat; opportunum tamen visum est abscessum incidere inter M. vastum interiorem et bicipitem, ex quo sanies loturæ carnium similis profluxit. Sanie pedetentim melioris notæ fluente, intra duos menses plaga coaluit.

16. *Genu.*

Sutor, athletici habitus, potatorque strenuus, sutrinæ vel pertæsus, vel contemptor, arti minoris lucri, majorisque tedii, illinendo nempe mercurio,

venerea labe infectis totum se dedit. Postquam per annos complures jatralipæ munere functus esset, repente acerbissimo genu sinistri dolore perculsus est, genuque deinceps in fungi articularis formam excrevit. Multi chirurgorum, quibus se concredidit, multa moliti sunt: inter quæ indicare sufficiat hirudines, linimentum ex alcali volatili, vesicatoria, fotus, malagmata ex mercurio, exedentia, lutum thermarum; quæ cum omnia supervacua essent, nil aliud superesse videbatur quam membri præcisio; hanc tamen constanter recusavit, maluitque totos tres annos doloribus plus minus acutis torqueri. Demum febribus abnormibus correptus alvi dejectionibus, tussi et corporis macrore, in asciten incidit, et mortem totius corporis cute in croceum colorem mutata 1800.

Vix aperto abdomine, lymphæ cruentæ nimius modus cum impetu prosiluit. Subtus intestina contracta, et veluti inter se agglomerata non aliter ac si ab æstu insecutæ inflammationis fuissent torrefacta, nisi quod gluten, aut lympha concrescibilis, quæ adeo frequens est in incensionibus omnino desiderabatur. Hepar quasi e sua sede propulsum, incumbebat totum ventriculo et intestinis quibus accreverat. Peritonæum insuper qua abdominis musculos convestit et viscera, solito crassius, lividique coloris, ob sanguinis in ejus cellulas transfusionem, apparebat, ut si ad signa advertamus, quibus diutius agitabatur æger, pro cronica inflammatione haberi potuisset. Genu, quod antea tumidum indolebat, octonis antequam decederet diebus, exaruit. Ligamenti orbiculati crassities et color secundum naturam erat; sed os patellæ intus cartilagine destitutum, asperum et cruentum. In ipso articulo parum lymphæ rubescentis observabatur. Synoviæ apparatus inter condylos et medium ligamentum, quod a sulco processuum femoris ad tibiæ tuber tendit, sanis similia. Condylus exterior a concreto sanguine obducebatur, qui in ea superficie cartilagine carens, scaber, et cruentus, intus in spongiam totus mutatus, extus vero osseis concretionibus hinc inde asperior factus erat.

Retrorsum in eo sinu, qui inter inferiores femoris processus est, recondebatur abscessus, per quem exeso orbiculato ligamento, cellularis membranæ corruptæ, cinereæ acervus prodibat; reliquiæ forsan adiposæ illius massæ, quæ in sano homine inter processus reperitur. Remoto cellulari acervo, foramen amplum in lata illa superficie femoris, quæ retrorsus paullo supra processus expanditur, in conspectum se dedit, quod gelatina sanguine permista obturatum in interiorem medullæ caveam penetrabat. Livescebat ea diaphyseos pars, quæ sensim in processus desinit ob sanguinis in ossis cellulas transitum. Ima pars femoris ad spongiosam mollitiem redacta, vel sulcis, vel foraminulis inter rubentes ossis fibras exasperata cernebatur. Cæterum nec ligamenta, nec periostæum sic immutata erant, ut in fungo articulari animadverti solet.

Ab expositis rebus conjectari licet, ex inflammatione medullaris membranæ ortam saniem laminas osseas vitiasse sic, ut sanguis putrefactus ex medullari in articuli cavum projectus cartilagines et ex parte ligamenta absumpserit.

17. *Poplitis.*

Civis Mediolanensis, quinquagesimum annum attingens, tumores aliquot molles, non dolentes, in sinistro poplite, et vicinis partibus gerebat, qui dissecti, sincerum sanguinem fuderunt. Alii postea tum in postica, inferiori femoris parte, tum in superiore cruris superficie tenus apparuerunt, singulis remediis pertinaces, quos itidem incidere oportuit. Ulcera, quæ inde nata sunt, modo suppurantia, modo glutinata, modo recrudescentia ad duos et dimidium annos traxerunt, donec calendis julii 1808 plenam valetudinem receperunt.

18. *Suræ.*

Vir Bustensis, ad quadragesimum fere annum provectus, anno 1800 dolore extemplo percellebatur in suræ sinistræ medio, cujus ipse causam ignorabat. Præter dolorem tota sura paullatim tumefacta est, ut muniis obeundis impar esset. Malagmata sive quæ resolvunt, sive quæ ad maturitatem ducunt, non profuere. Eadem forma tumor, eodem colore cutis servabatur: subtus fluidi sonus, veluti cancellis cellulosis intercepti percipiebatur. His cognitis, ne tempus tentaminibus supervacue tereretur, setaceo suram trajeci, quod magnam lymphæ sanguineæ vim e duxit. Interjectis aliquot diebus, accedit febris, suppuratio promovetur ea copia, ut communem gastrocnemiorum membranam, et tendineæ portionem absumeret. Decedente febri, et pure melioris notæ fluente, truncus artusque superiores molestis quibusdam doloribus afficiuntur, qui camphora et opio sedantur. Tandem post diuturnam suppurationem, glutinato ulcere, Bustum profectus est junio 1800. Rediit 25 octobris ut ulcuscula, quæ in crure erant renata, sanarentur, obtentaque cicatrice, Bustum repetiit.

19. *Cruris.*

Juvenis 20 annorum, habitus phlegmatici, cum ruri esset mense martio 1801, et palmitibus colligandis totus intentus esset, repente dolore corripitur in dextro crure, qui postea in tumorem album, durum, latumque in interiori cruris latere excrevit, moxque a capite tibiæ usque ad magni tendonis origines defluxit Mense martio igitur ad nosocomium advolat. Tumoris durities fere lapidea, emollientibus partim discussa, pars in suppurationem versa est. Ampla incisione facta, purus sanguis fœculentus vix fluidus exiit, ejusdemque naturæ exire perrexit, donec pus concoqui cœpit; quod deinde tanta copia manavit, ut bis deligare ulcus oporteret, et maciem propemodum induceret. Tandem resoluta penitus duritie, et viribus per analeptica refocillatis, ulcus coaluit.

20. *Cruris.*

Viro diuturna scabie infecto anno 1785 adjunctus est tumor, nec dolens,

nec inflammatus, ad fibulæ sinistræ caput, qui incisus dedit sanguinem densiorem, coloris obsoleti puris globulis intermixtum. Expurgato per multos dies sanguine, sanies cœpit fluere, tum ulcus indolescere, et oræ ejus tumefieri, atque crus contrahi cum gangrænæ periculo. Postremo in corporis maciem, alvi fluxum et febrim, cum tussicula incidit æger, ex quibus mors secuta est altero post cubitum mense.

21. *Cruris.*

Agricola annos natus quinque supra septuaginta vegeta utens senecta, et facetiis propinquorum animum exhilarans, anno 1793 per dies complures vexatus est dolore haud modico circa suram cruris sinistri, quæ paullatim intumuit, coloremque ex fusco flavescentem ad pedem usque contraxit, ut videretur scorbuticæ affectionis inditium esse evidentissimum, licet cætera deessent. Tandem post mensem fluctuantis humoris quidpiam in exteriori suræ parte deprehensum est, ibique ex incisa cute merus sanguis fuscus, non fœtens, vix fluidus prodiit. Plaga profunda erat inter musculos solæum et geminos, quæ aliam parare viam coegit sanguini, et puri, dividendo posterius musculos gastrocnemios; nam quoties deligabatur, sanguinem corruptum plaga demittebat, quo etiam lectus fœdabatur; nec nisi post octonos dies puris vestigium circa ulceris oras apparuit, brevique in serum subfuscum ex profundo ulceris sinu promanans, mutatum est, in quo fibulæ suprema pars late corrosa conspiciebatur. Quæ labes cum corrigi non potuerit iis, quæ vel ad avertendam corruptionem, vel ad excitandas vires valere dicuntur, intercedente pulsu molli, parvo, vario, lingua arida, hominem rapuit.

Hepar ordinariæ molis, livescentibus lineis notatum, parenchima molle sic, ut levi contrectatione laceraretur. Bilis pauca, lutea; intestina vacua; glandulæ mesenterii humore sublivido suffusæ; glandulæ inguinales internæ atro sanguine repletæ; vasa cruralia sana. Inter femoris musculos sartorius, triceps, vastus uterque macerati et lividi. Pus album in genu articulo concoctum, sursum inter fibras musculorum tibiam attollentium penetravit. Hujus juncturæ cartilagines albæ quidem erant, sed hinc inde abrasæ; cruris vero musculi omnes gangræna tacti, abscessusque præter magnam gastrocnemiorum, et fibulæ supremam tibiæ partem, proximam etiam absumpserat.

Cum vir iste permagna bronchocele donatus esset, illam dissecandi desiderium nos impulit, vidimusque thyroideæ glandulæ lobum sinistrum in tres veluti lobulos, aut loculos dispertiri, quorum unusquisque rubente materia non tamen fluida, magmati boli armenæ simillima repletus erat. Magma illud in altero lobulo, qui propterea vetustior videbatur, fere aridum; minus siccum in altero, qui prope erat; in postremo manifeste fluidius. Cavea uniuscujusque lobuli septis cellulosis interstincta erat. Lobus dexter, qui unicam caveam habebat, eadem pultacea materia turgebat.

22. *Tibiæ.*

Puer annorum tredecim in aëre salubriori degens in nosocomium importatus est 26 augusti 1794. Ille affirmabat nobis tumorem, quem ob oculos habebamus, intra mensem tibiæ sinistræ succrevisse. Mollis erat quidem, sed latius in interiorem cruris partem extensus, qui sine mora apertus plurimum meri sanguinis tum fluidi, tum concreti dedit; sinceri puris nunquam dedit; sed vel saniosi quidpiam, vel sanguinei inter deligandum excernebat, cui ulceris color respondebat vel cinereus, vel fuscus. Tandem os nudum se ostendit, idque multis locis asperum. Præterea caro mucida, lardo affinis ex inæquali superficie increscens febrim, et, quoties deligabatur, dolorem haud modicum excitaverat. Qua propter ne homunculus macie conficeretur, ex medio femore crus ei sinistrum amputatum est.

Adiposa exsecti cruris membrana multam lympham continebat. Musculi sani, præterquam circa ulcus, ubi in fungosam carnem abierant. Hujusmodi caro ex tota tibiæ anteriori superficie pullulabat, eique hinc inde bracteæ quædam osseæ inæquales, tenuesque inhærebant, ab errante veluti osseo succo depositæ. Tibia ad epiphysin superiorem confracta, ubi frustum penitus mobile a diaphysi secesserat. Os purgatum cum diligentius inspiceretur necroseos notas exhibuit, nam cortex exterior ob asperitates et succi ossei inæqualem concretionem regeneratus fuisse apparebat, dum interior extinctus in bracteam satis longam, mobilem conformatus a priori cortice includebatur.

Hujus pueri ulcus ab amputatione natum nondum erat consolidatum 6 martii 1795; etenim saniem multam et sanguinem identidem fundebat, quæ tandem linamentis spiriti vini fortiori imbutis suppressa fuit. Sed jam tumor alter obortus erat in inferiori anteriorique dextri femoris parte, molliusculus, et cute non mutata fluctuantis subtus materiæ copiam ostendens. Hic sponte apertus, dedit saniei et sanguinis simul remixti quantum vix credi potest. Credi autem facile potest puerum febribus et longa suppuratione consumptum obiisse 20 aprilis.

Femoris dextri extrema utraque sana; etenim epiphyses, et cartilagines articulorum secundum naturæ leges dispositæ observabantur. Ossis diaphysis a periostæo nudata demonstrabat, inter illud et femur abscessum natum fuisse. Os certe huc illuc foratum, et osseis germinationibus veluti stalactitibus refertum erat.

23. *Cruris.*

Abscessu istiusmodi sanguineo laborans rusticus habitus cachectici annos natus ad triginta sectus est 1 aug. 1795 coram cl. *La Combe*, medico Lausannensi, aliisque compluribus artem medicam profitentibus. Is febri primum, nescio cujus indolis, certe non vehementi, et vagis doloribus conflictatus, in valetudinario medico aliquamdiu decubuit. Postea cum remittente febri, doloribusque, crus dextrum ei cum tensione et cruciatu intumescere

cœpisset, in nostrum conclave deportatus est, ubi vix duas hebdomadas supervixit.

In vivente adhuc homine hæc notavimus: crus dextrum totum a genu ad pedem tensum inflatumque; ad tibiæ angulum anteriorem livescens macula profundior paullo, et latior, quam solet, observabatur; atque si manu tibia vel sura contrectaretur, surdus in toto crure dolor mire exasperabatur. Hic vir licet graviter decumbens, cum impetu quodam sese erigebat, quoties deligabatur, spectaturus quid cum ipso ageretur. Denique, quo decessit die, alvum aliquoties præter morem deposuit, et repente exsolutis viribus, vita functus est.

Ægritudinis natura et mortis causa adhuc obscura per dissectionem prodita sunt. Pulmo uterque sanus: in dextra thoracis cavea pauxillum rubelli seri fuit. Cavea opposita continebat ejusmodi seri sanguinei, fluidique fere libram; pericardium itidem habebat seri quidpiam coloris magis flavi, quam solet, uti in sugillationibus, dum cruor dissolutus eodem colore cutem afficit. Cor molle, flaccidum; periostæum a sterno solutum, æquo spongiosius, et a suffuso sanguine rubens; intestina singula cinerea, vacua et ad corruptionem prona. Minor ventriculi arcus et incumbens ei hepatis lobus lente inflammata apparebant.

In crure majora mala: mox enim detracta cute, insolita nigrities membranam adiposam, et illam, quæ musculos continet, inficiebat, a qua musculi ipsi præsertim gastrocnemii immunes non erant; sanguis enim in spatia cellularum effusus uti in recenti sugillatione membranas et ligamenta coloraverat. Cum ad os perventum est, tota tibiæ, fibulæque diaphysis nuda conspiciebatur; periostæi enim nulla vestigia, neque ligamenti interossei, nec vasorum, quæ per illud decurrunt, supererant. Circum hæc ossa molles sanguinei grumi jacebant, musculos quodammodo ab ossibus repellentes. Nigrities integumentorum pedis ad ipsa ligamenta tarsum cum tibia committentia pervenerat. Cortex ossium cruris tenuissimus, et exiguis foraminibus præditus; tarsi pariter ossa in cribri formam redacta, et sanguineo latice redundantia, a quibus cortex tenuis et prope cartilagineus avellebatur, non secus ac assa castanea sine tædio decorticatur. Vasa sanguifera majoris ordinis vacua, non autem morbida. In reliqua ossa non inquisivimus.

24. *Pedis et mesenterii.*

Mediolanensis puer vix pubertatem attingens in nosocomium exceptus est anno 1793, 15 jun. Tumor mollis in pedis sinistri dorso prope juncturam incessum præpediebat, apertusque putum sanguinem fudit illi simillimum, qui venis continetur. Ulcus, quod inde natum est, etsi alterius noxæ in corpore latitantis nulla signa deprehenderentur, nunquam ad cicatricem perduci potuit.

Excessit e nosocomio, ut anno sequenti rediret ulcere quam antea ampliori, cute attenuata, sanie subcruenta. Demum, cum ulcus post varia

incassum adhibita coire videretur, febricula ingruit cum ventris torminibus, alvique profluvio subinde invalescente, puerumque sensim emacruit. Abdomen exploranti, præter dolorem, quidpiam renitens in umbilici regione dextrorsum occurrebat, in quod latus ægro cubare tædio erat; nec multum intercessit temporis, cum abdomen, cum mollitie et quodam substantis fluidi sensu inflatum, asciten minitaretur. Quibus signis in dies pejoribus factis, supervenit amphimerina febris, facies lurida, diarrhæa, vigiliæ, atque his confectus puer obiit 4 julii.

Pedem affectum cum primo dissecaremus, nil aliud vitii obtulit, præter cellularem membranam omnimode destructam, unde cutis summe attenuata, tum anulari, ut ajunt, ligamento, tum tendinibus, qui sub eo emergunt, tenaciter erat agglutinata. Cæterum tendines modo memorati, et vasa cruris sinistri, et reliquæ partes secundum naturæ ordinem erant constituta.

Aperto abdomine, parum serosi laticis effluxit. Peritonæum plane nigricans sese obtulit, ut diceres gangræna esse pessumdatum. Non ita tamen res se habuit; nam ab ea superficie, quæ abdominis musculis est obversa, naturalem colorem servabat: ab altera vero, quæ ventris cavum spectat, utique nigricabat, ejus quippe superficiem contegebat stratum sanguineum, densius, et sesquilineam fere crassum, non aliter quam si ab ejus membranæ meatibus sanguis exsudatus, in mollem crustam coagulatus fuisset. Id phœnomenon in toto peritonæi, qua late musculos succingit, ambitu animadversum est. Non ita se habuit peritonæum, quod intestina amplectitur: multa ibi vasa sanguinea quasi inflammata turgebant sic tamen, ut is calor non omnem intestinorum substantiam pervaderet. Hæc autem modico aëre distenta hinc inde glutinis exsudati ope peritonæo connectebantur, tanquam si nodis fuissent constricta. Hepar parvum, flavescens, prope exsangue.

Pectoris sinistri cavea, si modicum seri excipiatur, vacua dici potuisset; pulmo enim ad minimam molem redactus erat, quin aut causa, aut visceris vitium in oculos incurrerit. Vitium porro evidens erat in pleura, quæ pariter ac peritonæum gelatina quadam sanguinea erat illinita, multo copiosiore, et fusca circa mediastinum quam alibi. Pulmo dexter sanus, fere undique pleuræ adhærens.

En feralis morbi, quas colligere potui, observationes presse narratas. Exoptabit fortasse quispiam, ut quæ ad medendi methodum spectant, fusius exposita fuissent; verum in novo morbi genere molimina gravia et in ancipiti sunt. Non omisimus tamen aliqua tentamina, uti in batrachio (hist. 2), in quo præter venæ sectiones, alvique purgationes adhibuimus aurantia, cydonia, malvacea, acetum lythargirii, denique ad ulcus expurgandum modo linamenta, modo tubulum elasticum intrusimus, quæ tamen ob molestiam non diu retenta sunt. Sic in gutturis abscessu (hist. 3) sanguis sæpius emissus est, sæpius alvus ducta; dein ad aperientia, et bechica, demum ad adstringentia ventum est, uti aqua clementina, terra japonica, bolus armena, alumen crudum, gummi arabicum tum intus, tum extus usurpata; sorbitiones gelidæ, olera antiscorbutica.

In aliis non negleximus, prout res postulabat, corticem peruvianum, elyxir vitrioli, aliaque ejusmodi, quibus præsidiis vix succurrere potuimus, præter quam ubi morbus solitarius erat, scilicet ubi nec longæ febres malum habitum induxerunt, neque viscera erant labefactata. Fatendum etiam, non omnes dissectiones ea, qua opportuisset, sedulitate habitas fuisse; plures vero haberi non potuisse sive ob tempestatis fervorem, sive ob propinquorum difficultatem, sive ob locorum longinquitatem, ubi aliqui perierunt. Visum est etiam nobis sanguinem aliquando elicitum fuisse ex ossium medulla, vel a cavea ossium cylindricorum (hist. 22, 23). Qua propter me tæduit, quod opportunitatem nactus, in illa ossa non inquisiverim, neque medullæ habitum exploraverim, neque sanguinis ipsius, qui fortassis parte illa crassa fibrosa, quam *fibrinam* vocant, et quæ vinculum quodammodo est crassamenti, minus abundabat, vel secedebat a cruore, ut hic nullo negotio e vasis, e meatibus effugere potuerit. Hæc omnia perficientur ab iis, quorum ingenium et diligentia conatus nostros longe antecellit.

Jam quod in votis erat, præstitum fuisse videtur a cl. *Maunoir* in dissertatione de fungo hæmatode, ubi morbi æthiologiam et curationem accurate exposuit. Hic tumores omnes a sanguine natos sub uno ordine complexus est, scilicet nævos maternos, aneurysmata, fungos, varices, qui etsi proprie sanguinei dici mereantur; tamen structuræ, sympthomatum, et exitus ratione inter se differunt. Hinc mallem eos dispertire in quasdam species; nempe in eam, in qua sanguis tumorem faciens intra vasa propria continetur, qui tum non solus intumescit, sed potius labefactata tunica in tumorem assurgit, ut varix simplex, varix aneurysmatica, hæmorrhoides. Tum in alteram, in qua sanguis vel fluidus, vel concretus extra tubum effusus reperitur, vel ob tunicarum ruptionem, vel ob meatuum laxitatem, ut aneurysmata et sanguinis effusiones in capite, caveis et artubus observatæ; nam quamdiu sanguis per propria vasa circumfertur, aneurysma non est, nec nisi ubi sanguis extra primas arteriæ tunicas in cellulas extimæ tunicæ impetum facit et tumorem, aneurysma dici meretur. Demum in aliam, ubi tumor ex corpore reticulato a multiplici vasculorum rubrorum numero, varioque inter se nexu coagmentatus est, uti sunt nævi materni, et fungi narium, matricis, et artuum, ut plurimum maligni, cutanei et subcutanei dicti a *Maunoir*, qui peculiariter *hæmatodes* hodie dicuntur.

Cum post hanc divisionem ad curationis rationem redeundum sit, quæ sanguifluis tumoribus opportunior existimatur, scire licet in parvo nævo congenito, non dolenti, persæpe compressionem malum sustulisse; vincturam item in nævo et fungo pensili frequenter profuisse; minime vero, ubi fungi radix lata et profunda fuit. Exustio, quæ fit igne, locum habere potest, si tumor subcutaneus limites habet, nec profunde descendit. Memorandum fungi hæmatodis scapularis in matrona ita sanati exemplum affert *Maunoir* obs. 3. Quoties autem tumoris hæmatodis cutanei, vel articulum occupantis abscissio possibilis est, ea veluti efficacissima est

adhibenda, ita tamen ut omnis cellularis tela fungo adjacens, quæ mollitudinem et extensionem gelatinosam contraxit, penitus auferatur, secus enim fungi renascituri præsens periculum esset.

Sæpe vero rejiciendam esse amputationem, quia morbus non solitarius, sed generalis, aut, ut amant dicere, *constitutionalis est*, probant multæ ex nostris historiis, tum binæ cel. virorum *Jacopi*, et *Fanzago* (1). Ægrum cui Papiæ cl. *Volpi* brachium feliciter amputaverat typhus malignus abstulit. Vir alter, cui femur Patavii ob hæmatodin exsectum fuit, per plures menses languens pertinaci alvi fluxu occubuit. Utriusque cadaveris lustratio desideratur; obitus tamen utriusque non levem suspicandi causam præbet morbum fuisse *constitutionalem*.

Postremo loco commendatur eorum vasorum obliteratio, ubi proposita auxilia usurpari nequeunt, quæ nutriendo tumori inserviunt, uti ex *Morgagno* jam proposuimus. Sed hæc administratio ancipitem effectum sortiri potest, tum quia dubium est, ne circulatio capillarium vasculorum vinciendo truncos principes cohibeatur; tum quia metus est ne artus ipse una cum tumore contabescat. Neque hucusque satis probant bina carotidis ligatæ exempla (2), in quibus fungus orbitæ subcutaneus disparuisse dicitur; nam hosce tumores utpote pulsantes ad aneurysmata potius, quam ad fungos referendos esse arbitramur.

CAPUT XIII.

MORTES CITÆ.

Quamvis incomparabilis *Morgagnus* præter alios diffuse egerit de subitanearum mortium causis (de sed., ep. XXVI, XXVII), præcipue de iis quæ sanguiferorum vasorum et cordis vitia agnoscunt, nempe aneurysmata, erosiones, ruptiones; tamen abs re non erit pauca hic exempla adjicere mortium ab infrequentibus causis supervenientium, quibus opportunas adnotationes facere poterit quicunque aliis huc attinentibus observationibus instructus, rem explanare, et corollaria elicere in medicorum commodum sategerit.

1. *A casu.*

Cæmentarius annorum viginti ex altissima æde pronus in terram cecidit, atque brevi extinctus est 12 jul. 1787. Postera die livor cutis pectori dextro supertensus observatus est: ossa capitis et thoracis integra. Thorace patefacto, sanguis nimia copia effusus in dextra ejus cavea, a postrema venarum pulmonalium ejus lateris disrupta, antequam pulmonem ingrederetur, repertus est.

---

(1) Prospetto della scuola di chir. pratica, vol. I, cap. 6.
Memorie sopra alcuni pezzi morbosi, fasc. I, p. 67. Padova 1819.

(2) Transact. medico-chirur. Londin, vol. II et V.

Et hæc vena disrupta cernebatur inter radicem pulmonis et venæ cavæ superstantis confluentem. Cum vero et pleura lacerata esset, ita sanguis in ipso thoracis cavo collectus, partim in cellularem transiit, quæ venis cavæ, azygos, atque aortæ circumponitur.

Abdomen non minorem profusi sanguinis copiam exhibuit, qui ea qua potuimus diligentia inquirendo, nonnisi a liene læso exundare potuit. Hic enim ordinariæ magnitudinis marginem superiorem et inferiorem laceratum habebat, illæsa facie sima, qua brevibus vasculis stomacho jungitur. Lata vero sugillatio circa vasa illa brevia, et splenica intercedebat.

2. *A cursu veloci.*

Vir quidam plurimis distentus negotiis cum tota die anhelans cursitasset, vespere anxius et oppressus pectore intra horam vitæ cursum consumavit. In utraque thoracis cavea copiosior lympha contracta erat, qualis in gravioribus inflammationibus exsudare solet. Ut autem homo, prout accepimus, valetudinis integræ erat, ita de hydrothorace prius existente dubitandum non erat.

3. *A thyroidæa suppurata.*

Mense majo 1789 mulier præpedita penitus deglutitione, ut nec olei guttulam dimitteret, vix a nobis conspecta fatis cessit. Nulla neque in faucibus, dum viveret, neque extus circa collum tumor, aut offensio animadversa est. In demortua uterque glandulæ thyroidææ lobus mole non auctus in suppurationem versus erat; quorum dexterior, ampliorque putridiorem materiam continebat, a qua in eo latere larynx læsa conspiciebatur.

4. *A thrombo laryngis.*

Civis Mediolanensis melancholia actus ut sibi vitam adimeret, variis corporis partibus se vulneravit, vulneratusque 8 septembris 1786 in nosocomium illatus est. Ab his vulneribus, cum levia essent, brevi persanatus est. Ita convalescens, sed nimia tristitia oppressus, die quadam quasi dormiturus se lecto includit, atque cultro transversim gulam sibi ferit. Custos, qui adstabat, quamprimum lecti commotionem animadvertit, accurrit, atque necem distulit. Sanguis ex vulnere abunde profluxit; qui deligatis tribus arteriæ ramis et linamentis superdatis compressus est. Postridie moritur.

In cadavere arteriæ et venæ non paucæ, musculi item os hyoidis deprimentes, tum scutiformis cartilago superne in transversum secti erant, quin vulnus in laryngem penetrasset. Penetravit autem sanguis, qui per proximam cellularem diffusus, interiorem membranam ad epiglottidis latera veluti in duos sacculos attollebat; tum eam, quæ ventriculos convestit, et ecchymosi affectam distendebat, ut a suffocatione mors consecuta sit.

5. *A calcis ictu.*

Vir robustus equi calce percussus in dextro lumbo procubuit acerrimum dolorem accusans. Eadem die sanguis e brachio, postera ex pede detractus est, simul ad compescendos dolores opium propinatum fuit. Tertia die, cum primum eum inspicerem, ob languorem, pulsum mollissimum, deficientem, existimavi plus ei sanguinis detractum fuisse, quam oportuisset. Dolores tangendo recrudescebant, licet abdomen non inflatum, non tensum esset, neque ictus vestigium impressum fuisset. Vultus tamen collapsus, oculi concavi pessime præsagiebant, et sub vesperam turbata mente sanguinem cum vita evomuit.

Corpus extincti illico livorem contraxit, præprimis caput, brachium dextrum, abdomen. Pulmones sani: cavea sinistra lympha sanguinea referta. In abdominis cavo stercoris fluidi magna vis: omentum et intestina leviter inflammata. Porro intestini ilei ansam dextram duobus locis laceratam invenimus, tenuique isthmo vulnera erant divisa, ut videretur plicatus intestini paries transversim ab utraque parte transfixus fuisse.

6. *Ab aneurysmate.*

Proxeneta, cum in foro negotiorum causa versaretur, mense augusti 1807 ingentem sanguinis vim eructavit, et protinus extinctus corruit. Funestum casum præparaverat aortæ aneurysma thoracicæ, quod pulmonis sinistri infimo lobo sic retrorsum agglutinatum erat, accretumque, ut sanguis ab aneurysmate recta ad pulmonem transiret, cujus nec guttula sub pleura, neque in pectoris cavea est animadversa. Hic fateor, ob exæstuantem tempestatem me haud ultra partes illas singulari modo affectas investigasse; quamobrem dijudicare non potui, an aneurysmatis inoculatio per canales aëreos, an per vasa sanguifera peracta fuerit. Mihi certe suspicari licet hiantem aortam vasis pulmonis sanguiferis fuisse insertam, partemque aortici sanguinis pulmonari remixtam aliquo temporis spatio per id viscus circumivisse; sanguinem autem ab immodico calore rarefactum, atque magis a corporis exercitatione incitatum, majori copia in sinistrum pulmonem irruere potuisse, atque per bronchos et tracheam sibi exitum parare.

Hic casus in memoriam revocat observationem *Petri de Marchettis* (1). Narrat ille *Franciscum Bellotum* in Patavino gymnasio prof. per duodecim annos pulsationem præternaturalem passum in sinistra thoracis parte, noctu suffocatum obiisse. Secto cadavere, auctor caveam thoracis dextram sanguine refertam observavit; pulmonis dextri substantiam consumptam, *sola ejusdem superstite membrana instar sacculi;* qua dissecta, patuit membrana interna arteriæ magnæ prius quidem *laxata,* postmodum vero, cum *dilatationi*

---

(1) Obs. 48, pag. 94.

nullus esset locus, disrupta. Aneurysma itaque fuit in arteria magna extra cor duos solummodo transversos digitos; quo loco sanguis a sinistro ventriculo effusus, valido impulsu prius internam disrupit membranam, externa dilatata, qui, cum nullum aliud pateret spatium, intra pulmonem dextrum sibi viam fecerat.

CAPUT XIV.

DE DYSPHAGIA.

Quamquam multi auctores de difficultate glutiendi aut observationes, aut dissectiones protulerint, inter quos nominavisse sufficiat accuratissimum *Morgagnum;* multa tamen desunt adhuc sive quæ ad causas, sive quæ ad curationis modum spectant, de quo pauca admodum, aut nihil proposita legimus. Nec mirum; augetur enim difficultas morbi indolem internoscendi, quo magis morbus ipse in gulæ penetralibus absconditur; majorque emergit medendi difficultas, quo magis adversa valetudo inveteravit. Ante omnia vero oportet animadvertere tubis aut canalibus animati corporis quamdam facultatem, aut proclivitatem inesse sese contrahendi, et coarctandi, quotiescunque a stimulo, ab inflammatione, a morbidi humoris irruptione lacessiti sunt, unde eorum fibræ in contractionem actæ, parietes propellendo diametrum imminuunt, et quandoque coalescere cogunt. Ex horum numero sunt œsophagus, intestina, urethra virilis, vagina muliebris.

Duodenum, ileum præter modum constricta notat *Ludwig* (1). Colon flatibus summopere distentum, mox violentissime contractum per *stricturam colicam,* quæ ad minimum pedis longitudinem æquabat; item ileum cum cœco coalitum vidit *Van Doeveren* (2). In matrona quæ ab ortu vomitu laborabat, ventriculum, et intestina omnia, tenuia præsertim valde contracta deprehendit *Morgagnus.* In alia fœmina quæ vix aliquid ob nauseam sibi admittebat, admissumque rejiciebat, ventriculum maxime contractum et intestina quoque omnia æquo contractiora adnotavit. Demum in nobili viro tantæ alvi duritiæ obnoxio, ut nonnisi artis ope exoneraret, intestina singula, et crassa præsertim, angusta observavit (3). Intestinum rectum in parte superiori per digiti transversi longitudinem coiisse, ut vix tenuioris funiculi crassitudinem æquaret, refert *Marcellus Donatus* (4). Nos quoque vidimus non raro intestinum tenue strangulatum et repositum, strangulationis impressionem per hebdomadas bene multas conservasse. Vidimus etiam crassum intestinum post pertinaces aut cruentos alvi fluxus angustatum fuisse. Coarctatio urethræ frequentior est quam alii

---

(1) *Ludvig,* Primæ lineæ anat. pathol., p. 35. Lips. 1785.
(2) Specimen. Obs. acad., cap. III. — *Marcellus Donatus*, Hist. mir., lib. III, cap. 8.
(3) De sed. ep. XXX, 7; ep. XXXIX, 33; ep. XXXXIX, 14.
(4) Hist. mirab., l. IV, cap. X.

ejusdem canalis morbi. Sæpius a parietum proximitate angustia oritur, quæ vel longiori tractu, vel in pluribus locis intermediis deprehenditur (1). Quod non sine tædio norunt ii, qui frequentius veneri vulgivagæ litantes, ejus nectareo latice affatim imbibuntur.

Vagina naturaliter contracta a multis est observata (2). In virguncula 15 annorum, ait *Morgagnus* (3), vagina propius alterum latus uno supra hymenem transverso digito anterior et posterior vaginæ facies colligatæ erant inter se per brevem quasi institam latitudinis, et crassitudinis modicæ, ex eadem prorsus, ex qua vagina, substantia factam, ad eundemque modum rugosa præditam superficie. Sed vagina multo sæpius coarctatur, ubi post difficilem partum inflammatio supervenit; aut ubi ad cohibendam hæmorrhagiam turundæ immissæ sunt; aut ubi fœtus instrumentorum ope extractus fuit. De his alibi erit loquendi locus; interim profero *Morgagni* historiam (4) mulieris septuaginta annos natæ, quæ nupta, annisque antea non multis virum amiserat, quamque ab ultimo partu negligenter curatam fuisse autumabat. In hujus cadavere vaginam totam, excepto initio et fine, solidi cylindri instar esse, ex substantia facti, ubique pariter alba, et duriuscula observavit, ut parietes cum eo, quod includebat, continuatos, ab hoc ipso internoscere non liceret. Vagina exterius spectata nihil de sua diametro amisisse videbatur.

Nunc ut redeamus, quo digressi sumus, multa et varia esse gulæ impedimenta in comperto est (5); œsophagus enim constringitur ab ulceribus, schyrris, a polypis, a tunicis callosis, cartilagineis, osseis. *Felix Platerus* (6) septem profert observationes, aut impeditæ, aut difficilis deglutitionis, in quibus potiones non libere in ventriculum descendebant, sed circa cordis regionem subsistere videbantur, angorem et compressionem parientes. Horum alter dum supinus decumbebat, cum sono quodam, quæ hærebant, in ventriculum illabi sentiebat. Alter item, quoties carnem, aut panem deglutiebat, in ventriculi elatiore regione magnam compressionem patiebatur, quæ illum rejicere per vomitum assumpta cogebat. In sua senecta *Platerus* aliquoties expertum esse ciborum in ventriculum illabendi difficultatem fatetur. « Cum enim carnem tenaciorem, aut duriorem, vel minus incisam, aut masticatam deglutiret, in œsophagi ingressu ad ventriculum illa subsistebat, angustiam summam et compressionem pariens, quæ augebatur, si superbibendo bolum hærentem promovere vellet, donec tussis, quæ tunc maxime urgebat, concutiendo pectus efficeret, ut in ventriculum laberetur ». Hujus scriptoris nulla habemus extispicia.

---

(1) *Baillie*, Anat. pathol., chap. XIX, sect. VII.
(2) Vide *Sandifort*, Obs. pathol. *Borellum.*, etc.
(3) De sed. ep., l. 51.
(4) De sed. ep., l. XVII, 9. 10.
(5) *Ludwig*, l. c.
(6) Obs., lib. I. De transitus per gulam defectu.

Singularem refert *Stalpartius* observationem a *Jobo Bastero* medico Zelandico ipsi perscriptam (1), cujusdam nempe filiæ, cui post cachexiam deglutiendi impotentia subsecuta est. Quam cum excrescentiæ, aut glandulæ induratæ tribuerent medici, os flexile balenæ sensim fere ad ventriculum immisit nullo invento obstaculo, unde paralysin existere judicavit. Quapropter alimenta dentibus comminuta jussit lingua versus inferiora, quantum fieri posset, deprimere, atque instrumento illo manducata ad ventriculum detrudere; qua operatione continuata per annum ad vitam sustentandam, sic accrevere vires, ut solo hoc remedio a morte fuerit liberata.

Quæ per dissectionem comperta sunt gulæ vitia, a pluribus fide dignis scriptoribus narrata habemus. Præclara est historia *Tulpii* (2), qui refert, viduæ cuidam succrevisse latum tumorem ad latus asperæ arteriæ paullo supra jugulum, ut spiritum et deglutitionem impediverit. In demortua offendit tumorem adinstar carcinomatis, colore lividum, et radicibus diffusum, potissimum circa gulam, quam tam arcte pressit, ut perviam illam fistulam obturaverit. Sed magis admirationem movit arteria cervicalis tam ampla ac lata, *ut in se facillime recepisset duos digitos.*

Pleniorem descriptionem dedit *Mauchart* (3) vitii officinam digestionis afficientis. Equiso ex ictu equi in regione epigastrii sputo laboravit sanguineo. Incidit deinde in tussim catharralem, et postea in difficilem et dolentem deglutitionem cum ardoris sensu, sine ructu, sine vomitu. Subinde rejiciebat purulenta, male olentia, et extinctus est. *Intestina tenuia livida, gangrœnosa. Hepar magnum, lobo maximo gangrœnosum, in eoque vestigia vomicœ haud ita diu ruptœ. Lien friabilis, putridus; orificium ventriculi superius cinctum pluribus glandulis schyrrosis. Œsophago adhœrebat glandula ex fusco nigra, recondens materiam paris coloris tenacem, nonnihil purulentam. Œsophagus circa quintam dorsi vertebram ita coarctatus erat, et callosus, ut tenuem stylum vix admitteret.*

Alia plura exempla impedimentorum deglutitioni officientium legi possunt apud *Morgagnum* (4), veluti glandularum tumentium in pharynge, et ad summam laryngen carcinomatis naturam habentium; aut tumorum exulceratorum; aut ulcerum in altiori pharyngis parte suffocationem inducentium, aut convulsionis, ariditatis, œdematis, calli, coalitus in œsophago obvenientis; aut denique glandularum tumefactarum, et œsophago proximarum; arteriæ magnæ dilatatæ, thymi tumefacti, diaphragmatis infimam gulam constringentis; porro jecinoris œsophagum spinæ dorsi apprimentis.

Ex iis, quæ hucusque memoravimus, suspicari licet, causas disphagiæ esse aut solitarias, scilicet deglutitionis officinæ unice proprias; aut universales, videlicet a labe totius corporis, aut a labe visceri alicui inhærente

---

(1) Obs. rarior. cent. post., obs. XXVII, Œsophagi paralysis.
(2) Obs. med., l. I, obs. 44.
(3) Diss. De struma œsophagi, § X, XI.
(4) De sed., ep. XXVIII, 10, 12, 15.

dependentes. Ad causas uni œsophago proprias, præter superius expositas, referuntur inflammatio, œdema, paralysis, ut in historia *Basteri*, luxatæ appendices superiores ossis hyoidis, et luxatæ laryngis cartilagines (1). His adjungimus historiam a *Metzgero* (2) propositam aurigæ strenui fermentatorum potatoris, qui ob læsam deglutitionem fluida transmittebat quidem in gulam, solida vix recepta rejiciebat, et tandem negato etiam fluidis transitu jejunam, ut ajebat, efflavit animam. Secto cadavere, viscera omnia sana, ne ventriculo quidem excepto, reperit. Œsophagus vero *toto eo tractu*, quo asperæ arteriæ subjacet, contractus, callosus, osseus, et ita lumine angustatus erat, ut vix tenuem transmitteret stylum. Parietes ossefacti, et crassitie plurimum aucti ita, ut villosa, nervea, ac duplex muscularis œsophagi tunica cum cellulosa circumjacente unam, eandemque inorganicam ostenderent massam.

Morbum fuisse universalem cum dysphagia conjunctum clare ostendit historia *Mauchartii*, in qua viscera omnia abdominis gangræna corrupta sunt deprehensa. *Tulpius* arteriam valde dilatatam in vidua dysphagia laborante conspexit. *Morgagnus* sinistri pulmonis, superiorem lobum corruptum, thymum, et jecur tumefactos vidit. Huc forte pertinet *lusoria* dysphagia *Bayford* ab arteriæ subclaviæ aberratione. Hisce non abs re fere existimavi meas aliquas adjicere historias, ut si quid lucis in re nondum satis explorata effulserit, intelligant eruditi, id ex conjunctis laboribus effulsisse. Nonnulla enim sympthomata manifesto indicant impeditam deglutitionem ab alio præexistente morbo ortam esse, veluti cum veteri tussi, aut diuturnæ febri supervenit. Est etiam ubi prægnantibus, aut lactantibus deglutitio impeditur.

Mulier quæ ultra quadragesimum annum processerat, atque duodecimo utero gerebat, septimo hujus gestationis mense tussi sicca, vehementi, cum dyspnœa correpta est, et per mensis spatium divexans nonnisi venæ sectionis et vesicatoriis mulsa quidem, non penitus elisa fuit. Tribus, qui puerperium insecuti sunt, mensibus bene habuit; tum impleto tertia et decima vice utero constringi sibi gulam, et deglutitioni aliquid obstare sentiebat, quod obstaculum etiam utero vacuo, et fluentibus purgationibus interdum intercurrebat. Cum me conveniret 26 julii 1794, annus erat, ex quo pulmentum (minestra) non sumebat, sed panem lacte emollitum, item panem comminutum cum jusculo commode hauriebat, ideoque sufficienti alimento ingesto, corpus vix macie fœdatum erat. Huic pillulas ex calomelano et opio cum cicutæ extracto, vapores emollientes ore hauriendos et cereos gulæ immittendos præscripsimus.

Eodem anno mulier altera, quæ filio stato tempore enixo lac per duos menses præbuit, glutiendi impedimento afficitur, et exactis duobus aliis

(1) *Morgagni*, De sed., l. c., n.° 14.
(2) Advers. med., p. I, p. 175.

mensibus in urbem venit, ut cum medico conferret. Dum gula explorabatur, durities in laryngis dorso, quæ definiri non poterat, deprehensa est. Immissi in gulam digiti, et cereoli canalem irritarunt, et difficilior postea fuit ciborum transitus. Iterum tenuiori cereolo gulæ angustiæ superatæ sunt, sed interveniens vomitus, et copiosus pituitæ screatus, illum depellere coëgerunt. Post dierum aliquot intervallum cathetere intruso tertium œsophagi iter diducere conati sumus; sed singula hæc tentamenta semper magis nocua esse comperimus. Igitur primo lactem sumendum, et kermes minerale imperavimus, simul collo unguentum ex mercurio cum cicutæ cataplasmate, cervici vesicatorium circumposuimus. Deinde his irritis calomel, oleum purissimum, syrupos mulcentes, cataplasmata mulcentia adhibuimus, a quibus etiam vix quidquam utilitatis percepimus. Ambæ hæ mulieres, utpote rurigenæ, cum brevi tempore curatio absolvi non posset, rei familiaris curandæ causa ad propria tuguria reversæ sunt, neque de illarum statu postea renunciatum fuit.

Cœterum quibus in chronicum transit morbus, iis plerumque flavus cutis color est, qui non a bile, aut hepatis vitio, sed a morbosa cruoris dissolutione videtur existere. Denique nonnullos ægre glutientes, cum ad interitum vergerent, vidimus lateris dolore fuisse verberatos, qui nonnisi ab aliqua pulmonis noxa suboriri potest, sed per dissectiones, quæ aut denegantur, aut propter ægrotantium absentiam fieri nequeunt, nondum satis investigata est ejus sedes.

Huic morbo sanando varia a variis proposita sunt auxilia, inter quæ præcipuum locum tenent instrumenta, aut tubi flexiles, incurvi, ut fauces et œsophagum facile subeant, oleo inuncti, et in œsophagum detrusi, ut viæ angustatæ diducantur et amplientur. Ad hunc finem utiliter adhiberi etiam poterit, nisi catheteres ex gummi elastico in promptu sint, syringa vermicularis *Roncalli Parolini* tenui serica fasciola circumvoluta, et relinqui diutius in œsophagum immissa. Verum hæc præsidia, uti observavimus, non semper opportuna sunt, nam præter ardorem et vomitum, immanem viscidæ pituitæ effluxum cient, et quod pejus, gula magis angustari videtur. Sive autem concedatur transitus instrumento, aut tubulo, sive denegetur, aut contineri non possit, curandum est ut corpus nutriatur. Tubuli usum jam præmonstravit *Paullus* (1) ita scribens: « Quia vero infantes aloen cochleari non admittunt, supinis fasciola ipsis detentis, ore adaperto per clysterium quoddam valido munitum canali, invitis aloen quampenitissime transmissam injicimus ».

Ad propositum nutriendi finem melius facit, quod de tubulo quodam scribit *Hieronymus Capivacius* (2), quo se in multis usum fuisse felici cum successu ait. Huic annexa erat vesica, e qua excussus succus nutritius

---

(1) De med., lib. IV, c. 57, ubi de rotundis lumbricis agit.
(2) Prax., lib. I, c. 53, ubi de angina.

per longitudinem œsophagi in ventriculum detrudebatur. Si hæc non sufficiunt, aut si nequeunt molestæ illæ intrusiones, uti convenit, usurpari, in subsidium vocandi sunt clysteres nutrientes, qui non per syphonem modo, sed etiam per compressam vesicam injici in anum possunt. Horum felix usus jamdudum confirmatus est. *Ramazzinus* enim (1) ægram absque ullo cibo, aut potu per clysteres nutrientes dies sex et sexaginta servavit. An vero injecti liquores nutritii a venis duntaxat lacteis, an ex parte etiam a venis sanguineis absorbeantur, non est hic disquirendi locus.

Dum a struma coarctatur gula, commendantur ea, quæ revellunt, quæ affluxum ad tumidas glandulas prohibent, inter quæ vesicatoria, cucurbitulæ, artuum fricationes, epithemata, mercurialia. Sed, quod a nemine adhuc præstitum scio, in struma utilius fortassis erit, spongiam marinam combustam ingerere juxta *Arnaldi* præscriptionem, cui commode adjici possunt lapis pumicis, cinnabaris, millepedes, et alia, quibus valentior ad aperiendum vis inest.

Sunt qui lenioribus septicis callosam duritiam absumi, aut erodentibus medicamentis provide tolli posse contendunt. Hujusmodi curationem auspicatus est *Migliavacca* inter nostrates olim non ignobilis chirurgus, in dysphagia, quam a polypo ortam autumabat, tum quia lente creverat, tum quia ægra cervicem flectendo sensum quasi pilæ persentiebat spiritus viam obturantis; demum quia, si forte vomitus instabat, corpus quoddam sursum propelli eidem videbatur.

Hic igitur morbus in puella inceptus, trium annorum spatio eo devenit paullatim, ut fluida nonnisi guttatim et repetitis conatibus in stomachum adigerentur. In ore, in faucibus ægræ nulla morbosa mutatio oculis aut digitis occurrebat. Dum incassum a medicis multa fuissent tentata, re mature perpensa prætulit cereos gulæ inserendos, eo nisus argumento, quod urethræ magis sensili, et angustiori cereoli sine noxa immittuntur, dum œsophagus quotidie variis cibis diversimode conditis viam facilem præbet; et variæ formæ instrumenta, sive ad corpora in œsophago impacta detrudenda, sive ad ossea frustula, acusve arripienda, fuere adhibita; denique quia *Heisterus* (2) non dubitavit excutiam ventriculi proponere ad eundem expurgandum.

Cœpit igitur subtilissimum cereum in gulam inferre ex iis, qui maximam rodendi vim a *Daran* habere creduntur, qui hac prima vice obstaculum non superavit, sed anxietatem, tussim, vomitum concitavit, ut mox extrahere cereum oportuerit. Postea vero iterata cereoli introductione, et magna animi contentione symptomata illa cohibuit ægra, illudque obtinuit, ut intra triduum cereolus iter ultra impedimentum sibi panderet. Quare crassiores deinde cerei sunt adhibiti, quorum ordinato usu intra

(1) Morg., De sed., ep. XXVIII, 14.
(2) Inst. chir., t. II, sect. III, c. 2.

quinque hebdomadas glutiendi facultas restituta fuit. Post intermissam introductionem quatuor hebdomadarum spatio puriformis screatus insecutus est, finemque habuit, quapropter curationem completam fuisse existimavit chirurgus. Nec eum fefellit opinio; nam post menses tredecim expedita uti deglutitione perseveraverat.

In cerei seu simplicis, seu medicati, aut tubi introductione hæ cautiones adhibendæ sunt: ut probe prius inungatur oleo, crassiorque opportune inflectatur, ne œsophagi parietes urgeat, immittendusque toties est, quoties absque inflammationis periculo id fieri licet. Fieri autem debet introductio jejuno stomacho, cavendumque ægro ne saliva in glottidem cadat; simul oxycrati bibat portiunculam tamquam resolventis potus, atque cerei commutentur quotidie, ne noceant non mutati.

Jam superius monuimus, quod si nimius dolor, aut inflammatio, aut spasmus immineat ab usu instrumentorum, abstinendum esse, et blandioribus parietes internos esse illinendos. Restat ut de mercurialium usu aliqua dicamus, quæ, ubi plena est canalis arctatio, aut tanta calli durities, et parietum cohæsio, ut divelli non possint, non videntur esse adhibenda. *Joannes* tamen *Mennes*, vir amplissimus, historiam sic persanatæ dysphagiæ cum *Ruyschio* communicavit (1).

In viro prosapia claro tussis ferina et catharrus suffocativus summam œsophagi coarctationem induxerant, circa quintam et sextam colli vertebram deglutitionem impedientem. Existimabat *Mennes* tunicam glandulosam œsophagi affectam esse, aliasque glandulas gulæ circumpositas. Quare consilio inito cum cl. viris *Boerhaavio* et *Ruyschio*, iisque mercurii usum approbantibus, curationem auspicatus est ab alvi purgatione; deinde mercurium cum antimonio exhibuit tanquam sudatorium, quod tamen vomitum et alvum duxit quoties propinatum fuit; propinabatur vero per dies undecim, et tunc suborto ptialismo supersedit. Post unum alterumve diem aliquot grana ejus remedii exhibebat, quo sudor, et ptialismus augebantur. Die 21 a profundo somno expergefactus esurivit æger, qui postea purgatus, colloque unguentis et oleis perfricato, lactea-diæta, decoctis et balneis refocillatus est. Denique *Mennes* intrusa in œsophagum spongia spina balenæ exornata certior factus est, se absolutam sanationem obtinuisse. Ignoramus adhuc quid fuerit mixtum illud ex mercurio et antimonio, nisi forte velimus turpethum minerale, quod alvum et sudorem movebat, et quod a tribus ad quinque grana ab auctore propinabatur.

Ubi ad pharyngis finem, seu œsophagi initium cartilagine, vel schyrro occlusum est iter, quæritur a *Stoeffelio*, an oporteat institui pharyngotomia, per quam fistula alimentum invehens demitti possit? *Morgagnus* (2) difficilem esse, atque periculi plenam hanc sectionem opinatur, sedem

---

(1) Advers. anat., dec. I, n.° X.
(2) De sed., ep. XXVIII, 15.

profundam summi œsophagi cum obvia aspera arteria comparando, tot musculis, vasis, nervisque stipatam. Minus timenda videtur œsophagotomia a cel. *Guattano* proposita (1), qui œsophagum ad lævam ut plurimum propendere docuit, uti ex *Eustachii*, tab. 11, fig. 8, et proinde in sinistro colli latere integumenta per longitudinem esse incidenda ab superiori aspera arteria usque ad sternum; et scalpellum inter musculos sinistros sternothyroideos et sternocricoideos adigendum; tunc enim remota asperæ arteriæ cellulari tela in conspectum sedabit œsophagus, in cujus inferiori sede sectio longiuscula peragitur sursum deinde producenda. Si nervus recurrens conspicitur, hamulo obtuso removeri debet, venæ incisæ constringi. Œsophago cicatrix facilius inducitur propter muscularem ejus membranam, aliis multo crassiorem.

1. *Dysphagia a calcis ictu.*

Adolescens undeviginti annorum ab equi calce percussus fuit ita, ut soleæ ferreæ cornua maxillæ inferioris latera contunderent, arcus vero soleæ glandulam thyroideam verberaret nullo læsionis vestigio subsistente, et aphonia illico subsequente. Sanguis sine mora missus est, alvus ducta, et fomentum ex oxycrato gelido imperatum, quibus auxiliis id obtinuimus, ut fere convalescens in conclavi versaretur. Verum exacto mense lectum denuo conscendere illum coegit respirationis angustia, quæ dolore nullo, tumore nullo gutturis supervenerat. Educto iterum sanguine, datis intus, quæ demulcent, quæ fauces et intestina eluunt, impositoque ex mollientibus cataplasmate, demum vesicatorio ad supremum sternum, atque vaporum inhalatione spiritus levior est redditus; sed gravato jugi anhelatione sterno nox insomnis fuit. Quamvis febris deesset, pulsusque a naturali non recederet; tamen diebus sequentibus pallescere cœpit, deinde deglutitione nunquam præpedita suffocari se sentiens, moritur.

Cadaver diligenti examini subjecimus; nulla superficie tenus percussionis signa animadvertimus. Detractis deinde a sterno et collo usque ad mentum integumentis, remotisque ossibus pectoris et juguli, pulmones illæsos, glandulamque thyroidæam, quæ primum icta fuit, sanam conspeximus. Detraximus postea laryngem cum annexa thyroidæa, quam a parte postica per longitudinem incidimus, vidimusque ventriculorum laryngis membranam ab utraque parte protuberantem pure exundare, et in abscessum mutatam glottidis rimam fere ex toto occlusisse.

Anne in hoc casu spes fuisset a laryngotomia ægrum restituendi? Minime credo, nisi simul cricoidea dissecta, et abscessus contento pure evacuatus fuisset.

---

(1) *Lauth.* Collectio script. de aneurismatibus. Argentorati, 1785.

2. *Ab angustia œsophagi.*

Carolus Puteus, Bustensis, chirurgiam olim cum laude et sine lucro faciens, de quadam fœmina dysphagia laborante, sub die 26 maji 1806 hæc mecum communicavit. Anna Panzi octennio jam difficulter deglutit, cujus difficultatis causa etsi ignoratur, evidens tamen est obstaculum in œsophago hærere. Cereolum indere pluries incassum conatus sum; tandem obstructo penitus meatu, ut ne guttam aquæ transmitteret, nec nisi repetitis conatibus lympham tenacem, densamque rejiceret, dies octodecim supervixit, priusquam e vivis excederet 23 maji.

Reclinatis integumentis ab mento ad sterni mucronem, recisisque musculis, et ossibus juguli, sterni, costarum, ut quæ subtus erant, patefierent, pharynx, larynx, trachea secundum naturæ normam inventæ sunt. Œsophagus vero, qui subjacebat, secundum ejus longitudinem ita coarctatum, ut minimum digitum ejus orificium vix reciperet. Ubi vero ad sedem supremæ costæ descenderat, œsophagus expandebatur veluti in caveam cœcam, quæ eo magis angustata cernebatur, quo plus parietes ad invicem adducebantur, atque ad pollicis latitudinem fere conjuncti ingestorum transitum impediebant. Pulmones parvi, pallidi, cor magnum, aorta vacua; stomachus vacuus in modum recentis vesicæ urinariæ collapsus, sine aëre, sine succi alteratione, coloris et consistentiæ naturalis.

3. *A schyrro.*

Briantæi montis agricola, temperamenti sicci, mense majo 1789 non adeo promptam esse ut prius deglutitionem animadvertit, quæ paullatim difficilior facta, nonnisi fluida et vix quidem haurire potuit. Spiratio et vox non mutata: cartilago thyroidæa magis expansa et crassior apparebat.

Œsophagi initium longiori digito exploratum septembri ejusdem anni hinc inde inordinate induratum repertum est. Nulla suppurationis signa, nulla graveolentis, aut putridi humoris excretio. Igitur stomachi ingressum vi aperiendum esse censui, laminamque flexilem ossis cete, cui præfixa erat spongia oleo imbuta, adigere tentavi, sed a duritie repulsa, hanc argenteo cathetere superavi. Hujus beneficio linteolum solutione lapidis caustici madidum et apici alligatum in œsophagum introduxi, qua ratione exesa, aut laxata per dies complures œsophagi membrana, id consecutus sum, ut fluida et offas hauriret. Sed non diu conquievit; etenim superveniente febri, ictero, surdoque ad dextrum hypochondrium dolore, tum vultu, oculisque cavis, post sanguinis vomitum noctu occubuit.

Aperto palato, ulcus sordidum sese obtulit in inferiori et postica pharyngis parte ex adverso epiglottidis. Ab ea sede descendens œsophagus sensim coarctabatur usque ad primum tracheæ circulum cartilagineum, ubi calamum scriptorium duntaxat excipiebat. Supra hujus loci angustias œsophagi tractus lividus, suppuratus apparebat, qui livor, aut, si mavis, affectio

gangrænodes proximam quoque laryngem infecerat, musculos arithenoideos et cricothyroideos, et interiorem ejusdem membranam. Glandulæ thyroideæ dexter lobus pus continebat. Pulmonis dextri membrana ex flavo, cinerea, parumque fluidi in ea cavea stagnantis inflammationis notas exhibebat.

Præcocis mortis causam in abdomine reperimus; hepatis enim superficies gibba plures abscessus continebat, qui non solum in ea superficie consistebant, sed intus ad medium parenchyma penetrabant. Dum hepar, dissectis vinculis, e sede sua exportaremus, ex improviso lumbricum in manus incidisse vidimus, quem ex abscessuum alterutro exiisse cognovimus. Alios deinde vermes consectos conspeximus, atque investigantes vias per quas huc transire poterant, tres simul agglomerati per totam coledochi longitudinem conspecti sunt.

4. *A tuberculo.*

Vir dysphagia laborans nulli antea exanthemati, nec labi venereæ obnoxius, vehementi tussi primum conflictatus, dein post aliquot hebdomadas obicem quemdam, dum cibum detrudebat, persenserat, qui etsi vocem adimeret, viscidique humoris copiam e faucibus eliceret, respirationem tamen non læserat.

Pars summa œsophagi digito explorata infra epiglottidis apicem exhibuit durum et inæquale tuberculum, a quo inferius minora alia dispergebantur, quibus raræ punctiones veluti acicularum adjungebantur. Præter hæc metus erat, ne ob vocis defectum glandulæ arithenoideæ, aliæve partes voci inservientes essent labefactatæ. Tussicula, aphonia, sputa viscida, virium imbecillitas hominem conficiebant, qui propterea domum reversus ipso die interiit.

5. *A schyrro.*

Mulier annorum quinque supra quadraginta vomitu per complures menses vexata, atque ab eo tandem liberata, quamdam ad ventriculi ostium constrictionem percepit, metusque nobis erat, ne aliqua infimi œsophagi glandula induruisset, quia cibi non æque facile in stomachum descendebant. Suspicio vero exploratione confirmata fuit; nam duritiem in œsophago offendimus a pluribus tuberculis granosis, eminentibus, levibus, non dolentibus coacervatam, quorum terminum digitus non attigit. Mulier, sive mali, sive remediorum pertæsa, vix valetudinarium ingressa, recessit prima aprilis 1793.

6. *A schyrro osseo.*

Mulierem Cremensem inspectavi anno 1794, coloris flavi, difficulter glutientem, cui durities schyrrosa in gula oborta erat, et imperata refocillante medicina dimisimus. Cl. *Lazarus Guerrini*, M. D., qui postea ejus curam gessit, post mulieris obitum hæc perscripsit. Duobus ante mortem mensibus dolor pleuritico similis, quem eidem prænunciaveram, sæpe

illam vexaverat; dein remittebat per duos tresve dies, rediturus intensior. Quoties urgebat febris, a qua nunquam immunis erat, ad hunc dolorem advertebat animum perterritum, quia declinante febri lateris primi cruciatus superveniebant in modum accessionis febrilis. Itaque quoties incalescebat febris, metum renascentis doloris incutiebat. Postremo mense absque præcessa febre dolor eam invadebat; et quamvis seu dolore, seu febri, seu tussi, vel omnibus simul jugiter vexaretur, in somnum tamen proclivis videbatur, et reapse plures horas somno indulgebat. Cereolorum usus aliquid levaminis attulisse visus est, nisi velimus existimare ob vitalis roboris extinctionem œsophagum fuisse resolutum. Illud certum est, eam tantum cibi quotidie sumpsisse, quantum nutriendo epuloni satis fuisset. Mens usque ad extremum vitæ perspicua fuit.

Corpus defunctæ ita erat extenuatum, ut cellularis telæ vestigium vix superesset. Cartilago scutiformis in osseam naturam mutata; glandula thyroidæa propemodum solidata; œsophagus exiguis glandulis durioribus refertus; viscera pectoris et abdominis sana.

7. *A tuberculo cartilagineo.*

Mulier sexagesimum annum attingens æstate superiori 1793 papulis quibusdam, quas vulgus *salso* vocat, obnoxia fuit, magis vero leucorrhæa, qua repressa papulisque evanidis, cœpit deglutiendi molestia conflictari. Hac magis magisque increscente, consilium quamvis serius petiit. Demissus in fauces digitus quam potuit profundissime, supra laryngis dorsum offendit subrotundam duritiem. Incassum adhibitæ sunt turundæ, quæ reprimerent, et machinamenta, quæ vinculo interciperent carunculam; turundas enim non diu tolerabat; caruncula ex vinculo effugiebat; atque ab his orta irritatione, angustior via facta est, et suppuratio, cum puris, viscidæ et flavescentis materiæ rejectione. Et hæc sine levamine; etenim cum primum febrire, et languere, et flavescere, oculis, vultuque cæpit, mox demissæ vires sunt, et dolor dextrum pectus verberavit, donec 4 jan. 1794 fatis cessit.

Detractus œsophagus cum larynge nil habuit vitii præter tuberculum quoddam veluti cartilagineum ipsis membranis innatum. Situm erat in superiori œsophagi parte, et in pariete ejusdem antica, paullo sub laryngis capite, quod etsi intra ipsam œsophagi caveam non promineret, ejus tamen capacitatem angustabat. Nil ulcerati cernebatur; membrana vero quæ laryngis dorsum convestit, paullo rugosior erat, et laxior, ex qua forsitan puriformis materia scaturiit. In urbe defuncta hac muliere, concessum non fuit pectoris caveas perlustrare.

8. *Ab ulcere venereo.*

Civis parvæ staturæ, sed nervosus, strenuusque veneris miles, a qua vulgata spolia reportavit, semel, iterumque mercurii malagmate perfricatus

fuit. Intermittens febris ineunte autumno superveniens, cortice peruviano fugata est; verum decedente febri, exanthemate thorax impletur, eoque avanescente, male habere cœpit in gula, cujus indoles neque propriis notis, neque gulæ inspectione innotuit. Malum interea adolevit adeo, ut difficulter deglutire, nec supinari, nec loqui sine tædio poterat; imo pelliculas cum sanguine identidem excreando rejiciebat. Hæc in mentem revocabant virulentas affectiones, quibus antea commaculabatur; quamobrem tertio illinitus est mercurio, quo profecit adeo, ut ferme sanus videretur.

Post mensis spatium redit glutiendi difficultas, sputa feruntur copiosa, viscida, interdum sanguine remixta, et quod molestius punctiones interdum in gula persentiuntur. Vocatus ut gulæ statum detegerem, demisso in fauces digito, ulcus sphæricum, duriusculum, inæquale, oboli magnitudine deprehendi, quod dextrorsum in anteriore pharyngis parte, ubi laryngi committitur, existebat, in quam partem M. stylopharingæus cum angulo cartilaginis arithenoideæ concurrit. Porro vix tacto ulcusculo, sensus ingratus obortus est, non secus ac si acutissimis aciculis transfigeretur gula insequente viscidæ salivæ profluvio. Etsi ab inunctione mercurii sympthomata luis moderata esse viderentur, apparebat tamen venereum virus penitus extinctum non esse; quare efficaciori curatione utendum esse, quam mixtam vocant, consultum fuit. Proinde imperata sunt balnea, unctiones ex mercurio, et muriatum mercurii oxygenatum spiritu frumenti solutum. Dum sex malagmatis mercurialis unciæ essent insumptæ, solo deinceps muriato mercurii usus est æger, quo per duos menses continuato integræ saluti restitutus est.

9. *A risu.*

Primipara in detrudendo cibo afflicta, cum a me de morbi origine interrogaretur, hæc retulit: Se, dum adhuc nubilis esset, hausisse poculum, in quo pili erant infusi, quorum sive nullum prorsus deglutisset, sive ullum deglutisse putaret, statim sibi œsophagum coarctari sensisse, ut solidis iter interceptum esset, quæ constrictio tum oleis, tum aliis quæ leniunt et refrigerant, intra mensem laxata fuit. Deinde se a matre acribus, ut ajunt, humoribus scatente fuisse progenitam, quæ propterea nec vino, nec calefacientibus utebatur, utpote crebris sanguinis sputis obnoxia. Valetudinem autem suam recte se habuisse usque ad puerperium; tunc enim lochiis expurgata, materiam ardentem puriformem effluxisse, quam detergentibus abluit et cohibuit.

Antequam puerperio exiret, dum forte panem dulciarium comederet, ad immodice ridendum concitata, mox inter glutiendum velut aciculæ punctionem, et obstaculum aliquod, simul œsophagi sinistrum latus sibi intumuisse persensit. Postridie ad eam accedens inveni aphonam, pulsum exiguum, sinistram genam tumidam; mihique significabat pectoris angustia, gulæ obice, colli, maxillæ, temporum, frontisque distractione esse gravatam; se tamen haurire liquida, nihilque in faucibus esse, quod in oculos

incurreret. Insuper malum cum frigore eam invasisse, vomendique conatu et pauci sanguinis exspuitione. His cognitis, venam secare, et vesicatorium cervici imponere jussi, tum assæ fœtidæ drachmam per diem sumendam præscripsi.

Postera die restituta voce, aphtæ in ore exortæ sunt, pulsu debili, tensionisque in tonsilla sensu permanente, qui ad genam, ad dentes, ad os malæ sinistræ explicabatur. Tertio die febris cum rigore ingruit, cum dolore pulsante ad collum sinisterius, ad genam, ad oculum, ad tempus, et interdum in vagina. Sub hac sympthomatum serie loquela et deglutitio rediit, inflatio exterior resedit, sputum sine sanguine ferebatur, etiamsi cum impetu ad vomitum cogeretur. Iterum data est assa fœtida stomacho amica. Quarto, quintoque multum salsi expuebat; sanguis ex utero manabat; datumque leniens ex manna. Post quæ pulsatio, febris, genarumque dolor siluerunt, nec nisi de aspera, granosa œsophagi superficie lamentabatur, ac si exstantibus glandulis esset exasperata, tum de siti, bibendique necessitate; quæ omnia aurantiorum usu, decocto summitatum salicis, demum hilari rusticatione dissipata sunt.

10. *Ab abscessu.*

Navicularius duo de viginti annorum diutius pluviæ expositus afficitur a rheumate, vel potius ab inflammatione faucium, octavoque morbi die 31 maji 1783 ad nosocomium advolat ægre admodum respirans, et ægrius deglutiens. Dum fauces inspicerem, supremam pharyngis partem ampliorem, inferiorem vero arctiorem deprehendi, et tum oculis, tum digito tumorem attigi posticam pharyngis parietem attollentem, atque anterius ad linguæ basim protrusum, aëris et alimentorum iter ferme præcludentem. Hicce abscessus absque dolore, et rubore saltem notabili inter cervicis vertebras, et pharyngem videbatur esse condensatus.

Primum sanguis e brachio et ex pede missus, alvus ducta, vesicatorium cervici, et cataplasma cum sinapi collo impositum fuit. Post hæc accessit febris, et sitis, et glandularum colli conglobatarum tumor, et subflavus faciei color, et viscidorum expuitio. Demum quarto die ex quo in nosocomio cubabat, rumpitur abscessus, reditque spirandi et glutiendi facultas; nec multo post detumefactis glandulis excessit incolumis.

11. *Ab ulcere.*

Rurigena virguncula ætatis supra vigesimum, rite menstruata, ad eas faucium angustias adducta est 3 aug. 1793, ut difficulter spiraret, et ægerrime fluida transmitteret. Tangenti occurrebat prominentia in parte laryngis postica, supra cujus dorsum, ubi glandulæ arithenoideæ, et superiores œsophagi conglomerantur. Causa ejus vitii non innotuit. Sputa globosa, purulenta rejicit, exspirando sibilat, gula strepit, lateris dolor sinisterius

se prodit, vox rauca, exilis fertur, lecto insedit erecta, pulsus exigui, molles, spirat anhelans, labia livescunt cum gutturis strepitu, demum 3 septembris ultimum spiritum trahit. Cereum in œsophagum immitti non potuit, cujus lumen post mortem ita coarctatum fuit inventum, ut specillum vix admitteret: mercurialia tam intus, quam extus applicata, kermes minerale, lactes, scylla nil profecerunt.

Aperto thorace, extractaque larynge cum œsophago, hunc primum incidimus juxta partem posticam, et continuo in conspectum venit amplissimus œsophagi tractus, qui ad quinque latos digitos sub laryngis dorso, coloris cinereo fusci in latissimi ulceris speciem deorsum extendebatur. Id tamen ulcus non descendebat ad carneam œsophagi tunicam, sed potius ab excrescente tunicæ interioris substantia videbatur existere: ibi certe crassior erat tunica, ubicunque ulcus protendebatur. Pars ultima œsophagi sana: ventriculus amplus, intus multo muco oblinitus, exterius in facie superiori, qua pylorum versus contrahitur duobus latis cæruleis striis, tamquam gangrænosis notatus. Trachea tota interius, et larynx, et linguæ basis livido colore suffusa. Pulmo uterque lympha onustus, quæ ex consecto pulmone abunde profluebat. Dextri pulmonis superior pars quaquaversum nigricans, ac si sphacælo corrupta fuisset.

12. *A vulnere genæ.*

Honestus adolescens circa medium genæ dextræ paullo infra jugum ense vulneratur, ferrumque contra os maxillare adactum in oris caveam non penetravit. Cæterum vulnus brevi et perfecte sanatum est, exceptis symphomatibus, de quibus mox dicam.

Vix dum sauciatus erat, cum diffusum dolorem ad cervicem, et homoplatam dextri lateris percepit; simul etiam dum potum sumeret, non eadem, qua prius, lenitate in stomachum transmittere se posse fluida intellexit. Jam mensis transierat ex quo vulnus glutinatum erat, cum consilii causa ad me venit. Erat autem illi post susceptum vulnus eadem inter glutiendum molestia; et vox veluti per nares emissa, et ptialismus insolitus reliquarum affectionum comes. Hæc phœnomena consideranti nullum dubium esse poterat, quin illa ab læsione fili alicujus nervei ex maxillari superiori emergentis excitarentur, cum nulla alia causa ejusmodi turbas ciere potuerat. Præterea maxillæ inferiori deducendæ obstaculo erat ligamentum, quod appellant intermaxillare dextrum, faucesque inspiciendo insolitus pallor, et congestus lymphaticus se ostendebat per uvulam, tonsillas, fauces diffusus, a quo tamen gustus organum nullam noxam contraxit.

Agnita ex præcedentibus morbi indole, curandum erat, ut nervi cicurarentur, quod obtineri poterat: 1. emetico parca dosi, et repetitis vicibus exhibito: 2. haustu ex floribus arnicæ cum sale c. c.: 3. gargarismate ex salviæ decocto cum sp. salis ammoniaci confecto. His non inutiliter jungi poterant concussiones electricæ, frictiones cervicis, dorsi, genarum. Quemnam

præsidia modo commendata effectum habuerint plane ignoro; adolescens enim, de quo loquor, reportato consilio, non amplius ad me accessit. Observationem autem dignam arbitror, quæ non reticeatur, utpote de novo sympthomate ab læsione nervorum faciei agentem. Alia et diversa phœnomena, quæ apparent, dum surculus aliquis nervi quinti paris læditur, legi poterunt apud *Morgagnum* et *Bertrandum*.

13. *A steatomate.*

Ad valetudinarium adfertur mulier 25 febr. 1782 octavo mense utero gerens, febriens, difficulter spirans, raucam vocem edens, quæ præter surdum dolorem, obicem in gula sibi hærere sentiebat alimentorum descensum propedientem, atque vellicatu vomitum concitantem, insuper spiritum intercipientem, eique luctari oportebat ad sermonem explicandum. Mucum tenacem jugiter, vel pus vomitu copiosum rejiciebat, quæ nunquam nutrita, sorbitionibus vix refocillata animam egit 5 martii.

Ab exterioribus sectionem adortus glandulam thyroidæam tumidiorem, et solito molliorem vidimus, dextro tracheæ lateri propius innexam, copiosum pus continentem. Dissecta trachea et larynge, aliquid prominere cernebatur ex laryngis postico pariete, in ventriculorum intervallo, atque extra orbem cartilaginum, avellanæ magnitudine, fastigiatum, medio elatius, durumque, quod aëris iter adstringebat. Ibi pharynx ob morbosam concretionem arctius complectebatur laryngem, quæ pharynx et œsophagus pariter crassiores facti protentum steatoma includebant hic mollius pus gemens, alibi durius œsophagi caveam occludens. Pus autem partim per vomitum reddebatur, pars in stomachum, ubi copiosus aderat, defluebat aliis fluidis ex atro viridibus commixtum. Præcipua durities et angustiæ eo erant in loco, quo larynx in tumorem elata cum œsophago coaluit.

Viscera omnia secundum naturam, præter pulmonem dextrum, quem inflammatum, magis expansum, renitentem conspeximus. De mali origine vix quidquam expiscari potui, nisi quod ante complures menses continuo dolore in ea gulæ parte, ubi steatoma hærebat, afflicta fuerit; dein per intervalla eodem redeunte eo adactam fuisse, ut veluti acervus quidam jugiter excrescens viam aëri et alimento intercluderet.

CAPUT XV.

DE NONNULLIS VERTEBRARUM FRACTURIS.

Non inanem posuit querelam *Morgagnus* (1), dum in V et VI sectione sepulcreti foliis duobus comprehendi asserit, quidquid ad spinæ læsiones pertinet. Pertinent autem præcipue ejus partis luxationes et fracturæ. Et quod ad luxationes attinet, disputatum est ab experientissimis viris an frangantur facilius ab externa violentia vertebræ, quam e suis sedibus excidant. Quæ disceptatio nonnisi ab ulterioribus dissectionibus confici potest. Et *Realdus Columbus* (2) disserte jam asseruerat, naturam curasse, ut articulatio priorum vertebrarum validissimis et arctis contineretur ligamentis, quo difficillima evaderet luxatio; falsamque se deprehendisse ajebat eorum sententiam, qui existimant in suspensis caput luxari, quod sæpe numero confirmaverat Patavii, Romæ, Pisis; tantumque esse robur ligamentorum animadvertit, ut frangi facilius, quam luxari secunda vertebra possit, neque secunda solum, sed prima quoque. Ita nec *Valsava*, neque *Morgagnus* ob vehementes ictus luxatas vertebras, sed uterque fractas deprehenderunt. Hisce assentiuntur *Heisterus* et *Mauchartus* (3); ille imperfectas ut plurimum esse, quæ in spina dorsi accidunt, luxationes asserit, neque penitus excidere quamdam vertebram sine fractura, et medullæ lesione. Hic considerans processum dentiformem alligatum esse occipiti, et summæ vertebræ ope ligamentorum lateralium, suspensorii, et cruciformis luxationem neque facile, neque frequenter accidere cognovit, licet magna distractionis et fortissimæ flexionis vis accedat.

Quare si luxationem accipimus pro ossis e sede sua naturali, et ab sinu articuli secessione et dimotione, fatendum erit ob externas causas nullam extare certam et accuratam observationem luxationis primæ vertebræ a capite, nec secundæ a summa, neque reliquarum, quæ insequuntur. Recte enim animadvertit *Mauchartus* (4) vertebram secundam vel ad latera, vel anterius luxari non posse propter dentiformem processum intra arcum anteriorem atlantis assurgentem, ac validissime tum atlanti, tum ossi occipitis per varia ligamenta fortissime connexam, nisi vel summo, et incredibili fere impetu cuncta hæc rumpantur ligamenta, vel processus dentiformis diffringatur; cujus ruptionis rarissimum plane exemplum a me observatum inferius proferam.

Fateamur igitur, necesse est, cum *Petro Tabarrano* (5) vertebrarum fracturam pro earumdem luxatione vulgo male acceptam fuisse; atque

---

(1) De sed., ep. LVI.
(2) De re, anat., l. II., c. 2.
(3) Instit. chir., p. II, l. III, c. 5, — Dissert. de luxatione nuchæ.
(4) L. c, § 11.
(5) Obs. anat. Lucæ 1742.

vertebras, ni corpus earum frangatur, nunquam excidere posse, neque necesse esse, ut cum fractura conjungatur luxatio, aut loco motio vertebrarum. Quamobrem cum iis scriptoribus facimus, qui luxationem incompletam in vertebris plerumque inveniri perhibuerunt. Hujusmodi secessus, aut subluxationis secundæ a prima et quartæ cervicis vertebræ a quinta duo producit exempla *Mauchartus.*

Prius est rustici, qui in rixa capite ictus aufugit domum, et in lecto cum fratre decumbens moritur convulsus. Præter sanguinem effusum foris et intra caput, *secessum* vertebræ atlantis, et epistrophei, qui pollicem facile admisit cute integra, item tertiam, quartamque colli vertebras vacillantes reperit prosector; prosecuit enim non auctor, sed vicinus medicus.

Alterum est rhedarii, qui noctu ebrius scalas descensurus præceps super antennam in area domus ruit. Moritur placide, de nuchæ cordisque dolore prius conquestus. Præter alia ad rem non spectantia sugillatio in nucha et luxatio (subluxatio) quartæ colli vertebræ a quinta cernebatur, ut apophysis spinosa utriusque distaret pollicis intervallo. Si igitur superiorum perfecta luxatio fieri nequit, ita etiam inferiorum vertebrarum; sive enim illarum orbes, sive obliqui processus loco moveantur, id vix aut nunquam sine fractura accidere potest. Qua propter earum partium levis dimotio tantam afferre nequit in medulla læsionem, ut sensus, motusque in artubus intercidant, quæ sympthomata fractæ spinæ sunt indicia manifestissima, ut ostendunt observationes *Tabarrani.*

Prima habita est in bajuli Romani, qui ceciderat, cadavere. In eo quartam dorsi vertebram, versus thoracis cavitatem, ligamento exteriori amoto fractam, et fere ad medullam usque spinalem contritam reperit. Medullæ spinalis portio ad locum perfractæ vertebræ fere liquescebat. Vixit menses sex, dies quinque. Altera est rustici, qui e rupe dejectus, sensu, motuque in artubus inferioribus carens, mortuus est Romæ. In hoc binæ costæ quinta et sexta ad articulationem cum vertebris fractæ erant, et membranæ discissæ. Corpora quintæ et undecimæ dorsi præter processus spinosos, fracta et comminuta usque ad medullam spinalem: loco vero non mota. Rusticus alter feminibus resolutis, urinaque suppressa, obiit Bononiæ ex arbore lapsus. Postrema dorsi vertebra fracta est inventa, et vinculum cartilagineum vertebris interjectum parum corruptum. Si itaque veræ luxationes in vertebris non accidunt, et si artuum stupor et immobilitas ab earum fractura duntaxat oritur, quæ lethalia semper sunt, testante *Albucasi* (1), mirari subit *Adolphum Murray* (2), cui spinæ contusionem aqua frigida sanatam pro luxatione placuit exponere.

Agaso vehiculo fœno onusto erecte insedens, ne caput contra portæ contignationem allideret, ad discrimen avertendum anterius corpus inflexit;

---

(1) Chir., part. III, c. 10.
(2) Acta medicor. Sveviæ, vol. I, sect. II, n.° 12.

attamen ad portæ laquearia humeros illidit, et tota spinæ columna *inter prælum quasi commissa, ad anteriora comprimitur, et sub fragoris sensu distorquetur.* Semianimis, curvato corpore, contusis humeris, intumescente dorso, in nosocomium transfertur. Levis disjunctio in dorso observata est: sensus motusque inferiorum artuum abolitus; dolor vehemens circa spinam fortiori ad anteriora inclinatione increscens, érectione imminuens; cutis sensu, motuque deperdito, pedibus tamen, si homo erectus fulciretur, insistere poterat; vesica et alvus adstricta.

Repositionem tentarunt medici; non successit labor; repetitur experimentum irrito conatu. Fovea inter vertebras erat latitudinis duorum pollicum circiter, et unius profunditatis. Pedes tamen post tentamina ad nutum voluntatis movebat, et excretiones naturalem cursum tenuerunt. Inflammatione mitigata, viderunt ultimam dorsi vertebram et primam lumborum esse disjunctas. Post varia frustra admota, aquæ frigidæ ex alto cadentis perfusione bis, quaterve per diem repetita convaluit homo 14 die.

Tam promptæ sanationis modus quidni nos ad credendum allicit, spinam in hoc exemplo fuisse quammaxime contusam, nulla tenus vero luxatam, cum velatæ ac decipienti artuum resolutioni protinus vigor et motus successerit? De fovea autem inter vertebras visa dici potest illam fuisse effectum tumentis circum, et eo loco depressæ cellularis substantiæ, quia fovea nondum discussa inflammatione fuit observata. Cæterum falli eos existimat *Morgagnus* (1), qui, dum inter binas vertebras digiti apex inseri potest, luxationem adesse putant, cum id secundum naturam esse possit, maxime si interjecta ligamenta majoris extensionis vim sint passa. Ego vero optarem, ut diligentiam, quam ab iis, qui in posterum in casus ejusmodi fortassis inciderent, expectabat *Morgagnus* (2) meis lucubrationibus fuissem consecutus.

1. *Axis epistrophei avulsio.*

Robustus bajulus, viridis ætatis, imposito humeris ingenti onere humi affligitur 9 novembris 1804. Surgit, atque sarcinæ ferendæ se imparem esse intelligens, ad ædiculas properat, ibique mensem sine medici auxilio transegit. Postea in valetudinarium nostrum illatus hæc signa præbuit: caput pronum, sed sinistrorsum magis inclinatum; in summa cervice magnus sinus; loquela et deglutitio quemadmodum in sano esse solet; nulla pars resoluta. Priores quinque dies sine sympthomate malo processerunt præter humeri dextri attollendi difficultatem, cujus summa pars æquo depressior videbatur, quod postea ab osse juguli diffracto esse compertum est. Caput veluti enodatum esse apparebat, quippe dum a famulo erigebatur, naturalem positum servabat, mox remotis manibus in sinistrum humerum

(1) De sed., ep. LVI, 37.
(2) L. c., 35.

relabebatur. Nocte, quæ quartam et decimam mensis decembris insecuta est, incertum an ob inconditam motionem, an ob aliam causam, vehementibus agitatus convulsionibus interiit.

Postero die, qua potui diligentia, cervicem perlustravi probe intelligens ab memoratis superius notis fracturam subesse; nec me fefellit præcognitum judicium. Nam processus dentiformis in ipsa basi ab orbe epistrophei avulsus est repertus cruciformi ligamento nulla tenus lacerato, neque suspensorio, nam dentis apex firmiter occipiti alligatum permanebat; transversum item summæ vertebræ illæsum conspectum est. In medullæ statum non inquisivi, ne rarum specimen pathologicum deturparem.

Hæc observatio, sive ob infrequentem fracturæ modum, sive ob vitam ad 35 dies in valetudinario, et si addideris mensem, quo domi elanguit, ad 65 protractam sine notis læsæ medullæ, digna profecto est, quæ in medicis scriptis conservetur. Hanc felicitatem, si ita lubet appellare, diutius axis fracturæ supervivendi, amplitudini foraminis ego tribuerem primæ et secundæ vertebræ insculpti, tum transverso atlantis ligamento, quorum beneficio perfractus dens non dimotus est, et medulla spinalis parum, aut nihil compressionis subiisse videbatur. Ego vero modum non explicavero, quo hujusmodi fractura acciderit, neque quam ob causam intacta fuerint servata ligamenta; id enim nonnisi a ponderis æstimatione, et a ratione, qua homo concidit, erui posse arbitramur.

2. *Quarta cervicis transversim fracta, atlas dimotus.*

Robustus villicus e procera nuce juglande cadens, verticem, uti asseruit, terræ allisit. Hic vir quadragenario major priores dies domi suæ insumpsit, et 10 septembris 1794 ad nosocomium perductus est mente quidem sana, sed pulsu, viribusque deficientibus, vesica, et artubus inferioribus paralysi affectis. Clunes etiam valde contusæ conspiciebantur; quare, cum nullius rei memor esset, nisi quod in verticem cecidisset, suspicabamur, eum alterum ictum excepisse, atque percussionis impetum ad spinalem medullam traductum fuisse, eoque magis quia postridie 11 septembris decessit, cum post casum quinque duntaxat dies supervixerit.

Aperto thorace, ingentem vidimus sugillationem sub sterno, in mediastino, in tota cellulari pectus ambiente ad gulam usque sub mento. Thoracis caveæ lympham cruentam continebant. Viscera abdominis sana. Remotis cervicis musculis, quartam vertebram transversim fractam offendimus, a qua anterius ab orbe fragmentum corticis secesserat. Vertebra tamen loco dimota non erat, quippe in sede sua retinebatur a musculis anterioribus cervicis, a scalenis, a cervicis posterioribus; quamobrem caput in priora non promovebatur. Atlas dimotus erat, atque articulatio cum occipitis osse laxata. Sugillatio in bregmatis ossibus spectabatur tam foris, quam intus sine cerebri, quantum apparuit, noxa. Reliqua ossa sana.

3. *Quinta cervicis trifariam.*

Vir ab alto cadens 9 jan. 1790 postridie momento temporis extinguitur. Hominis truncus infra cervicem resolutus erat; caput in latus reclinatum et immobile. Quinta cervicis vertebra in tres partes diffracta; sternum infra medium fissum conspiciebatur usque ad imum.

4. *Sexta cervicis subluxata.*

Cæmentarius annos natus septem supra quadraginta in nosocomium receptus est 24 septembris 1790, qui ab audacissimo juvene e ponte murali projectus fuit. Præter amplum in vertice vulnus, cervicis fractura deprehensa est, per quam eodem momento trunci et artuum fracturæ suppositorum paralysi fuit correptus. Caput in latus dextrum inclinabat, neque erectum stabat. Non balbutiebat, primoque die brachia jactabat; altero vero motum et loquelam amisit; tertio motu, sensibusque orbatus, pulsu exili, siti intensa vitam quoque amisit.

Extinctum corpus secando livorem ingentem in cellulari colli, musculisque posterioribus conspeximus. A priori parte nudato vertebrarum corpore, orbem sextæ a septima separatum vidimus, ut cartilago intermedia a septima avulsa sextæ vertebræ adhæreret. Diductæ hæ vertebræ transversum hiatum in conspectum dabant. A parte postica inter processus spinosos adhuc integros diastasis erat; sed obliqui diffracti, et eorum fragmenta carnibus infixa cernebantur.

5. *Postrema cervicis fracta et subluxata.*

Bajulus Bergomas, florentis ætatis, validæque constitutionis, 30 junii 1801 ingentem sarcinam ab sociis sibi imponi passus est, quæ cum male super humeros locata esset, neque securus eam circumferre posset, intentis humeris adeo annisus est, ut sarcinam extolleret, atque supremam cervicem ultra vires gravaret. Quo factum est, ut pondus sarcinæ totum in cervicem prolaberetur eo impetu, ut homo se sustinendi impos de repente humi affligeretur natibus, cadendique impetus totam dorsi spinam concussit. Rejecto pondere, statim de colli dolore conquestus, simul artuum inferiorum resolutione prehensus est. Mox in nosocomium illatus, sanguisque ei detractus est. Sub vesperum anxietate, spirandi difficultate, vomituque ingestorum vexatus fuit. His additi sunt calor urens, pulsus vibrans, spiritus gravior, stupiditas. Lecto erectus insidere non poterat. Processus spinosus et transversus a dextris postremæ cervicis vertebræ extare videbantur illæsa cute; ex quibus notis judicavimus septimam cervicis vertebram dimotam esse, fractosque processus articulares, unde medulla spinalis comprimeretur. Cum secundo sanguinem mittere decreveramus, delirans malo succubuit.

Die secunda julii aperto primum thorace, pulmonem utrumque sanguine

suffuso distentum, atrique coloris invenimus. Abdominis viscera sana præter vesicam multo lotio repletam. Nudata cervice, primo suffusionem in cellulari; dein septimam colli vertebram mobilem, exporrectam retrorsum, atque a prima dorsi sejunctam, et tantisper dimotam deprehendimus.

6. *Tertia dorsi fissa.*

Vir annorum 35 dum intentis viribus funem traheret, ut arborem e pede succisam prosterneret, sive quod pedes eum fallerent, sive quod funis effugerit, quorum utrum fuerit referre nesciebat, in dorsum prolabitur, communicatoque spinali medullæ percussionis impetu momento citius fit paralyticus. Undecima post casum die, scilicet 26 decembris 1816, in nosocomium infertur, ibique defunctus est 8 jan. Supervacuum est hic memorare paralyseos sympthomata, videlicet, quod primis diebus lotium retineret, potremis resoluta alvi, et vesicæ vi sponte excernenda dimitteret.

Secto cadavere, fluidum sanguinem effusum in pectoris caveis, pleuramque inflammatam animadvertimus; tum ingentem sugillationem in dorsi musculis, latissimo præcipue, et in membrana cellulari musculis interposita usque ad apophyses vertebrarum. A parte thoracis probe detracta tænia ligamentosa spinæ observavimus tertiam dorsi vertebram a summo ad imum fissam, fragmentumque corticis a corpore avulsum. Hinc spinalis medulla graviter læsa fuit; nam theca membranea fissuræ obversa, veluti vacua, laxaque, quia funiculus medullaris adeo contractus erat, ac si vinculo fuisset constrictus. Vasa singula supra constrictionis limites sanguine distenta, sinusque laterales atro sanguine turgidi. Infra vero tubus membraneus lympha copiosa, tenaci impletus, quæ gravitatis lege infima thecæ tenebat.

7. *Decimæ dorsi subluxatio.*

Puer annorum decem et septem e lecto prolapsus in nosocomio deponitur 11 julii 1789, cui artus inferiores motu carebant, urina primum retenta, dein laxata fuit. Dolor vertebris lumborum insidebat, ubi inter tertiam et quartam subsidere aliquid videbatur, nec minus indolebat dextrum hypocondrium. Sanguis non semel missus est; balneum sæpius iteratum, potiones anodynæ propinatæ. Erat duodecimus curationis dies, cum non sine admiratione processum spinosum extare vidimus, pressum indolescere, quem ad decimam dorsi vertebram pertinere credebamus, simulque ejusdem vertebræ fracturam adesse. Hæc dimotio non prius observata, nobis videbatur effectus esse negligentiæ valetudinarii famuli in volutando ægroto, ut, quæ composita erat, fracturam dejiceret. Quapropter glaciem spinæ dolenti sex continenter diebus imposui, sed incassum; nam 31 julii male vexatus obiit.

Latam ecchymosin a parte antica spinæ invenimus; decimam dorsi cum cartilagine intermedia ab undecima vertebra sejunctam, dimotamque;

insuper assulæ ambarum vertebrarum ligamentis infixæ; postremarum costarum capitula soluta; et processum spinosum decimæ diffractum.

8. *Duodecima dorsi prærupta.*

Juvenis valensque agricola ab juglande in dorsum cadit 17 septembris 1794, tamque vehemens fuit corporis commotio, ut erigere se non potuerit; et vesica urinaria cum artubus inferioribus mox resoluta fuit; artus uterque calorem retinuit, lævus vero sensum amisit. Nec diu gangræna os sacrum prehendit; sentiendi facultas perit; pulsus et vigor deficiunt; urinæ et fæces sponte profluunt; demum atrocissimus abdominis dolor hominem extinguit 11 octobris.

Emeticum initio datum est; dein arnica, frictiones ex cantharidum solutione; unctiones ex oleo empyreumatico c. c. hirudines lumbis appositæ, venæ sectiones, frustra adhibitæ sunt.

Thorax nihil morbosi ostendit. Abdomen distendebatur a sero crasso, pure, floccisque gelatinosæ substantiæ remixto: intestina et peritonæum inflammata, ejusdem gelatinæ lamina obducta: musculi psoas et iliacus internus ita sanguine suffusi, ut nigricarent: duodecima dorsi prærupta, et in eodem ordine servata a valentibus musculis et ligamentis dorsum cingentibus. Theca medullaris item inflammatione tacta cum seri intra ejus caveam effusione.

9. *Tertiæ et quartæ cervicis subluxatio.*

Pedissequus Mediolanensis laqueo sibi vitam intercidere tentavit biennio antea, quam in casum incideret, quem mox sum narraturus. Proximiores ejus domus incolæ, cum scelus, quod patrabat, prævidissent, accurrunt, atque prorsus incolumem servant. Die 20 augusti 1803 in nosocomium invectus est ob totius corporis paralysin, mentis duntaxat facultatibus, et loquela non ammissis. Decumbebat cervice ad dextram intorta, et capite paullo in dorsum reclinato, ajebatque se e lecto delapsum fuisse capite retrorsum flexo. Quod mihi suspicionem movit, illum reapse sibi necem intentasse, corpus retrorsum pervertendo, cervicemque in arcum inflectendo, unde caput pavimento innixum, veluti puncto immobili, corpus autem ex altera parte mobile punctum constituens, cervicem inter duas potentias intercipiebant; ex quo id accidere debuit, ut cervicis arcus inter duas potentias æquipollentes disrumperetur. Arduum vero erat judicare qualis quantaque noxa ab ejusmodi contorsione inducta fuerit; sed non diu perplexus hæsi; nam exeunte mense ipse quoque confestim exivit e vita.

Defuncti examen cœptum fuit a parte antica columnæ vertebralis, et remotis musculis, illico deprehendi tæniam ligamentosam et periostæum a tertiæ et quartæ cervicis corporibus secessisse, tertiamque vertebram una cum cartilagine intermedia ab quarta avulsam fuisse, atque hanc sejunctionem

ita fuisse comparatam, ut lacerationem potius repræsentaret; vertebræ vero ab invicem oblique recedebant sic, ut tertia colli cum superiori cervice dextrorsus, quarta cervicis cum reliqua spina sinistrorsum essent promotæ. Cartilagines, quæ orbes quartæ et quintæ cervicis nectunt, inflammatione correptæ.

Sub latissimo dorsi, aliisque musculis sanguis multa copia effusus, dispersusque ad vertebras usque cernebatur. Sed et ipsa medulla cum suis involucris quodammodo rigida a suffuso sanguine turgebat, et trium vertebrarum, scilicet 3, 4, 5 orbes interius sic rubro latice imbuti erant, ut eorum pars spongiosa, quamvis detersa, aut ruberet, aut livesceret.

FINIS

FIGURAE EXPLICATAE.

Singula ossa morbida hic descripta , et partim œre expressa asservantur in Museo Veterinario Mediolanensi.

Fig. 1.ª Tibiæ diaphysin regeneratam demonstrat.
A. A. Os tibiæ.
B. Fibulæ os.
c. c. Pars regenerata.
d. Rimula superstes ex concursu extremitatum productarum.
e. Tibiæ diaphysis , quæ per terebrationem secessit.

Fig. 2.ª Repræsentat os innominatum sinistrum , in quo tres sinus , aut foveæ spectantur , quæ pedetentim femoris caput exceperunt.
A. Os innominatum.
B. Ischii tuber.
C. Pubis os.
D. Foramen ovale.
e. Acetabulum arctatum in trianguli formam.
f. Fovea prima supercilio cartilagineo insculpta.
g. Fovea secunda.
h. Fovea tertia.

Fig. 3.ª Diastasis ossium palati ; alias palatum bifidum cum specie proposcidis , quod explicatione non indiget.

Fig. 4.ª Exenterato abdomine ostendit duo marsupia in pelvim producta , cyphoseos materiam continentia , cum aliis minoribus æque ossa infestantibus.
A. A Pars trunci cum pelvi.
b. b. Marsupia duo majora.
c. c c Alia minora vertebris et costis insidentia.

Fig. 5.ª Ob oculos ponit vastationem a cyphosi productam in vertebris dorsi et lumborum , et quæ inde sequitur , curvaturam.
a. a. a. a. Spatia erosa in corporibus vertebrarum dorsi et lumborum.

Fig. 6.ª Pelvim cum artubus inferioribus neonati exhibet. In hoc femora triquetra sunt , et breviora superficiebus complanatis ; pedes loxarthro affecti ; crura decussata. Figura male delineata conspicitur.

Fig. 7.ª Loxarthrus manus dextræ ob cubiti processum longiorem.

Fig. 8.ª Loxarthrus pedis dextri ; de quo vide commentarium Scarpæ de pedibus distortis.

Fig. 9.ª Lordosis brachii sinistri , in quo deficiunt ulna , radius , pleraque carpi ossa , digiti tres.

Fig. 10.ª Caput infantis hydrocephalo laborantis cum diastasi occipitis inferne , atlantis , epistropheæ , et superiorum cervicis vertebrarum.

Fig. 11.ª Spina bifida , seu diastasis vertebrarum dorsi , lumborum , sacri ossis.

Fig. 12.ª Repræsentat eam spinæ dorsi perversionem , quæ proprie scoliosis appellatur dum spina variis modis curvatur.
Orbes vertebrarum solidi sunt , minusque a directione deflectunt cervicis vertebræ sex *a. a. a. a. a. a.* ; deflectunt magis dorsales , *b. b. b.* , quarum tertia et quarta obliqua superficie compressæ sunt. Quod vitium in 8 et 9 magis est manifestum , dein in secunda et tertia lumborum *c. c. c.*

Fig. I.








Fig. II.




Fig. III.




Fig. IV.
A
c
c
c
c
b
b
A

Fig. V.




Fig. VI.




Fig. VII.





Fig. VIII.






Fig. IX.

Fig. X.






Fig. XI.




Fig. XII.
a
a
a
a
a
a
b
b
b
b
b
b
b
bbb
b
b
c
c
c
c
c
c

EXERCITATIONES
PATHOLOGICAE

AUCTORE

J. B. PALLETTA

CAES. REG. ORD. CORONAE FERREAE ET LEGIONIS HONORAE EQUITE
I. R. INSTITUTI SCIENTIAR. ET ARTIUM LXVIRO
SOCIETATIS ITALICAE SCIENT. XLVIRO
ACADEMIAE CAESAREAE JOSEPHINAE VINDOBONENSIS
ACADEMIAE SCIENTIARUM LITTER. ET ARTIUM JANUENSIS
COLLEGII PHYLOSOPHOR. ET MEDICOR. VENETIARUM
SOCIET. MEDICAE BONON. ET NEAPOLIT. SODALI.



PARS ALTERA

MEDIOLANI

Excudebat Societas Typographica e Classicis Scriptoribus Italicis nuncupata.

M. DCCC. XXVI.

LECTORI

Arduum sane opus aggressurum esse mihi viderer, si singulas, aut sexcenas affectiones, quae generationis organa in sequiori sexu invadunt, persequi vellem. Etenim si sexcentarum aerumnarum, perhibentibus antiquis, aut causa, aut sedes est uterus, quisnam, quaeso, tanta ingenii vi praeditus esse potest; aut quis tam longa experientia consenuit, ut distincte tot morbos observare, et cum dignitate explicare praesumat? Primum enim uteri, et adnexarum partium structuram et functiones probe nosse oportet, quorum ignorantia multorum in medicina errorum fons est monente Friderico Hoffmanno (1). Is enim admirari satis nequibat fibrarum uteri carnearum, et vasorum vim elasticam, qua incredibilem in modum distendi, et explicari, iterumque contrahi, et ad pristinum statum sponte redire possunt. Accedit etiam, quod uterus, qui extra graviditatis periodum vix pyrum magnitudine aequat, dum gravidatur, in insignem molem excrescit; neque extenuatur, imo tunicarum crassities potius augeatur, quam ob expansionem minuatur.

(1) Frid. Hoffmanni Dissert. Selectiorum Decas II, Dissert. 3. De ignorata Uteri structura, etc.

Et vasa quidem largissime per uteri corpus distributa sunt, quorum alia ad ovaria, et matricis fundum, alia ad medium, et inferiorem uterum pertinent. His junguntur etiam venae haemorrhoidales dictae internae, et externae, quae omnes progressu flexuoso, et singulari inter se committuntur, et copulantur, unde cellulae fere ovatae enascuntur, et uteri substantia protendi potest, ejusque raritas in praegnante conspicua redditur.

Ad fibras uteri musculares quod attinet, gravis est inter Anatomicos dissensio, quas alii prorsus negarunt existere, uti Walterus prosector summus Berolini, Weisse, Meckelius, Azzoguidi. Alii vero spectatissimi viri has fibras, imo lacertos viderunt, et accurate descripserunt, inter quos Morgagnus (1), Gulielmus Hunterus (2), Albertus Hallerus (3), Roederer (4) et Loder (5). Multum vero differunt singuli in descriptione structurae, et directionis harum fibrarum. Nam Ruyschius fibras orbiculatas dumtaxat vidit, et fere concentricas in uteri fundo. Morgagnus in muliere post partum defuncta, manifeste conspexit « extantes musculares fibras in« ter se intextas, quarum manipulus non exiguae latitudinis ex« tremis utrinque partibus cum utero connexus erat, caetera liber, « et solutus prominebat, partem, atque adeo superficiem uteri « interiorem efficiens. »

Fusius Aloysius Calza Professor olim Patavinus uteri musculos persecutus est, qui cum aliis egregiis viris substantiam carneam externam, mediam spongiosam, et interiorem iterum carneam, licet tenuiorem utero tribuit. Detracto peritonaeo ab utero in conspectum illico venit tegumentum ex fibris carneis per longitudinem porrectis, quod utrique uteri superficiei inducitur. Sub hoc communi musculo reperiuntur minores musculi cuique regioni proprii,

---

(1) Advers. Anat. IV, Animad. 26.
(2) Anat. Uteri Gravidi Tab. XIV, XV.
(3) Elem. Physiol. tom. VII, l. 28.
(4) Elem. Artis obst.
(5) Dissert. de Musculosa uteri structura. Jenae, 1782.

inter quos eminet musculus *depressor* a Santorino egregie descriptus, qui transverso ductu utrinque ab uteri fundo ad lata ligamenta dirigitur. Oriri videtur a vasculosis, ut ajunt, sive rotundis ligamentis, deinde expansus, tubasque amplexando in matricis fundo disperditur. Sub hoc musculo depressore observatur ex utroque latere stratum fibrosum concentricum prope tubarum originem, quod ad primam uteri regionem unice pertinet. Hujus fibrae in modum spirae dispescuntur in tenuissima strata, atque inter se implicantur. Taenia carnea, quae transverse ab uno ovarii ligamento ad alterum protenditur, dirimit primae regionis confinia a secunda.

Isthmus inter duas regiones fibras rectas, et medias habet, quae frequenter a fibris oblique ascendentibus, et descendentibus intersecantur, uti in directione musculorum abdominis videre est. A parte visceris postica duo fasciculi oblique incedentes perfecte decussantur. Cervix uteri a fibris transversis cingitur, sub quibus fibrae rectae decurrunt versus latera obliquatae, quae cum aliis confluunt ad formandos circulos, donec ad substantiam vasculosam, et spongiosam perventum sit. Internus matricis musculus tam gracilis est, ut velum sericum aemuletur, cujus simplicissimae fibrae aliae in spirae modum, aliae transversim feruntur.

In eundem fere sensum delineavit uteri musculum Carolus Bell, qui fibrarum carnearum exterius stratum in segmento uteri superiori collocat, atque hinc ad ligamenta uteri rotunda deducit, quae hujusce musculi tendones quodammodo repraesentant. Ab uteri lateribus, et in infima regione fibrae vel per longitudinem ducuntur, vel in circulum convolvuntur. In interiori matricis superficie bina strata concentrica circa tubarum orificia conspiciuntur, quae tenues lacertos ad os uteri demittunt. Ab hoc ostio excludit Auctor fibras orbiculatas, et eas solummodo admittit, quae per longitudinem a basi cervicis ad os ipsum diriguntur.

Horum musculorum officium in eo consistere arbitratur Bell, ut instante partu vasorum sanguineorum ostiola contrahant, et constringant, ne sanguinis sequatur profluvium, quod officium ex eo colligit, quia uterum incidendo sub diversis contractionis periodis animad-

vertit, fibras carneas ita esse dispositas, ut vasorum ostia praecludere possint.

Inter utramque membranam (uteri scilicet externam et interiorem) cellulosam multam, et vasa, et fibras carneas multiplici, et fere inextricabili ordine plura strata efficientes locari scriptum reliquit L. M. Caldanus. Item rotunda ligamenta sub peritonaeo procedentia, vasis, carneis fibris, et tenui cellulosa in taeniae formam compacta esse, quae de abdominali scissura egressa ita separantur, ut cellularis membrana in pudendi pinguedine evanescat; carneae fibrae cum obliquo exteriore abdominis coalescant; vascula vero cum epigastricae ramis concurrant (1).

Denique accuratissimus J. Fr. Meckel Hallensis admittit cum celebrioribus anatomicis fibras utero inesse conspiciendas, praecipue dum is a qualicunque causa turgescit, aut erigitur; quas tamen differre scribit a carneis fibris voluntatis imperio subjectis; matricis enim fibrae planae, et parum rubrae sunt, quod nos etiam observavimus, et multum inter se implexae. Quod autem earum naturam muscularem evidenter ostendit, est valida contractio, quam in expellendo foetum et secundas, et dum cavitas imminuitur, et restringitur, exercent. Hae fibrae carneae non eodem modo se habent, neque eodem modo, uti demonstravimus, describuntur. Ut plurimum tamen juxta Meckelium secundum longitudinem excurrunt, pars etiam in transversum diriguntur. Duo strata fibrarum in utero reperiri affirmat, quibus interjacet substantia vasculosa. Exteriores fibrae crassiores et densiores sunt, praecipue in uteri fundo, quam interiores; ambae tamen intime inter se commiscentur, ut disjungi nequaquam possint (2).

Praeter vasa, et carneas fibras, et cellularem sese contrahendi facultate praeditam continet uterus quosdam ductus, quos tanquam novum organon abs se repertum vulgavit Doctor Gartner Havniensis (3); atque accurata descriptione, et iconibus illustrare pollicetur.

---

(1) Instit. Anat. vol. II, part. 2, cap. 32, 33.
(2) Vide ulterius J. F. Meckel, Manuel d'Anatomie, tom. III, p. 307, seq. Paris, 1825.
(3) Annali Universali di Medicina, vol. XXXVII. Milano.

Canaliculi duo, qui prope tubarum regionem incipiunt, et ad vaginae extremum desinunt prope urethrae orificium. In porca duorum canaliculorum orificia inveniuntur utrinque ad urethrae ostium, qui per exterius vaginae latus sursum pergunt, inflectuntur, et a proximis acinis glandulosis pancreati analogis surculos accipiunt. Deinde canales isti coarctantur, et in matricis cornubus evanescunt. Hos ductus ampliores in vacca reperit Auctor, qui orificio magis explicato orti, per vaginae latera decurrentes ad cervicem, vel ad corpus matricis perveniunt, deinde per cornua transeunt usque ad ovaria tenaci humore farti.

Quae de novo organo in brutorum matricibus vidit cl. Gartner, amplissime, et distinctissime explicata reperiuntur a Marcello Malpighio in Epistola ad Sponium (1). Ibi enim immortalis vir et carneas uteri fibras diversimode intersecatas, et geminum uteri ductum per vaginae latera excurrentem, ab ea parte qua vesicam tangit, et vasorum implicationes, et minimas propagines, et membranam glutinosam interius uterum succingentem satis perspicue descripsit. Attamen laude dignus certe est cl. Gartner, quod hosce ductus ab oblivione revocaverit, eoque magis erit laudandus, et commendandus, si eorum usum, quem hactenus plane ignoramus, sit indicaturus.

Ad structuram quod attinet, pertinet etiam interior uteri cavea; qua in re Thomas Simpson cum Falloppio facit, uterumque praegnantem in duas caveas dividit; superiorem nempe in qua matricis fundus est, et ubi placenta cum membranis radicatur: inferiorem alteram, quae postremis mensibus foetum, aquas cum membranis continet, non vero placentam. Haec autem secunda cavitas uteri ab ea parte, qua fundo opposita est, a cervice effingitur, quae sensim, et aequabiliter adaucta graviditate dilatatur, in eoque statu rotunda ligamenta, et tubae ori tincae fiunt proximiora, atque ita singulae uteri partes non videntur eodem modo extendi, quia ul-

(1) Data calendis novembris 1681; edit. Londin.

timis temporibus lata matricis ligamenta ex uno latere humiliora sunt, quam ex altero (1). Morgagnus vero in quadam Virguncula animadvertit intimam fundi uteri, et posteriorem superficiem bifariam secundum longitudinem divisam per sulcum quemdam profundum (2).

Jam si tot, tantisque carneis fasciculis praeditus est uterus, quid de ejus functionibus sentiendum sit, facile judicabimus. Exteriores enim fibrae per uteri fundum, et ejus latera disjectae foetum et secundas extrudere possunt, dum contrahuntur, ipsamque uteri superiorem caveam coarctare; interiores autem, si Carolo Bell assentimur, hiantia vasorum oscula constringere, ne purgamenta sint immodica. Quae vero per teretia ligamenta descendunt fibrae sive carneae, sive tendineae, et in obliquo externo abdominis musculo inseruntur, ad firmandum uterum, et in positu servandum constitutae esse videntur; sed dum nimis turgescit ob plenitudinem vasorum, vel ob spasmum contractus sursum promovetur, tensiones etiam, et dolores in inguinis regione excitare possunt.

Plurimum affliguntur mulieres, dum uterus in motus inconditos cietur, qui ascensus, et descensus, et praefocationes uteri a veteribus vocantur. Mulierculae, quae his motibus subjacent, matricem dicunt ad stomachum, ad gulam ascendere, et ab ea se praefocari. Nisi multum fallor, quod priapismus non prolificus est in mare, id uteri inflatio et commotio est in foemina. Ut enim uterus musculis instructus est, et fibris vi resiliente praeditis; mirum non est, si interdum inflatus rigescit, sursum, deorsumque movetur, nunc abdomen, et explorantis manum valide percutiat, nunc veluti e vulva exiturus deorsum feratur.

Quamvis autem Morgagnus (3) hos motus, velut irritamentum dumtaxat ab utero, ejusque appendicibus per nervos, membranasque ad superiora ascendens, intelligi malit, proindeque ad hypochon-

---

(1) Saggi d'Edimburgo, tom. III, art. 13.
(2) Advers. Anat. IV, 25.
(3) De Sed. et Caus. Morb. ep. XIV, 17, seq.

driacas, et hystericas affectiones referri debere censeat, quia nervei systematis insultus propinato opio feliciter praevertantur, aut consopiantur; negari tamen nequit, quin ad hujusmodi motus excitandos, et sustinendos lacertorum carneorum actio necessaria non sit. Praeterea matrici adultae illud est peculiare, quod aliis visceribus cavis; scilicet quod cupiant statis periodis compleri. Quod fames est stomacho, et intestinis; inspirationis pulmonibus; et circulationis cordi necessitudo, id cupiditas est matrici.

Consentit uterus cum recto intestino ob vasa haemorrhoidum, quae illi communia sunt; qua propter sanguis abunde congestus non modo per uterum, sed etiam per ani venas exitum tentat. Huic vasorum connexioni tribuendum est, quod frequentius primis a partu diebus nodosae haemorrhoidum protuberantiae ardentem ani dolorem promovent. Nec minor est vaginae cum recto intestino consensus, quod clarius ex eo colligitur, quia utriusque membranae arcte inter se connexae, et fere concretae sunt, unde crebro tenesmus intestini vaginam ad prolapsum disponit, et uterum ad abortum proritat.

Quamvis ex cognita uteri fabrica phoenomena non pauca foeminis occurrentia explanari possint; fatendum tamen est, plerorumque morborum, quorum in hisce Exercitationibus mentio fit, descriptionem mancam esse; quia eorum origo, et ratio, qua procedunt, nondum satis investigatae fuerunt. Etenim cur foetus fere maturi in utero extinguantur? quae sit causa infestae adeo pruriginis, et dolorum variae indolis adhuc ignoratur. Nec unam esse Eclampsiae originem pro certo statui potest, cum sanguinem interdum abundanter detrahere tutum, interdum nocumento sit. Latet etiam initium mortiferae illius gangraenae, quae gravidatum uterum invadit. Quae acidum lacticum in puerperis, et laetentibus parit incommoda vix observata sunt.

Multo saepius, quam creditum est, aegrotant ovaria; eorumque aegritudo diversae indolis est, et pharmacorum vim respuit. Quare nostra aetate extirpatio, aut potius excisio cum quadam temeritate ab Anglo-Americanis exsecuta est. Joh. Lizars Edimburgensis

opusculum vulgavit (1) in quo tres historias profert ovarii amputati. Prima est nubilis puellae annorum 36, quam ob ventris molem octavo mense gestare suspicabantur propinqui. Operatio sic fuit instituta. Coepit Auctor incidere cutim, et adipem a cartilagine ensiformi usque ad pubis symphisim paulo sinistrorsum ad latus lineae albae. Tum suspensa manu musculos, et peritonaeum prope umbilicum aperuit; ex qua incisione sex haeminae lymphae prodierunt. Deinde sursum deorsumque producta incisione tumor sese ostendit, qui ex abdomine extractus ministri manu sustinebatur. Is lato ligamento, molli, et flaccido, brevi pedunculo adhaerebat, quem Lizars forti filo cerato valide constrinxit, et per medium pedunculi trajecto eodem filo abscidit. Vulnus duodecim transversos pollices longum sutura et ceratis conjunctum fuit. Nullum sympthoma curationem turbavit, et a die 27 februarii ad 9 maji puella persanata fuit. Ex quatuor foeminis eo modo apertis, una perfecte convaluit: duae parum sublevatae fuerunt: quartam mors sustulit. Auctor tamen considerans ovarii tumorem esse morbum permolestum, et lethalem, adhortatur, ut eam, quam, chirurgia offert, operationem suscipiamus pro afflictarum mulierum incolumitate. Sed vereor, ne hanc administrationem tenellulae, et meticulosae nostrates foeminae reformident, neve sustinere possint.

Caeterum verba facere non constitui de iis, quae Hippocrates, Aëtius, aliique ex veteribus de mulierum passionibus tradiderunt; neque animadversiones adjeci, quas, cum contracto sermone pleraque protulerim, eruditioribus et sagacioribus viris perficiendas lubenter relinquo.

---

(1) Anno 1825. Annali Universali di Medicina, vol. XXXVIII. Milano.

INDEX

CAPUT XVII.

CAPUT XVIII.

CAPUT XIX.

CAPUT XX.

EXERCITATIONES PATHOLOGICAE

MULIEBRIA

CAPUT XVI.

Art. I.

Partus praecox vel maturus foetu mortuo.

Nonnunquam id funesti accidere comperimus foeminis aliunde bene valentibus, ut foetum ad maturitatem gestare nequeant, eoque solatio priventur, quo suavissimae matris nomen obtineant, quae res si genitoribus summo taedio, humanae societati graviori damno est, nec minori tristitia medentes afficit, cum plerumque obscurae sint notae causarum, quae immaturos fructus evertunt, et obscurior sit modus hasce aerumnas praecavendi.

Foetus in quavis gestationis periodo interire potest sive ob affectiones sibimet ipsi proprias, sive ob secundarum, sive ob uteri vitia. Potest etiam quodammodo immutatus servari intra matricem, donec secundae alienis humoribus enutritae sic crassescant, ut matricem proritando expulsionem conceptus promoveant.

Fridericus Hoffmannus (1) ubi ex instituto de immaturo partu disserit, plura ad rem nostram facientia in medium profert, et inter praecipuas causas enumerat secundarum avulsionem. Cum enim placenta ita matrici infixa sit, ut ab ea ut plurimum non gravi negotio separari possit; ita potissimae res separationem promoventes censeri possunt abdominis ictus, casus in pedes, in nates, concussio a tormenti bellici fragore, a tussi, a vomitu, ab ira, a coitu, ab exercitio vehementi corporis, a saltatione, vectatione, a ponderum elatione, nimiaque brachiorum extensione. Quandoque instante periodico fluxu a sanguine erumpere conante distrahitur placenta, distrahitur quoque, dum radices figit prope uteri ostium; tunc ad singulas uteri contractiones magis divellitur, et sanguinem iterato, et per intervalla fundit.

(1) Medic. Systemat. tom. IV, part. III, cap. IX.

Praeter separationem ab utero, ipsae quoque secundae multimodis possunt vitiari. Vel enim placenta aequo crassior, et durior, vel gracilior, vel corrupta observata est. Quin et funem umbilicalem in ipso utero abrumpi posse exempla docent; tuncque sanguis interius effunditur, tam ab umbilicalibus arteriis, quam a placenta matri syncopem, foetui mortem repentinam illaturus.

Jam matricis affectiones multo saepius conceptum laedunt, uti tarda uteri inflammatio, praecipue internae superficiei, quae vel ab albo fluore, vel a nimio coitu, vel ab incipiente menstruatione oriri solet. Quodsi fluente uteri catharro conceptio fiat, tunc inflammatio augetur, abortusque plerumque subsequitur. Nec minus remissa phlogosis menstruationi difficili, et torminali conjungitur, per quam uterus morbidum sensum acquirit, parumque sanguinis, multo sero, et pseudomembranulis tenuioribus, vel crassioribus, laceratis, irregularibus, pellucidis, vel laevigatis, vel villosis, commixti expellit. Quae membranarum ramenta a tarda inflammatione parata nonnisi cum cruciatu ejiciuntur ab utero. Recens nupti si re venerea abutantur, phlogosim plus, minusve levem matrici inducere possunt, quae ut plurimum sterilitatem ad plures menses comitem habet. Si tamen conceptio locum habet, foetus plerumque perit, abortusque non sine discrimine sequitur.

Morbidus corporis sensus in sponsis nuper gravidatis se prodit haemicrania, odontalgia, suffocatione, tussi, vomitu, aliisque nervorum affectionibus, quibus matrix agitatur, atque inconditis contractionibus ovum expellere conatur. Ad hanc causam recensentur vehementiores animi affectus, validiora remedia emmenagoga, diuretica, calida, drastica, emetica, albus fluor.

Matrix quoque aut copioso sanguine turgere, aut debilitate, et siccitate peccare potest. Ita nimia sanguinis copia, quae vasa ultra modum distendit, atque cum impetu ex eorum osculis erumpit, placentam vel totam, vel ex parte ab uteri superficie divellit.

Debilitas matricis stato tempore, et per vices conceptum relaxat, quin alia causa graviditatem turbaverit. Uteri sic infirmati cervix et orificium celerius explicantur, ut antequam ejus corpus naturalem capacitatem acquisierit, collum et ostium jam sic pateant quinto, aut sexto gestationis mense, ut foetui exitum praebere possint.

Ad uteri debilitatem ex humorum alborum copia pertinere videtur illud Hippocratis (Aph. Sect. V. aph. 45) *Quae vero mediocriter corpulentae abortum faciunt secundo mense, aut tertio, sine causa manifesta, iis cotyledones lentoris sunt plenae, nec prae pondere foetum continere possunt, sed abruptis decidit.*

Jam uteri siccitas consideranda venit, quae intelligitur, ubi ex densitate uteri ovum motu et nutricatu destituitur, sic ut secundae radicari nequeant apte, et nutritio coactis uteri vasis prohibeatur, quod Hippocrates altero aphorismo (Sect. V, 62) indicavit inquiens: *Quae frigidos et densos habent locos, utero non concipiunt. Et quae praehumidos habent gravidari nequeunt.... et quae sicciores, et aestuosos, nam alimenti defectu semen corrumpitur.*

Siccatur etiam uterus in morbis gravioribus, in alvi fluxibus, atque immoderatis sanguinis emissionibus.

Compertum est etiam genitalem liquorem in viro syphilide, matricem in foemina infici sic, ut ille non generet, haec, si conceperit, immaturum, maculatum, vita carentem, aut mox periturum ejiciat foetum.

Longe autem maximum uteri vitium matris, foetusque interitum minitans, est ejusdem putredo. Putredinis nomine intelligitur quidem humidae gangraenae species, aut, si mavis, malignum erysipelas; non tamen id gangraenae genus, quod ab uteri phlegmone progignitur. Quod jam advertit Hippocrates (Aph. Sect. V, 43) *Si praegnanti fiat in utero erysipelas, lethale.*

Incertum est, an ab interiori matricis superficie, an a membrana decidua primam originem ducat putrefactio; illud tamen certum est non posse uterum putrefieri, quin labes ad membranas transferatur, et vicissim. Haec putredo utero gravido propria quamvis internae superficiei potissimum inhaereat; tamen nonnunquam intus serpit ad tubas, et ovaria, quae pallido, aut plumbeo colore infecta conspiciuntur. Nec fere haec putredo profunde descendit in uteri parenchyma, cujus superficies vaginalis potius hinc inde commaculatur a putridae deciduae ramentis; sed altius insidet uteri orificio, et in vaginam propagatur, praecipue si partus tardior fuerit. Haec labes celeriter occidit, intra duos nempe, tresve dies, praecedente nonnunquam febri, languore et distensionibus nervorum. Rarius ad hebdomadas trahit mors, dum cunctando aliis in corpore affectionibus sedem parat, desinitque lethali convulsione praecipue in gracilioribus mulierculis.

Invadit morbus autumno, et hyeme, praesertim si frigida fuerit tempestas, et humida, et prae aliis foeminas laxae constitutionis, pingues, male nutritas, pathematibus vexatas, et exercitio corporis carentes. In nonnullis quoque mulieribus absque praedictis causis se prodit. Partus in hisce praegnantibus lente procedit, et difficulter; dolores vix excitantur, iique anomali, defatigantes, inefficaces. Si tamen diametri pelvis, et reliquae partes recte se habent, partus sine obstetricis auxilio obtinetur. At paulo post dum in tuto esse creditur puerpera feralibus oppressa sympthomatibus occumbit. Interdum post felicem partum solummodo gangraena fit manifesta in mulieribus caeteroquin sanis, cum matrix, et vagina tam malignam contrahunt putredinem, ut ichor, qui ex iis defluit, explorantium digitos imo et metalla rodat, et nigritie afficiat.

Taediosum est certe obstetrici viro, quod puerperas hoc morbo defunctas non semper liceat inspicere; etenim suspicandum est, jam ante partum in abdominis cavea putridi humoris transfusionem, aut alia vitia existere.

Signa hanc labem comitantia valde ambigua sunt. Generatim membranarum aquae turbidae, cineraee, nonnunquam graveolentes; extima placentae facies lurida, subviridis, dissoluta; lochia decolora. Interdum adsunt malignae febris sympthomata. Abdomen item nec dolet semper, nec tumet. Uterus autem dolet circa pubem et inguina. Linguae color, et pulsus non mutati:

febris, si supervenerit, continua remittens est cum calore vespere adaucto, sudore, urinis crudis, et virium imbecillitate. Dum febris cum horrore invadit, mors in propinquo est. Quotidianus ferme est alvi fluxus ex flavo obscurus, mucosus, foetentissimus, cui sociatur vomitus ex materia mucosa, virente, et oleoso quodam sedimento, quae omnia mali ominis sunt. Lactis secretio turbata, lochia parcissima, aliquando tamen sincera.

Haec matricis, et secundarum labes, quam praeclarus Boërius se octies vidisse scribit, ego quater, consuetis praesidiis aegre admodum domatur, et quamvis unica interdum sanguinis emissio non inutilis esse possit, tamen ut plurimum nocet. Purgationes sicut debilitant, ita gangraenam accersunt. Antiseptica saepius, prout res postulat, si morbus inducias faceret, utilia forent; et si forte non congruunt, malum exasperant. In universum ab internis remediis parum emolumenti expectandum est, praecipue si morbus otium non concedat. Molles turundas linimento suppurante imbutas et in vaginam immissas utiles invenit Boërius, quibus foeminas quatuor sanavit. Foeminis sic aegrotantibus saepius maculae ex rubro fuscae, variae figurae erumpunt in artubus diathesin gangraenae haud dubie indicantes.

Denique nullum dubium est, quin foetus iisdem morbis obnoxius sit, quibus adulti affici solent, praecipue syphilide, convulsionibus, hydrope, febribus, quibus perculsus praecocius ab utero ejicitur.

Omne Medici consilium in abortionis negotio in eo consistit, ut imminentem, si fieri possit, foetus exclusionem praecaveat, quod impetrare licebit eas causas removendo, quae dispositionem ad abortum adducunt, et debitum robur matrici restituendo. Quodsi largior sanguinis affluxus matricem praegravet, nullum tempestiva sanguinis emissione certius praesidium est. Verum si plethora frequentioris abortus causa esse noscatur non tantum venae sectio in auxilium vocanda, sed aliis praesidiis ex victu, ex motu, ex pharmacis desumptis opus est. Verum si phlebotomiae, si medicamenta nihil praestant, atque enormis haemorrhagia nulla ratione sistenda se prodit, abortus provocatio non solum salutaris, sed necessaria est ad servandam praegnantis vitam, quod citius et tutius fit chirurgica administratione.

Evenit etiam, ut gravidis alvi siccitas familiaris sit, et ob id ad abortandum pronis. Si vero juxta Hippocratis effatum (1) abortum tempestatis vitio timendus sit, cavendum in australi et pluviatili hyeme, ut non modo victus, et vitae regiminis exquisita habeatur ratio; sed ut corpus mundus servetur, ut libere perspiret, neve frigidiori, aut humidiori aëri exponatur.

Disponitur ad abortum foemina non solum inepto post partum regimine, sed recidiva abortio frequentius ab eadem causa pendet, nempe quod uterus cum annexis partibus non rite a sordibus expurgatus, nec pristinum robur ei restitutum fuerit. Oportet idcirco laxantibus interdum uti, interdum bal-

---

(1) Aph. Sect. III, aph. 12.

neis, quandoque etiam roborantibus, tam intus, quam extus usurpatis. Ad quod praestandum conferunt etiam pillulae, quas Beccherus fortuito certe invenit, nam affirmante Friderico Hoffmanno artem medicam vix calluit. Attamen ad praecavendos abortus prae aliis specificam sibi efficaciam vindicare creduntur. Hae tamen non empirice, sed habita aegrotantium, et causarum ratione usurpari debent.

Foeminae, quae quater abortaverat tertio quovis mense, hanc medendi rationem adhibuit Hoffmannus (1). Per triduum quotidie pillulas balsamicas quindecim vesperi deglutiendas propinavit. Mane compositum ex cremore tartari, lapidibus cancrorum, tartaro vitriolato, sale epsomensi, et nitro depurato exhibuit. Deinde per quinque dies balnea ex aqua fluviatili, cineribus clavellatis, mentha, melissa, salvia, et floribus chamaemeli parata, commendavit sic, ut leniter sudaret, et curationem alternando ter repeteret. Cum rursus utero concepisset alternis mensibus venam in brachio tundendam curavit, obtinuitque, ut debito tempore sanum excluderet foetum. Postea cum ob aegram uteri dispositionem majora mala timenda essent, ad ejus robur instaurandum dedit infusum theiforme ex melissa, scolopendria, salvia, betonica, floribus millefolii, hyperici, et aniso stellato paratum, et singulo mane sorbillandum.

Hanc medendi rationem experiri placuit in quibusdam foeminis, quae frustra antidota quaesiverunt adversus iteratam foetuum extinctionem. Mulier habitior, elegantioris formae, pelvi paulo ampliori donata, nullis animi turbamentis obnoxia undecies genuit. Primo partu foetum maturum, viventem edidit, qui biennio post interiit. Alter foetus, postquam amnii aquae per decem et septem dies percolaverunt, septimo mense in lucem venit anceps vitae. Puerperium felix fuit. Quod pedes diutius erecta constitisset, mali causam tribuerunt mulierculae. Tertius duorum cum dimidio mensium extinctus foetus una cum placenta expulsus fuit. Praecesserunt dolores in regione lumborum; puerperium tamen aeque felix fuit. Quartus vivens sexto mense lucem aspexit, cujus praematurum adventum matris commotioni ob primogeniti interitum accensuerunt. Quintus abortus vivus, trimestris fuit, judicarunt obstetrices placentam morbidam fuisse. Sextus septimestris parum vixit. Placenta a chirurgo extracta; puerperium bene processit. Septimus, octavus et nonus partus praematurus accidit inter sextum, septimumque graviditatis mensem; foetus vitam brevem habuerunt; matris puerperium naturale fuit. Decimus vix vita fruens sexto mense editus est. Placenta in utero haerens post aliquot demum dies ab utero contracto fuit exclusa. Quae causa forsitan fuit diuturnae et gravioris febris puerperalis, a qua tamen nihil damni relictum est. Decimum primum partum praecocem praenuntiavit sexto mense modicus sanguinis fluxus. Vitae exspers in mundum venit foetus nihil sinistri matri relinquens.

---

(1) L. c. obs. IX.

Mulier, de qua agitur, abundat quidem menstruo profluvio, sed nunquam extra ordinem purgatur. Neque ad tollendum matricis vitium curationem suscepit, praeterquam in postrema graviditate, in qua lectum tenuit quinque mensibus, et conceptum fructum perdidit. Haec mulier generatim pondus quoddam in infimo ventre primis conceptus diebus sine uteri descensu, et dum pedibus insisteret, quidquam circa ventriculum molesti percipiebat. His cognitis methodo Hoffmanni tractata duos continuo puellulas bene valentes peperit.

Mulier vix adulta, mediae staturae, potius macilenta, et viridi marito juncta quinquies continenter abortavit. Haec a venerea labe, uti prior, et a laboribus immunis, a coitu, et a vinculis lumbos, ventremque comprimentibus abstinere satagebat. Prior foetus extinctus septimo mense prodiit, cujus infortunii arthritidem, quam primis mensibus habuerat, incusabant. Altera vice iners creatura depulsa est mense sexto, et quia os sacrum cadendo leviter contuderat, ideo abortum passam fuisse existimarunt. Tertium foetum extinctum emisit octavo mense cum dimidio. Tunc, cum causae manifestae non adessent, plethoram culparunt, quia in tota graviditatis periodo vena secta non fuit. Quare, cum quarto utero gestaret, sexies sibi sanguinem detrahere permisit; foetus tamen nono mense mortuus editus est. Tunc infausti exitus culpa recidit in matris imbecillitatem. Mulier igitur dum quintum uterum complevisset, omissis venae sectionibus omnem adhibuit sollicitudinem, ut bene pasta, et bene pota incederet. Haec cautio non suffecit, quin mortuam prolem ederet nono mense revoluto, satis tamen perfectam, quemadmodum nonimestris puellus esse solet. Hujus filii interitum ob uteri convulsionem accidisse autumabant, quia genitrix postremis diebus subsultantem uterum habuit. Illud praesertim observaverunt, quod singulis foetibus, praeterquam ultimo, epidermis secedebat, et quod amnii aquae plus minusve impurae erant. Caeterum puerperia optatum exitum habuerunt.

Decies item praemature genituram excussit civis altera macilenta, mediae staturae, rite menstruata, et labis cujuscunque expers. Priores quatuor foetus mortui ex utero prodierunt ante quinti mensis terminum. Mulier nulla adhibuit praesidia, quibus abortum praecaveret. Quintum ad septimum usque mensem gestavit, quia singulis mensibus missus fuit sanguis, et perfecta quies servata. Mulier autem haud dubie animadvertit, foetum ante sextum mensem interiisse, nam reliquis putridior et foetidior erat. Sextus partus prioribus quatuor non absimilis fuit. Ad septimam conceptionem consilia adhibuit cujusdam artis periti, qui abortus culpam vel in matricis imbecillitatem, vel in ejus descensum, dum a foetus pondere gravaretur, rejiciens, pessum ex gummi elastico in vaginam immisit; sed graviditas eodem modo, quo praecedentes, absoluta fuit. Nec alia ratione octava et nona graviditas se habuit, in quibus contrariam vivendi normam servavit mulier motibus et exercitationibus corporis indulgens, ut constitutionem corporis et matricis, si qua labarent, confirmaret. Decima et postrema graviditas omnium brevissima fuit,

nam tertio mense finem habuit. Placentae primum portiuncula avulsa, dein postera die tota placenta cum foetu extincto prolapsa est. Illud etiam animadvertendum, quod foetus omnes, primo et ultimo excepto, pedibus exierunt. Item mulieri enitenti non consuetos dolores accessisse, sed eam levibus non frequentibus pressionibus sine sanguinis jactura germen exclusisse. Lochia paucissima, densa tamen, bene colorata, non foetentia apparuere, ut puerperium breve et ordinatum fuerit.

Mulier, dum utero habebat, post tertium mensem animadvertebat quemdam ponderis sensum in parva pelvi; et paulo ante id tempus in pedum dorso oedema, quo dissoluto haud dubium matri signum prostabat, aut foetum propediem moriturum, aut jam esse mortuum; nam in singulis abortubus notatum fuit ob livorem corporis, epidermidis secessum, ob placentae corruptionem, vel decolorationem, mortem longe praecessisse, antequam cadaverulum expelleretur. In quinta graviditate, dum menstruae phlebotomiae exercebantur, pinguiorem habitum nacta est mulier, sed absoluto puerperio ad pristinam gracilitatem rediit.

Veneta mulier boni habitus, staturae mediae, tres continenter sequioris sexus abortus passa est, primum septem mensium, duos octo mensium absque praecedente sanguinis profluvio. Lochia, et puerperium ut in partu naturali se habuerunt. Culpam invenerunt in secundis auctis et crassefactis, quae ideo ponderosiores erant, et ex parte putrefactae. Huic medebatur hic Mediolani juxta praescriptionem Hoffmanni, atque die 20 jan. 1821 peperit marem vegetum cum placenta bene constituta.

Scripsit Sauvagesius (1) "Boerhaavium mulieri annos 32 natae, quae duode-
" cies intra octo annos abortaverat, foetus successive magis immaturos exclu-
" denti, incassum tentatis Bathoniensibus balneis, frigida balnea per sesquian-
" num adhibuisse exiguo cum successu; dein sequentia remedia mulieri, dum
" gravida non esset, praecepisse: scilicet purgationem *adstringentem* ex in-
" fusione myrobalanorum, et rhei, cum pauxillo mannae, et syrupi de ci-
" chorio composito per quinque dies successivos. Vespere vero. Cardiacum
" ex aqua stillatitia corticis citri unciis duabus, spiritus vini Mathioli drachma
" una; tincturae opii guttis decem; succini guttis quindecim. Item victum
" ex vegetantibus, jura carnium ex lacte. Postea sexto die hora ante jenta-
" culum, prandium, et coenam sumendas imperasse pillulas tres: scilicet
" catechu 3ij, corticis granatorum 3j, mastiches, succini praeparatorum
" ana 3j, therebintinae guttas sex, olei stillati cinnamomi guttas octo. Mi-
" sceantur, et fiant pillulae granorum trium. Superbibendum etiam statuisse
" vinum medicatum ex infusione corticis capparum, cinnamomi, tamarisci,
" ligni agallochi, santali citrini, lapidis haematitis, limaturae martis, maceris,
" nucis moscatae, radicis lapahti acuti, seminum quatuor calidorum minorum.

---

(1) Nosol. Method. Classis IX, Ordo I, Gen. VII, Sp. 5. Abortus ab uteri laxitate Boerhaavii.

" Pulvis tenuis infundatur in vini rhenani libris sex. In his perseverandum " toto gestationis tempore. „ Haec praescriptio nostris temporibus minime accommodata, quem effectum sortita sit, ignoramus.

Mulier staturae infra mediam, aetate florens, rite purgata, jam tribus annis vegeto marito copulata, aliquot hebdomadibus post primam conceptionem informe corpus rejecit absque sanguinis intempestivo fluxu. Alterum conceptum septimo mense sine vita edidit, quem ante aliquot dies moriturum fuisse praesagiebat genitrix ob inconditos matricis motus. Tertium foetum extinctum evacuavit sexto mense non sine leipothimia, tenesmo, sanguinisque fluxu. Quartus abortus quinquaginta circiter dierum ventris torminibus fuit sociatus. Dum quintum utero gestaret, atque ad tertium mensem pervenisset, meam postulavit operam mulier, quia praeter lumbaginem, quodammodo vulneratam circa os sacrum se sentiebat, saepiusque hemicrania, et bilis vomitu affligebatur. Anno igitur 1813 pillulas mercuriales Plenkii sumendas praecepi, cum decocto ex herbis melissae, salviae, betonicae ana ℥j; ex floribus, melliloti, hyperici ana ℥ß; anisi stellati drachmis duabus. Mense gestationis octavo foetum hydropicum suscepit. Anno vero sequenti iisdem remediis adhibitis puellum vivum et sospitem luci dedit.

Mulier parvula, agilisque annos nata unum supra triginta novies abortavit. Septem foetus masculi sexus, duo foeminei perdidit. Primus quinto mense ex utero decidit praevio sanguinis fluxu. Alter septimo mense, tertius quarto post superatam a matre internarum partium inflammationem. Quartus tertio, quintus, sextus et septimus sexto mense; foeminei duo ante septimum mensem singuli mortui prodiverunt. In omnibus hisce partubus abundabat amnii aqua; foetus vel hydrocephalo, vel ascite laborabant; nonnullis epidermis abscesserat. Placenta aequo crassior erat praecipue in abortu foemineo. Neque abortus praecaveri potuit sive vena tunderetur, sive non.

In postrema graviditate, quae medio ferme aprili 1822 incepit, ter sanguis eductus est, sed incassum; nam medio septembri ejusdem anni signa abortum indicantia praesto fuerunt, scilicet volutationes foetus vix percipiebantur; aderat anxietas, rodentis lymphae ex utero fluor; mammae flaccescebant; abdomen inaequale, nodosum erat.

His ab ore mulieris exceptis, licet opportunum medendi tempus effugerit, pillulas tamen Plenkii placuit commendare, quibus mulier utebatur usque ad exinctionem motuum a foetu pendentium. Tunc die octobris decima exanimem foeminam edidit sine sanguinis effusione. Leucophlegmatia aliquot ante partum diebus mulierem invasit; lac tamen uberibus non defuerat. Foetus macilentus abdomine tumido; placenta, et puerperium secundum naturam; lochia parca, appetitus ciborum, digestio, et excretio in tota graviditatis periodo regularis fuit. Postrema lochia decolora, zonis virentibus striata. Sanguis pridem, et iterato e brachio missus aquosus erat. Postquam haec mihi exposuerat mulier 26 novembris 1822, tantorum malorum pertaesa sibi proposuerat, si forte gravidata fuerit denuo in silvestrem regionem migrare.

Matrona torosa, editae staturae, optimae caeterum valetudinis viro juncta aeque sano, mares duos genuit incolumes, qui primi fructus conjugii fuere, et etiam num laete adolescunt. Reliquos quinque exanimes exclusit intra septimum et octavum mensem, qui non strigosi, sed optime nutriti in lucem veniebant, et dum perituri erant, parens vel insolitos, vel nullos motus percipiebat, atque abdomen ei modo attollebatur, modo deprimebatur sine cibi fastidio, aut virium detrimento. Crura tamen ei inflabantur, urinae vel crassae, vel aequo pauciores reddebantur. Partus eodem prorsus modo quo naturalis se habebat, nisi quod paulo tardius procedebat. In singulis amnii aquae redundantes; placenta maximae molis et ponderis erat, ut, exceptis aquis, et sanguine hinc inde deperditis libras majores octo cum dimidia ponderaret, scilicet uncias mediolanenses ducentum triginta octo. Postremi duo foetus ascite tenebantur, et inter funiculi membranas aliquid serosi humoris translucebat.

Mulier ex oppido Clarevallis vigesimo quarto aetatis anno viro juncta, boni habitus, pusillae staturae, prima vice gravida, foetum septimestrem mortuum excussit sine sanguinis jactura. Illud ignorari nequit, illam, priusquam pareret, fuisse irrequietam, doloribus ad ossa pelvis vexatam, cibumque fastidivisse, et cum rheda aliquandiu vecta fuisset, mox partus doloribus captam decubuisse. Puerperium recte processit. Sexto post praematurum partum mense denuo concepit, et denuo mortuum foetum exclusit eadem periodo, sine praecedenti sanguinis effusione, sine putredinis inditio. Ob matris terrorem sexto graviditatis mense foetus volutari desiit. Puerperium praeter lochia alba nil morbidi habuit. Tertius extincti foetus abortus, praecedente sanguinis fluxu, accidit tertio gestationis mense, cujus causam tribuerunt laboribus, quos conficiendo lino impenderat. Quartum utero gerens vix vomuit, praemature foetus volutari coepit; pillulae balsamicae Becheri cum aromatico potu praescribuntur; quinto mense vena pertunditur; stato tempore maturam prolem suscepit anno 1799.

Eodem anno Januensis foemina temperamenti pituitosi, pallida, leucorrhaea et lumbagine post pubertatem exercita, vigesimo secundo aetatis anno viro Patritio nupsit, atque labente anno utero habuit. Post quatuor mensium gestamen aliquid cruenti ex utero fluere coepit, quod licet parumper conquievisset, tamen singulis diebus mucum subcruentum reddebat, donec immaturum partum edidit octo antequam purgationes reverti solent diebus. Hoc infortunium ex eo processisse judicarunt, quod parens mense sexto exterrita fuisset, et profecto haud multo post languidiores fuere motus, et penitus defecerunt paucis ante extincti foetus expulsionem diebus. Puerperium caeterum felix fuit, si lochia parca et aquosa excipias.

Undecimo a partu mense concepit iterum, et secundo gestationis iterum stillicidium cruentum ex utero incepit, quod per triginta dies suppressum, renovabatur postea, quoties alvus erat deponenda. Volutationes autem foetus ex ordinatis languidae et inordinatae quarto mense fiebant, atque omnino de-

fecerunt ante foetus expulsionem, qui brevibus doloribus extinctus in lucem venit ante octavam purgationum intermissionem. Foetus hydrocephalo affectus, gracilissimus, hinc inde prope collum et scapulas corruptus fuit. Funiculus pariter et placenta exiliores multo, eaque parvitate, quae graviditatis stadio non respondebat. Breve fuit puerperium cum lochiorum parcimonia.

Hujus narrationis auctor duas praematuri partus causas adferebat, nempe mancam haematopojesim ab inopia menstruorum, lochiorumque demonstratam, unde foetus sat bene enutriri non potuit, tum laxitatem uteri a leucorrhea octo annorum spatio inductam. Qua propter ut rite, et vitali foetu foecundaretur mulier, suaserat medicus, ut illa per annum atocos esset; ut pro utero roborando aethiopem martialem, et aquam item ferrugineam, quam de Rio appellant hauriret; victum insuper plenum, et corporis exercitationem injunxerat, postremo ut etiam praegnante utero hisce frueretur. Quae hic proposita fuere, ut ab Caesareo Archiatro Vespa probarentur, maritus optavit, qui pariter a particularum sanguinis rubri paucitate, et nimia serosarum copia mortuos foetus praemature in lucem venisse existimavit, utpote qui sufficienti et bona nutritione carebant. Quare enixe commendavit praeparata ex marte, atque potum acidulae a Rio, ut haematosis perficeretur. Addebat se, ad eliminandas lymphas, per intervalla in usum vocasse pulverem ex rheo et cremore tartari, et pthisanam ex ligno sassafras, ut deinde ad chalybeata rediret. Quod si spasmodici aliquid intervenisset, chalybeatis admiscebat catapotia ex cortice peruviano, et valerianae sylvestris extracto, cum pauxillo opii, cum sale sedativo Hombergii, et oleo succini rectificato irrorata.

Medio decembri anni 1799 quintus agebatur mensis, ex quo tertium foecundata erat sine stillicidio sanguineo, licet brevibus itineribus Florentia profecta esset Mediolanum. Foetus jam tertio mense valide moveri coepit, et parens capiebat quotidie grana viginti quatuor pollinis ferrei, cui superbibebat aquam, ut dicunt, carbonatam. His pharmacis adjeci pillulas balsamicas Becheri ad scrupulos duos, quas ad partum usque prosecuta est, atque abunde alvum expurgarunt. Toto gestationis tempore animo irrequieto formidabat foetum ante partum fore interiturum, ob eamque causam saepius convellebatur, quoties nempe discrimina menti subibant, quibus foetus vita periclitabatur; vel quoties ad uteri motus animum advertebat, qui si fortiores, metuebat foetum ex convulsione brevi moriturum, si languidiores, metus item erat, ne vita extingueretur ob virium defectionem; si vero nulli jam exanimem esse pronunciabat. Verum licet tam frequentes, validaeque animi perturbationes praecessissent, foetus tamen vivens, vegetae constitutionis die quinta aprilis editus est decem diebus antequam nonus mensis compleretur, si matris calculos secutus fueris.

Post haec impleto iterum utero menses omnes ad octavum usque sine sanguinis fluxu, aliave molestia traduxit, alacriter inambulabat libero passu, cum ciborum cupiditate, nec nisi martis scrupulum quotidie assumebat ad uteri robur sustentandum. Interim pedes, manus, ulnas, quandoque vultum

intumescere observatum est. Circa medium octavi mensis anno 1802 mense januario, lumborum dolore praecedente, puerum expulit exanimem bene conformatum, nutritumque, sine putredinis, aliusve morbi inditiis. Sanguis lochialis sincerus fuit absque lymphae exundantia, sed parcus, uti et lac quod ad mammas affluxerat. Initio puerperii oedema augebatur, quod sale Glauberi pene discussum, urinis deficientibus, mucoque turbidis post mensem rediit, iterumque juniperi decocto, et tartari cremore delituit, ita tamen ut identidem vel laeva manus, vel pes dexter, vel brachium tantisper inflarentur.

Eodem anno 1802 quintum gravida facta est, quod cum advertisset, statim et confuse varia hausit medicamina, scilicet et aquam acido-mephiticam, et Becheri pillulas, et aquas Tungrorum, nec cibis largioribus, nec corporis motui parcens. Declinante sexto mense intumuerunt crura, brachium et sinistra manus; urinae fluebant albae; foetus inordinate volutabatur quoad vires, tempusque, quapropter non inanis erat in praegnante metus, anxietas, convulsio. Abdomen laxius et demissum, licet gemina fascia sustentaretur. Exceptis hisce sympthomatibus graviditatis stadium utcunque emensa quinta die octobris anno 1802 praematurum foetum edidit octavo mense non expleto. Ipse foetus pedibus praecessit macilentus, fracidus, hinc inde livescens epidermide secedente. Breve fuit puerperium, lochia, uti solebant, parca; oedema vigesimo die evanuit, et mulier pristinam salutem recepit.

Anno subsequenti 1803 se virum non agnituram statuerat, nisi prius duorum spectabilium virorum consilia contulisset. Quorum prior acidulas Recoarii, et Thermales Aponi, et exercitia, et a pharmacis abstinentiam, si modo conciperet, proposuit. Alter e contra calida prohibens, decoctum peruviani corticis cum tinctura martis pomata, balneationem marinam, et rusticationem, aut frequentiores ab urbe ad villam itus, reditusque suasit. Uterque de causa praematuri partus disserens in eam convenit sententiam, uteri vasa esse angustiora, quam ut placentae foetali eam nutritii succi copiam possint suppeditare, quae grandaevo foetui alendo par sit; sufficere autem ad conservandam tenerioris foetus vitam. Praeter vasorum angustiam videri etiam tarditatem sanguini et humoribus inesse ut non ea, qua oporteret, celeritate promoveantur. Matrona cum alias efficaciam semifrigidi balnei esset experta, consilio alterius Professoris acquievit, Januamque concessit, ubi tertia januarii die anni 1804 vegetam puellam genuit feliciter.

Alia Matrona primi sexennii spatio quinquies falsa germina, ut ajunt, exoneravit; deinde bimestres, vel trimestres abortus exclusit, quos excepit partus septimestris puellae mortuae, et duorum germinum spuriorum; tum masculi septimestris pariter exincti sine alieno germine. Cum res, quae conceptum perdiderant, in occulto essent, tandem infortunii causam quaerere placuit in laxitate solidorum, praesertim vero systematis uterini. Hinc praeparata ex marte cum radice columbo commendata fuere; clysteres item ex mali punici decocto, et ex eadem aqua lavationes vaginae ter aut quater per diem etiam

graviditatis tempore perficiendae. Exercitationes corporis injunctae, simul cibi et vini parcitas. Hac servata methodo duos filiolos alacres in lucem emisit.

Mulier haud pinguis, staturae ordinariae, sanoque marito conjuncta, decies peperit. Priores duos foetus maturos edidit, in reliquis abortum passa est a quarto graviditatis mense ad septimum; postremis geminavit. Exacto vix puerperio concipit, et tunc genitalia exsiccantur. Duobus antequam abortat, mensibus humor ferrugineus, aut lateritius ex utero fluit, cui sanguineus succedit, dein copiosus aquarum effluxus, quem excipiunt abortandi dolores. In hoc intervallo duorum circiter mensium mulier agitata aestuat, eique corpus pustulis quibusdam vellicantibus tegitur, quae in puerperio evanescunt. Dum foetus, ut ipsa existimat, revolvitur in utero, acerbissimus dolor latera concutit, cogiturque e sella desilire. Foetus prodit vivens, macilentus, rugosus, et juxta parientis dictum, semicoctus. Lotium parcum, subfuscum. De secundis, quas neque ego, neque pariens vidit, nil est, quod dicam.

Varia auxilia sunt adhibita: vena nunc parcius, nunc abundantius secta fuit: lac copiosum, potus ex herbis subamaris, balsamicis datus. Aër rusticus non profuit. Ego autem cum primum accersitus essem, cumque uteri rigiditatem et aliquam irritabilitatem culpandam esse censuissem, anno 1782 singula quae laxant, quae molliunt praecepi, neque praeparata ex opio omittenda esse monui, quamprimum dolores ingravescerent.

Anno sequenti 1783, postquam hoc regimen inchoaverat, advocor, et mulierem invenio, cui duobus jam mensibus catamenia emanserant, seque ex signis utero habere putaverat, gravi menorrhagia laborantem. Primum alba fluere coeperunt; tum sanguis sincerus, dein coactus cum lumborum torminibus, cum genitalium calore, et gravedine, non secus ac si imminens esset foetus dejectio. Demum sub animi defectione ingentes sanguinis grumi protruduntur, in quibus nihil, quod foetus structuram aemularet, repertum est. Praesidiis opportune administratis fluor sensim imminutus mulierem sanam, sed non amplius parituram reliquit.

Abortus, partusque praematurus non raro accidit ob luem celticam latentem, vel ob quamdam pravam dispositionem, quam genitalibus organis, etiamsi extincta sit lues, impressit. Hic morbus non solum copula, sed etiam lactatu propagatur; et cum villicae nutrices ejusdem insidias ignorent, atque ideo, quemadmodum oporteret, non se tueantur, in sanguinem et ossa permeat, et tunc signis larvatis, non propriis, se prodit. Quare cum morbus vel negligatur, vel si cognitus, imperfecta curatio instituatur, nil mirum si tot mulieres contaminatae reperiantur, et si non exiguus foetuum numerus absque vita, et putridis carnibus in lucem venit.

Supersunt aliae abortionis causae, quae etsi ad rem nostram parum attineant, dignae tamen sunt, quae memorentur, ut sunt tumores vel carnei, vel ossei in variis organi genitalis partibus subnati. Sic mense aprili anni 1821 tumor repertus est in uteri gravidi parenchymate, qui praecocem partum

et mortem intulit. Ejus pondo erat unciarum decem et novem, et chymico examini subjecta massa exhibuit:

Gelatinae	uncias	6 1/4	
Albuminis . . .	—	1 3/4	
Phosphati calcis	—	1 1/2	
Carbonii	—	7	
Muriati sodae .	—	:	scrup. 5.
	Unciae	16 1/2	scrup. 5.

Reliqua vel absumpta, vel deperdita.

In alia foemina praegnante, quae in parturientium hospitio excepta fuit anno 1823, ita diametri lineae, quam appellant, innominatae arctatae sunt inventae, ut cum increscens uterus magnam pelvim subire, atque undique compressus in parva pelvi sese explicare nequiret, foetum dejecerit.

Quae huc usque exposita sunt, partim oculis subjecta meis fuere, partim ab ore ipsarum puerperarum accepta, quarum puerperio ego non semper interfui; hinc lubenter concedo multa scitu necessaria deficere, historiasque esse imperfectas. Ut ut autem imperfectae sint, certe obstetricibus medicis stimulo erunt, quo diligentius in causas et phases abortuum inquirant. Auctores etenim admodum jejune de hac re disputaverunt, et perpaucas observationes nobis obtulerunt, de medendi ratione, qua abortiones praecaveantur, et funesta accidentia avertantur praeter Federicum Hoffmannum, qui enixe hortatur, ut mulier post abortum iteratis lenientibus, et interpositis balneationibus expurgetur a sordibus, utque lumbis, si a distentione, vel dolore male habeat, apponatur emplastrum Barbettae ex sapone cum oleo hyosciami malaxatum. Fatendum est tamen praegnantes invite se medicis credere, aut una formula contentas esse, ut plurimum vero muliercularum consiliis acquiescere. Ego certe, ubi abortus, vel praecox partus non a sanguinis copia, neque a concussione, aut labe celtica, sed potius ab uteri laxitate, aut mucore, aut nutrientium vasorum exilitate sine sanguinis profluvio accidere existimabam, Hoffmanni medendi rationem felici cum successu secutus sum, scilicet Becheri pillulas sumendas praescribebam ad scrupulum unum, vel duos, vel tres, sic ut alvum moverent, non exturbarent. Haustum theiformem superbibere suadebam ex foliis melissae, salviae, betonicae, ex floribus melliloti, hyperici et anisi stellato.

Igitur si praetermittamus vitiatam foetus et placentae fabricam, et in morbida uteri constitutione causam quaeramus, cur foetus mortuus sine sanguinis jactura expellitur, utique inveniemus matricem ita irritabilem, ut ultra praefinitum terminum extendi non possit; vel vasis tam exilibus, et angustis ornatam, ut foetui pabulum desit, atque is stata periodo interire debeat. Quae si ita se habeant, aphorismis Hippocratis (1) ubi de sicca et humida uteri intemperie loquitur, confirmari possunt.

(1) Quae mediocri corporis habitu praeditae foetus bimestres, aut trimestres absque occasione

Non inopportunum duco huic articulo adnectere aliam historiam foeminae, cujus curatio nuper duntaxat absoluta fuit. Anno 1821 mense julio accessit ad me mulier ad Portam Tonsam hujus civitatis degens, quae narrabat septem retro annis se ulceribus aliisque malis venereis fuisse affectam, et mensibus quatuor oscitanter transactis in febrim incidisse, qua sublata, inunctionum ex mercurio, et balneorum ope fuisse sanatam, nisi quod interdum fluor non contagiosus e naturalibus prorumpebat. Sanitate vix recepta maritum sibi adjunxit, neque prioribus quinque annis uterum fecundare potuit. Primus conceptus octavo mense hydropicus, et secedente cuticula mortuus editus est sine sanguinis effusione. Mater ipsa, dum gestabat, diutius febri conflictata, urinis deficientibus in leucophlegmatiam inciderat.

Ineunte julio mense anni 1822 cum me convenisset, sex mensibus secundi foetus gravidam se esse ajebat, foetus tamen motus nulli, ipsamet pallida erat, et toto corpore tumida. Nil igitur mirum fuit, dum percepi die nona julii mulierem post ingentem aquae percolationem foetum quidem vivum peperisse, sed, ut apparebat, seximestrem, non lactentem, mox interiturum. Puerperium nihil praeter ordinem habuit. Secundae ordinariae molis erant, sed lobi earundem huc illuc duriores, albidis, tuberculis fere cartilagineis scatentes.

Die 24 septembris anni 1822 post menstruas purgationes pillulas Becheri duas sumere coepit cum potu balsamico. Die octava februarii 1823 nunciavit mulier se in quinto graviditatis mense versari sine uterino fluxu, sine crurum oedemate. Suasor fui ut alternatim pillulas, et decoctum assumeret. Extremo aprili cum septimum mensem exegisset, jam foetus volutationes percipiebat, abdomen firmum, non laxatum ut antea, crura graciliora. Fructuum tamarindorum decoctum substituitur. Die 20 maji crura paulisper intumuerant; foetus tarde movebatur; reliqua bene ordinata erant. Doses aliquot cremoris tartari praescriptae sunt, praeter decoctum balsamicum. Die 25 junii 1823 puerum maturum, bene viventem laetabunda suscepit. Puerperium absque molestia fuit.

Non ignoramus, uti jam diximus, inter causas quae foetum interficiunt, numerari veneream labem, quae hydrargiro recte administrato persaepe reprimitur, ut amplius non noceat; interdum tamen ejusdem labis aliqua particula in intimis recessibus locorum muliebrium adhuc delitescit, quin communibus

---

manifesta abortione excludunt, iis uteri acetabula (graeci cotyledonas vocant) mucosis plena sunt, neque prae pondere foetum continere possunt, sed abrumpuntur. Aph. Sect. V, 45, edit. Foesii.

Hollerius hunc aphorismum sic explicat: Cotyledones lentoris sunt plenae, idest humoris viscidi, crassi, quo fit ut sanguinis alimentum restitet in ipsis cotyledonibus, et illic colligatur; vel ut vincula quibus secundae alligantur utero laxa et flaccida fiant, unde non possint foetum sustinere.

Quae frigidos et densos habent uteros non concipiunt, neque quae praehumidos habent, siquidem in ipsis genitura extinguitur; et quae plus aequo siccos et adurentes; alimenti namque inopia semen corrumpitur. At quae ex utrisque moderatam nactae sunt temperiem, eae foecundae evadunt. Aph. Sect. V, 62.

signis se prodat, foetumque inficit. Accidit etiam, ut incolumi uxore mariti genitura ab eadem lue contaminata sit, ita ut proles vel mortua edatur, vel nata protinus extinguatur. Licet enim lues valida curatione extincta videatur, in penitioribus tamen receptaculis salutare pharmacum non semper se immittit, vel per furtivam venerem liquori prolifico venenum se immiscet, et per virilia gliscit, ut nova subinde curatio sit instituenda, id quod exemplis aliquot confirmare possem in quibus soboles post mariti sanationem genita pleniore vita fruebatur, quae primum putrida in lucem venerat.

Art. II.

Deformitas locorum muliebrium.

Ad deformitatem locorum muliebrium refero vitia quaedam naturali partui obicem facientia, tam ea quibus ossa pelvis generatim afficiuntur, quam quae molliores partes ab iis conclusas deturpant. De his quidem singillatim scribere non ausim, quia pereleganter ab obstetricibus medicis juxta leges graviditatis et partus pertractata fuere. Quare praecipua tantum exponere animus est, ne repetita fastidiant.

Pelvis quandoque nimis angusta, interdum amplior est observata. Angustiae pelvis variae sunt causae, et modi, quos praetereo, ut determinatae arctationis curam per ciborum delectum ab cl. viro H. J. Brünninghausen propositam subjiciam (*). Benemeritus hic auctor, ut partus reddatur facilior in iis gravidis, quae aliqua pelvis angustia laborant, ordinem quemdam in victu servandum suadet: scilicet optat gravidae, ut quam minus possit cibi capiat; atque ex eorum specie, qui parum nutriunt, uti offae tenues, legumina, fructus gregales; jubet simul ut a carnibus abstineat, a fructibus amygdalaceis, a pane, vel saltem ut parce iis utatur per totam graviditatis periodum, atque ut praegnans non satiata a mensa recedat.

Huic propositioni opponuntur a physiologis speciosa argumenta: quod vita et nutritio foetus non eadem ratione se habeat ac vita et nutritio matris. Matres quippe tabidae, quibus habitus febricosus appetitum ciborum demit, et quotidie depereunt, vegetos foetus progenerant. Ab esculentis item abstinentia, vel per complures menses perdurans vomitus, non impedit, quominus sospites filii nascantur.

Haec oppositio non obstat, quin aliter res succedat. Quamvis enim allata argumenta contra oppugnatores facere videantur, placuit tamen auctori propositionem suam duobus exemplis comprobare. Observavit enim foetus ex matribus esurialibus, atque deformibus natos habere capitis ossa mollia, flexilia, cedentia, bregmata lata, suturae distantes, ob quam structuram capitis

---

(*) Etwas über erleichterung schwerer geburten von H. J. Brünninghausen. Würzburg, 1804.

partus levior fuit. Quaerendum nunc esset quam ob causam capitis ossa mollescant, dum a cibis selectioribus severe abstinet mater? Ignoratur adhuc modus, quo nutritio efficitur, et quomodo elementa nutritia huic potius parti, quam alteri apponantur. Id autem certo constat aqueos fructus minus nutrire, minusque roboris corpori impertiri, quam cibi ex farina parati, et carnei, aequali saltem proportione assumpti. Hinc a vero non absimile est, quod ossa aquoso succo enutrita minus solida et compacta efficiantur. Si itaque lymphatica nutritio ossibus mollitiem conciliat, et si terrea elementa abducit, tunc scopum attigimus partus levioris assequendi. Ratio tamen et ordo sic alendi gravidas debet a perito medico dirigi, ne ab incongruo regimine mulier detrimentum patiatur.

Vereor ne haec medendi ratio conformis sit eorum instituto, qui continuo operandi occasionem quaerunt, et multi sane Transalpini mature foetum excutiendum esse contendunt, ubi pelvis arctior esse praesumitur. Hi insinuato pedetentim in os uteri acuto stilo membranas pertundunt, et evacuatis aquis partus laborem naturae committunt. Quae res, nescio, an in praeceptum sit deducenda, cum non facile sit internoscere varios arctationis gradus, et cum non paucae mulieres, quae arctatae credebantur, et in quibus propterea difficilis partus expectandus erat, facilem et naturalem, ut nobis quoque obvenit, obtinuerunt. In quarum numero commemoranda est prae aliis matrona rachitide a pueritia deturpata, quae etsi pusillo corpore, cute rugosa, vultu simo, et a nemine expetita esset, tamen quia nobilissimae stirpis unica haeres erat, maritum sibi adscivit. Primus partus infelix fuit; nam cum irritis conatibus foetum propellere eniteretur, et prae ossium capitis duritie nequiret expellere, ipsamet parturiens enixe rogavit, ut sibi foetus quocumque modo educeretur. Quare terebrato cranio extractus est puellus bene formatus. Non felicior fuit alterius gestationis terminus, partusque eadem administratione peractus est. A duobus puerperiis levata est mulier sine corporis damno, tanquam si partus a naturali non deflexisset.

Hoc infortunio perculsus genitor cogitabat de toro separando, meque interpellans ajebat, filiam suam si tertium utero gestasset vita esse periclitaturam, ideoque consultius esse connubium solvere, quam tanta animi agitatione et moerore familiam afficere. E gravi periculo evasisse matronam non negavi, tamen laxatis pedetentim ligamentis, et tumefactis ab humorum affluxu pelvis cartilaginibus, spem non dubiam fore, quin pelvis jam amplior reddita foetui exitum praebeat faciliorem. His dictis recreatus parens proximum partum anxie praestolabatur, qui sine chirurgi, et septem, qui deinde insecuti sunt, sola matris opera vivi in lucem producti sunt.

Est quoque pertimescendum, ne illa administratione, qua foetus violenter et praemature excutitur, ne in turpe vitium vertatur res, neve mulierculae criminose abutantur ad disperdendos illegitimos conceptus. Instituti mei non est refellere rationes, quibus foetus praecociter expellendos esse ex vitiata

pelvi persuadere conantur eruditi obstetrices, quas enucleate exposuit libro singulari spectabilis vir Carolus Wenzel (1).

Arctationi opponitur alia deformitas, scilicet pelvis amplitudo, quae positum infantis mutare, et vaginae cum utero descensum favere valet. Hujusmodi historia describitur a Van Doeveren (2) mulieris aegrotantis, quae, cum quatuor mensibus cum dimidio uterum gestasset, interiit. Distantia inter ossa pubis et sacrum erat quatuor pollicum, et novem linearum. Uteri gravidi situs singularis erat. Fundus enim maxime depressus ad umbilicum, ut solet, non ascendebat, et pone distentam vesicam vix tertiam lumborum vertebram contingebat; ideoque uterus minus protuberabat ad anteriora, figuramque planiorem acquisiverat. Corpus valde expansum, deorsumque valde intumescens satis exacte adimplebat omnem pelvis (inferioris) cavitatem. Poterat autem illa expansio partis uteri posterioris, situsque mutatio a distensione vesicae eo facilius excitari, quoniam tota pelvis cavitas erat amplissima.

Huc usque Auctor, qui reliquas diametros metiri neglexit; nam non videtur uteri expansio accensenda esse distentae vesicae, quae lotio, nisi praecesserit ischuria, postremis vitae horis repletur. Colligimus autem multum interesse ad foetus in utero positionem vitae genus, et statio, et ossearum partium amplitudo, vel arctatio. Sic a matrona quadam accepi se quater peperisse auxiliante chirurgo, idque ob foetus transversum positum, ut jugiter pedibus esset extrahendus. Cum quinto concepisset advocavit obstetriciae artis peritos, atque ab eis expostulavit, ut in causam inquirerent, ob quam foetus non prodiret capite, agnitamque tollere satagerent. Foetus sic nati erant maximam partem graciles; et mater, ut ut sana, videbatur nimia pelvis amplitudine esse praedita; diametrum nempe transversam ab uno ad aliud os ilium nimis distare, ut foetus protentus supra lineam, quam vocant innominatam commode subsisteret potius, quam deorsum pondere suo ferretur. Hoc cognito praeceperunt matri, ut praegnans mature ventrem cingeret, quo ad minus spatium reducto abdomine deorsum foetus compelleretur. Res bene successit, quia postmodum duas puellulas genuit sanissimas.

Matrona altera priores duos infantes agrippino partu edidit. Haec procerior, habitusque torosi, cum segnitie quadam conjuncti, corporis exercitationes posthabens humili sellula foemineo cultui indulgebat. Quae positio infantis liberae volutationi obstare videbatur. Quare imperatum est ei, ut quemadmodum viri solent, editiori loco consideret, quo factum est, ut mutato matris et uteri situ sex postea infantes juxta naturae leges effunderet.

Arduum est de vitiata pelvi in nubili foemina judicium ferre. Interdum tamen chirurgus a parentum efflagitationibus urgetur, ut sententiam suam

---

(1) Carl Wenzel Allgemeine Geburtshülfliche Betrachtungen, und über die Künstliche Frühgeburt. Mainz, 1818, fol.

(2) Gualth. Van Doeveren Specimen Obser. Academicarum, cap. VII, § 6. Groningae, 1765, 4.°

proferat. Tunc pelvimetro uti nequit, vel si eo utatur, nil certi de vera pelvis conditione statui potest. Quare, cum pelvimetros omnes fallaces esse experti simus, omnes cujuscunque inventionis rejicimus sola corporis inspectione, vel digitorum judicio contenti. Virgo annos duos supra viginti nata temperamenti, ut vocant, sanguinei, habitus floridi, staturae mediae, matrimonium inire cupiens, ob aliquam in dextera coxa deformitatem, visitandam se ultro praebuit anno 1782. Impubes haemiplegia in dextero latere perculsa, brachii, corporisque usum recuperavit; sed artus inferior gracilior et brevior fuit sinistro, et puella claudicabat. Os coxae dexterum naturale incrementum susceperat, neque a positu suo excesserat, pelvimque superiorem recte compleverat. Spina dorsi recta, clunium sulcus aequalis; sed dextera clunis, et superius femur gracilius sinistro observabatur. A medio autem femore deorsum macies ita erat conspicua, ut ab injecto vinculo videretur fuisse strangulatum. Pubescebat mature puella; interfoemineum erat exiguum. Quare artus brevitatem, et femoris gracilitatem attente considerans, absentibus rachitidis notis, labem unice in femoris capite haerere, aut in acetabulo existimavi, quorum primum vel depressum, vel absumptum esset, alterum aut sede mutatum, aut profundius excavatum; proindeque judicavi matrimonio locum esse, neque parienti artus deformitatem impedimentum ullum esse allaturam. Quod confirmatum est prole mascula, quam sequenti anno 1783 conjugi obtulit.

Caeterum conjectari possumus pelvim esse vitiatam ubi spina dorsi distorta, aut introrsum flexa conspicitur; ubi os ilium elatius, et crassius, aut magis altero depressum est; ubi pubis arcus plenior, et venter anterius propellitur a lumborum vertebris; demum ubi rachitis gravem labem pelvi impressit. Inter leviora partium molliorum vitia vix reperitur labes, quae aut memorari possit, aut generationi officiat. In foemina ob hepatis obstructionem, et pericardii hydropem e vivis erepta, vagina tres latos digitos longa erat, et prope uterum convergens in angustum orificium, molliusculum, albidum, non eminens officium praestabat osculi uterini; nam labiis extantibus, et substantia illa duriori, qua uteri cervix compingitur, carebat. Prope erat cervicis locus latior, quam solet, multum varieque sulcatus a puriformi materia repletus. Tubae Falloppianae a concretione steatomatis rigebant, et earum altera humore purulento obturabatur.

Art. III.

Laesiones vaginae.

In primiparis diligenter eligendam esse pariturae positionem quisquis videt; nam a perverso positu multa mala expectanda sunt. Verticalis positus prae aliis perniciosus esse potest, praecipue si foetus forti nisu extrudatur, aut proprio pondere excidat, aut obstetrix incuriosa sit. Tunc perinaeum

laceratur, et quidem profundo hiatu, simulque vaginae ostium, unde molestis doloribus conflictari opus est inter cubandum, sedendum, atque per naturales vias excernendo. Laceratur etiam quandoque uteri osculum si praecipitanter foetus prolabitur, et secundae distrahuntur, et sanguinis profusiones excitantur.

Perinaeum porro laceratur vel in inferiori vulvae commissura, vel ad latus oblique, vel perfoditur medium intactis commissuris. Cum anno 1778 mense septembri primiparae foetus forcipis ope extraheretur, laceratum fuit perinaeum sinistrorsum eo in loco, ubi lithotomia in maribus celebratur, quod vulnus superne profundius, et fimbriatum ad ani oram descendebat. Etsi hic casus suturam cruentam exigere videbatur, lochia tamen immodice fluentia, et earum partium anfractus, in quibus sanguis subsistere poterat, eandem respuebant. Neque siccae suturae locus erat, ob permanentem partis humiditatem. Igitur plumaceolis pauco balsamo illinitis, et gradatim superpositis, fasciaque cohibente tota curatio intra dies quadraginta perficiebatur.

Cl. Van Doeveren historiam describit mulieris aegrotantis, (1) " quae praecipiti dolorum incitamento versus vesperam enixa est puerum mortuum, " cui praeter alia multa mala iu violento partus nixu perinaeum pessime " findebatur usque ad ani limites. Hoc itaque vulnus tumorem, et inflammationem contraxerat, magnosque cruciatus faciebat. Cataplasmatum ope " tormina mitigavit, et tumorem discussit. Deinde antiseptica, balsamica sedulo parti affectae applicata perinaei fissuram feliciter persanarunt. „

Torosa Villica annos nata quinque supra triginta puellam enixa est die sexta aprilis anni 1816 in hospitio Catharineo absque obstetricum interventu, quae, cum partum procul instare judicarent, tantisper recesserant. Ad foetus vagientis sonum accurrunt, et in parentis interfemineo inveniunt puellam ordinariae magnitudinis, quae per insolitam viam ex utero delapsa erat. Haec via, per quam transivit, vulnus erat per longitudinem factum ad laevum suturae perinaei, quod ab ani confinio sursum dirigebatur ad transversi pollicis distantiam ab inferiori vulvae commissura, ita ut paries vaginae posterior ad duos transversos digitos divisus fuerit, caeteris partibus illaesis, recto scilicet intestino et vulva.

Ad rem pene credibilem inspiciendam adfuerunt primores nostri chiriatri, quibuscum illico agitata fuit quaestio, an oporteret perinaeum laceratum sutura unire, vel non? Cum observassem ego parcum esse lochiorum fluxum, atque vulneris oras apte junctas esse, minime acu assuendas esse author fui, atque plumaceolis gradatim amplioribus sustinendas esse cum fascia decussata. Modica fuit suppuratio, nullus humorum congestus, neque aliud sympthoma cicatricis tam vaginae, quam perinaei progressum perturbavit, ut felici puerperio perfuncta mulier die quinta maji hospitio excesserit penitus sanata.

---

(1) Specimen Obs. Academ. cap. IX, § V, VI, VII.

Devii itineris, quod aliquando foetus tenet, aliquae causae possunt innotescere. Sic in urbe Modoëtia anno 1815 perrupto perinaeo natus est infans ob duram cicatricem matris genitalia obsidentem, quae in prima pubertate vulnerata et labiis inferiori parte licet agglutinatis conceptui tamen locum fecerunt.

In pariente, de qua paulo ante locutus sum, illud observatione dignum fuit, quod longitudo ossium sacri et coccygis simul sumptorum pollice parisiensi brevior fuerit naturali; item quod perinaeum amplam habebat superficiem, duorum nempe latorum pollicum cum dimidio ab extremo ani sphinctere ad imam vulvae juncturam. Hinc patet eam juncturam valde editam fuisse, atque cum extrema vagina ad angulum concurrente latum sinum intercepisse, in quem sinum caput foetus impactum, atque a doloribus retro urgentibus propulsum perinaei latus dilacerasse, in eo videlicet puncto, in quo impellentes matricis dolores omnes convergebant.

Agricolae cuidam primiparae foetus octo diebus stetit vaginae impactus. Vagina superior, et vesicae inferior pars prope cervicem a gangraena lacerata urinam in vaginae canalem incredibili cum ardore, et foetore emittebant. Sed etiam vesicae ipsius portio identidem per id foramen prolabebatur, quae proptosis urinae stillicidio conjuncta omnium molestissima erat. Haec mulier cum in pago inhospito degeret, nil ab arte auxilii tulit.

Casus non absimilis evenit in hac urbe. Primiparae forfices obstetriciae praemature, et praepostere, semel, et iterum applicatae latam genitalibus gangraenam induxerunt. Nam anterior vaginae paries, et meatus urinae excepto initio, et fundi vesicae inferius segmentum digiti transversi latitudine a gangraena depasta fuerunt, ut intuenti ab extremis ureteribus urina stillare conspiceretur. In hac, utpote recenti affectione, prolapsus vesicae non fuit observatus.

Historia ejusdem propemodum naturae describitur in Diario Medico Parisiensi (1), et ad consulendum proponitur, in qua tamen orificium urinarii meatus penitus obliteratum erat. Huic respondet per idem Diarium (2) Cel. Percy, affirmans hujusmodi casus perraros esse, si excipias Blasium, Sennertum, Salmuth, Stalpartum (3), Cornelium Solingen (4), qui tamen urethram penitus deletam non viderunt. In hoc postremo casu suadet Percy stilo vel argenteo, vel plumbeo, vel elastico uretrae orificium externum perquirere; dein fistulam substituere, tum pessum vaginae indere ad ulcus consolidandum. J. L. Petit (5) vult, ut catheter demittatur per ulcerosam vaginae et vesicae superficiem, ut eidem exitus paretur per meatum urinae externum, ad quod

(1) Vol. LXXVIII, p. 139. An. 1789.
(2) Vol. LXXIX, p. 397.
(3) Obs. rarior. 82.
(4) Embryulcia, p. 59.
(5) Oeuvres Posthum. vol. II.

officium praefert fistulam ex gummi elastico, quae in omnem sensum inflecti possit. Oportet hic notare, quod si meatus urinarii pars sit obliterata vix restitui potest ad officium suum peragendum, etiamsi instrumento aliquo aperiatur, quia media urethrae pars ut plurimum a gangraena una cum cervice absumpta deprehenditur. Qua propter fistulae aegre retinentur in urethra muliebri sive ob meatus amplitudinem, sive ob molestias perpetui stillicidii, sive ob difficultatem alligandi fistulam exterioribus partibus. Quodsi vesicae cervix intacta sit, lotiumque non continuo destillet, tunc catheter poterit utilius adhiberi. Compertum est etiam mihi si vulnus transversum sit, et prope uteri osculum vulneris oras sic posse pedetentim adduci, ut longo post tempore coëant; cum diligentius convoluti lintei in vaginam detruduntur, saepiusque mutantur, sic ut laxatas membranas sustineant, roborent, et conjungant. Quandoque observatum est transversis fibris et valentibus plagam cum exteriori oris uterini facie sponte coaluisse. Maxime fastidiosum est sympthoma, dum urina varii generis phosphata, et arenulas deponit circa vulneris margines, et in toto vaginae ambitu, ut videre est in historia, quam mox subjungo.

Pharmacopolae campestris uxor urgentibus primi partus doloribus obstetricem accersivit. Haec ubi accessit continua exploratione foeminam vaginamque defatigavit, deinde membranas praemature laceravit, unde parienti cum inefficacibus doloribus luctandum fuit, atque ab eo momento mejendi vis et desiderium extinguebatur. Tres totos dies in eo periculo stetit mulier foetus capite in vaginam impacto, et obstetrice alienum auxilium pertinaciter recusante. Demum, alia advocata obstetrice, operi sese accinxit, atque rudibus manibus vulvam dilatando aliquam capitis partem apprehendere sibi proposuerat. Post horarum quinque vexationem digitum fortuito in orbitam infixit, atque foetum extinctum et putridum eduxit. Secundae mox secutae sunt, et cum iis putrida foetidaque sanies. Lochia pauca fuerunt, vulva intumuit, et puerperium periculi plenum fuit.

Quinta decima a partu die membranula albida e naturalibus propendens ab adstante muliere avulsa fuit, atque ex eo die lotium per vaginam fluere incoepit, quod inditium erat inductae gangraenae sive ob ruditatem obstetricis, sive ob nimiam partium distentionem, et capitis foetus inclusionem, quae praevia genitalium inflammatione urethram perforavit. Haec domi gesta sunt.

Trigesimo puerperii die nempe octobri mense anni 1781 in urbem deducta est mulier, quam immisso prius in urethram cathetere exploravi, deprehendique vaginam in superiori, anteriorique parte una cum incumbente urethra transversa plaga esse apertam, cujus orae contrectatae sanguinem adhuc fundebant. Resupinata muliere guttatim fluebat urina, quae erecto mulieris corpore exundabat. Tubulus in urethram demissus ad avertendam a naturalibus urinam tantae fuit molestiae, ut illum amoveri oportuerit. Post haec discessit ab urbe, et domi id obtinuit beneficii, ut stans, sedensve per horas aliquot urinam continere posset. Sed februario mense anni sequentis 1782

doloribus ad hypogastricum ad pecten correpta est cum nisu aliquid expellendi, inde lotii praeter voluntatem effluvium, et urethrae ardor. His opponebantur lenes injectiones, fomenta, balnea, nam extremis pudendi labiis materia calculosa inhaerebat, easque partes ulceraverat, et vagina eodem modo affecta veluti callo obducta tangebatur. Ad hanc leniendam praeter lavationes pessi simul ex mucilaginibus, ex oleis adhibebantur, ex quorum usu orta irritatio, et vaginae inflatio, et urinae retentio, tormina abdominis concitata sunt. Quare balneae opportuniores visae sunt, quibus dolores mitigati quidem, sed vagina magis angusta reddebatur, et irruentibus denuo doloribus calculus excussus fuit e naturalibus. His afflicta malis mulier ex ingenio suo medelam quaesivit, nam glomos ex linteolis intromittendo in vaginam, saepiusque, prout urina infecti erant, iterando, sive plagae oras sic invicem commiserit, sive in iis levem inflammationem concitaverit, optatam sanitatem consecuta est. Altero post anno abortum geminum, quinquemestrem edidit.

Tria igitur quam maxime affligunt mulieres, dum vesica urinaria in vaginam hiat, scilicet ejusdem vesicae prolapsus singularis; concretio calculosa; et perpetuum urinae stillicidium. Perraro vesicae proptosis observatur, nec nisi quando magna urethrae et vaginae pars deperdita est. Urinae autem per vaginam defluvium quodammodo accendit cum ardore, quandoque ulcerat, saepius indurat membranas; et si urinae uberius phosphatum calcareum vehunt, tunc genitalia molesta crusta arenosa obducuntur. Quod non urinae solum, sed etiam ignaviae eas partes a sordibus expoliendi tribuendum est. Nunc ut ad perinaei lacerationem transeam, quaestionem, an sit assuendum nec ne, sic componendam esse existimarem. Si laceratio in medio perinaeo fit, et ad lati pollicis profunditatem rectum intestinum comprehendat, tunc exemplum la Motte (1) nos erudiat, qui tres suturas injecit, priorem vaginae et intestino simul; alteram ad ani extremum orificium; ultimam inferiori vulvae commissurae. Post dies decem consolidata fuit laceratio, posteaque non semel peperit mulier sine perinaei laesione.

Quando igitur perinaeum in alterutrum latus finditur, sive quod commissura inferior vulvae sit editior, sive quod cicatrix eam obduraverit, sive quod pariendi nisus in eam partem convergant, tunc vulneris orae non distractae sic mutuo junguntur, ut sutura non egeant; neque opus est sutura, ubi fissum ad gangraenam vergit.

Ad vaginae lacerationes non immerito accensentur stygmata, vibices ab imperita et rustica obstetricum manu inductae, cujusmodi exempla duo refert la Motte (2) vere singularia. Alterum est parturientis, cui post diuturnam attrectationem laxando et distendendo nymphae, labia, clitoris, et commissura inferior vulvae in suppurationem abierunt, eaeque partes per

(1) Traité des Accouchemens, liv. IV, obs. 405, 8.
(2) L. c. obs. 341, 342.

obstetricis et familiarium incuriam sic deinceps inter se consolidatae fuerunt, ut vulvae pristina forma deesset, nec nisi urinae meatus apertus observaretur. Post tertium a partu mensem, cum menstrua instarent, neque ob cohaesionem partium via prostaret, per quam sanguis congestus exoneraretur; Auctor immisso in urethram stilo, digitoque medio in anum, inter hunc et urinae meatum scalpellum bene firmum adegit ad trium latorum digitorum profunditatem; quo facto multum sanguinis nigri densique prosiluit cum sympthomatum remissione.

Ad reprimendam urinae incontinentiam ex partu globulos amplitudini vaginae respondentes bis utiliter adhibuit Simeon Paulus Hilscher (1). Hi globuli ex ligno duriori confici debent, laevigati, intus excavati, extus cera, vel cerato Hildani obducti, quibus filum fortius inseritur, quo globulus protrahi, et apposita amurca repurgari possit. Propellitur ejusmodi globulus usque ad uteri orificium, ut urethrae lacerationi subjiciatur. Sic urinae exitus praecluditur, si globulus vel ovatus, ut vult Paraeus (2) vel rotundus, quem commendat Hildanus, vaginae spatium exacte replet, et simul plagam cum vesicae sphinctere comprimit. In globi autem gestatione observandum, ut singulis mensibus extrahatur, et materia adnata abstergatur; incrustatus enim globulus magnas adfert molestias. Si forte urinae cursus intercipitur ob pressionem, depresso leviter globulo, vel diductis femoribus illa sponte prorumpit.

Art. IV.

Atretae.

Etsi ad bene pariendum necesse sit, ut pelvis ossa tum latitudine tum connexione recte constituta sint, alia tamen impedimenta interponere se possunt, quo vel conceptus praepediatur, vel si forte uterus foecundetur, partus perquam difficilis reddatur. Id contingit, ut ait Celsus (3), si naturalia inter se conglutinatis oris concubitum non admittant. Idque interdum evenit protinus in utero matris: interdum exulceratione in his partibus facta, et per malam curationem his oris sanescendo junctis. Hae foeminae clausae, imperfossae, vel atretae dicuntur. Sed non in omnibus eodem loco, neque ad eundem gradum impedimentum consistit; quippe nonnullis vulva solum membranula occluditur; aliis vel tota, vel media vagina agglutinatur, aut carne repletur; aliquibus etiam uteri osculum impervium est. Modum subveniendi iis foeminis, quibus orificio vaginae praetensa est aliqua membrana, ediscere possumus ab Aquapendente (4), qui tredecim annorum virgini im-

(1) Haller Disp. chir. tom. III, n. 88.
(2) Lib. XXIII, cap. 41. Hildan cent. IV, obs. 61.
(3) De Med. lib. VII, c. 28.
(4) Chirg. Operat. p. 99 edit. venetae.

perforatae, quae tunc coeperat male habere ob detentas purgationes, et morti proximae, incidit simplici incisione membranam, et effuso multo crasso sanguine ab omnibus malis liberavit. Simplicem vero voluit esse incisionem secundum vulvae scissuram, non decussatis lineis, ut Celsus docuerât, ne nympharum conformationi, quae cum hymene consociantur, noceret.

Chirurgicam hanc administrationem, ubi opus sit, non esse retardandam sequens observatio demonstrat habita die 17 maji anni 1777. Foemina, quae per multos annos viro juncta erat, neque consuetis purgationibus fruebatur, in Nosocomium allata est, ubi cum valetudinis suae causas et notas fusius exposuisset, compertum fuit illam fuisse imperfossam. Itaque convocatis chirurgis, membrana, quae infra vaginae medium obstruebat, incisa est, sanguinisque corrupti, neque adeo foetentis copia emissa est. Postea sive ob retenti sanguinis moram, sive ob ejus perniciosos effectus, quos per longa intervalla ediderat, mulier febri correpta, alvi siccitate, et jugi abdominis tensione tertio die mortua est. Uterus mirum in modum expansus sese obtulit, uti et funiculi vasculares cum tubis falloppianis admodum distentis, quarum laciniae lata basi ovaria amplexabantur, sic ut ad volumen duorum ovorum auctae multo corrupto sanguine distenderentur, quem ab utero retrogrado motu illuc pervenisse existimabam, vasaque omnia obstruisse; nam in lumbari regione, in epigastrica, et mammillari cellularis textus suffuso sanguine rubebat, et harum cavearum singula vasa eodem sanguine turgere visa sunt. Sanguinem ex uteri cavea per oviductus ore uteri clauso deferri posse in abdominis cavum probabile visum fuit Ruyschio; quia Roohonhuisius menstruatae cadaver aperuit, in cujus uteri cavea coagulatum, et utero leviter adhaerentem cruorem observavit, quo tuba ejusdem lateris quoque non solum erat conspersa, verum etiam ovarium, in cujus superficie coagulatus copiose, firmiterque adhaerebat (1).

Lugubris hujusmodi exitus non est pertimescendus, si ante pubertatem sectio administretur, uti fecit Marchetti (2) qui puellae bimulae pudendi labia, et vaginam conjunctam habentis cultro divisit, et intromissis turundis sanavit. Si a partu vagina coalescit, ut maritum repellat, sectione pariter est patefacienda, quamquam si mariti aut obstetricis diligentia non desit, canalis iste incolumis servari possit. Foetus maturus triduo in primiparae vagina retentus, tandem forcipibus extractus fuit 1781. Trigesima a partu die maritus obicem quemdam in persolvendo munere offendit. Hanc mulieram cum explorandam suscepissem, vaginam circa medium crispa cicatrice coaluisse, mucumque ex illa magna copia defluere deprehendi. Angustam rimam adesse suspicabar, quam tamen neque tenui cathetere, neque specillo subire potui. Cum neque hisce instrumentis, neque digiti impulsu quidquam efficeretur, validi mariti vis semel obstaculum removit. Sed quia patens

---

(1) Obs. anat. obs. 85.
(2) Obs. med. chir. posth. I.

via non servabatur, denuo occlusa intra decem dies cicatrix ad orificium vaginae externum producta est. Tunc neque maritus quidquam profecit, neque incidendi facultas data fuit. Hinc cum mucor continuo e vulva stillaret, statutum fuit purgationis dies attendere, quo vaginae canalis humectatus promptius laxaretur, id quod ex voto evenit, atque a frequentiori viri concursu ad naturalem diametrum vagina rediit.

Quod naturalia, utpote admodum sensilia, inflammationem, quam adhaesionis nuncupant, concipere possint extra omne dubium est. Id quod accidit, dum a praepostero forcipum usu irritatur vagina, vel ejus interior membrana abraditur; vel si turundis, aut plumaceolis intromissis ulceratur; vel denique si obstetricis imperitia loca muliebria non accurate in puerperio tuentur.

Antequam nostra proponamus, exempla duo ex la Motte proferemus (1); scilicet foeminae in primo partu perverse curatae vagina ultra medietatem coaluit, ut conjuges rite congredi non possent, et alter in alterum culpam rejiceret, jamque lectum viduare statuerant, cum praeter expectationem graviditas se extulit. Auctor hiatum nullum stilo pertentando reperit, dum partus instaret. Coepit igitur incidere sub urethra usque ad extremum vulvae, idque paulatim, et per vices, eo consilio, ut fortassis digito, manuve dilatatio perfici posset, sed incassum. Quare ope digiti in anum immissi, et cultri non ancipitis id omne quod callosum erat audacter detraxit superveniente non levi sanguinis effusione; sed promoto per uteri contractiones partu, eoque vasa opportune comprimente trium horarum spatio natus est puer. Deinceps iter patefactum pesso fuit conservatum.

Ad panificis uxorem tertio praegnantem vocatus la Motte, quae duobus partubus male vexata mortuos filios habuerat, praeter corpus durissimum septi instar ab urethra oblique superius in intestinum desinens, largiter pertusum invenit intestinum et vaginam, per quod foramen foeces ex intestino in vaginam sine mulieris sensu deponebantur. Dum partus immineret, mulierem exploraturus invenit uteri osculum a callo obturatum, neque viam scrutari potuit, per quam uterus foecundatus est. Urgentibus autem convulsionibus et leypothimiis aptato matricis speculo callum repetitis ictibus concidit, donec manus tota penetraret. Tunc arreptis pedibus partum lente persolvit.

Mulieri linteis purgandis addictae, robustae, floridi habitus primus foetus forcipum adminiculo in lucem venit. Haec mulier altera vice foecundata mane diei quintae novembris anni 1783 partus doloribus agitata citius, quam oportuerat amnii aquas amisit tantas, quantas lagena capere poterat. Pariendi tamen nulla instabant inditia; nam sedatis doloribus, pulsuque non mutato,

---

(1) Traité des Accouchemens, liv. IV, 663, 343, 344.

foetus cum utero superiorem adhuc regionem tenebat, et genitalium statu explorato vaginam cicatrice obturatam, sinistrorsum vero perforatam reperi, et specillum per eam rimam demissum altius et sine limite penetrabat. Nox renovatis doloribus agitata fuit, alteroque die febris accessit. Igitur cum partus nullo modo procederet, ex prudentium consilio statutum fuit partitis sectionibus vaginam aperire, tum ne nimium sanguinis profunderetur, tum ne vaginae paries temere perfoderetur. Interim progredientibus doloribus, et capite foetus, necesse fuit transversim secare cicatricem a dextra, ubi validius obstabat. Tum intromisso digito, dein occulto scalpello utrinque secta est vagina, quo via adeo patefacta fuit, ut caput nonnisi tenui membrana velatum tangeretur. Haec autem membrana nil aliud erat, quam uterus attenuatus, cujus orificium retrorsum recto intestino incumbens minimi digiti capacitatem habebat. Spatium vix erat inter uteri cervicem, et callum, quia omnia simul inter se agglutinata percipiebantur, praecipue retrorsum, et dexterius, ubi fimbria obtendebatur, quae itidem succisa fuit; reliquum operis tempori commissum est, et matris doloribus, si forte partum absolvere valerent.

Diluculo sequentis diei relatum est parturientem ob continuas pressiones non quievisse, quae ut obstaculum removere non potuerunt, sic febrim concitaverunt. Sanguis primum educitur, dein investigatur, quid cunctatio et operationes profuerint. Vagina quidem satis ampla apparebat, collum vero uteri dexterius lunatum, ejusque cornua a cicatricibus sic adstricta, ut extensioni sese opponerent. Necesse igitur fuit etiam haec retinacula ternis ictibus resecare, quod non sine multo matris dolore effectum est; nam reclusis hisce repagulis nil aliud expectandum nobis esse videbatur, quam partus. Verum iteratae matricis pressiones nonnisi capitis cutem corrugarunt, quin caput ipsum promoverent. Medius erat dies cum mulieris vires labare coeperunt, atque metus ingruebat, ne sub pressionibus uterus aut vagina dilacerarentur; quae res nos impulit, ut de modo, quo mulier cum foetu servaretur, cogitaremus. Instrumentum positioni foetus magis congruum videbantur esse forcipes, quarum alterum solummodo crus immitti potuit, tanta enim erat illarum partium angustia! Ob eandem causam pedes foetus arripere non potuit obstetrix, qui diminuto capite uncis illud trahere conatus est, partumque absolvere existimabat. Vana res! Quantis enim viribus trahebat, caput dimoveri non potuit, qui renixus tum partium genitalium ariditati, tum uteri contractioni foetum validius constringentis tribuebatur. Quam ob rem opus fuit totum penitus cerebrum dispergere, atque cranium frustillatim avellere, quo tandem factum est, ut manus praeparato itinere pedes apprehenderet, atque una cum placenta foetum extraheret.

Tot, tantisque cruciatibus febris et sitis, et cutis urens calor, et abdominis tumor, et matricis tormina supervenerunt, quibus opposita sunt venae sectiones, et mollientia, et calidae lotiones. Hac medendi ratione cum febri detumuit venter, mammae turgescebant, et lochia ex ordine percolabant;

nec alia sympthomata horum praesidiorum usum interverterunt, et puerpera duodecimo a partu die febri et lacte destituta lochiis duntaxat albis abundabat. Opportunum duximus in hoc stadio vaginae statum investigare, cujus parietes denuo cohaerescere incipiebant, ad quam perviam servandam obstetrix lemniscum ceratum quinque continuis diebus immittebat, quem tamen ob vaginae et inguinis dextri tormina, et ob novam febrim rejicere necesse fuit. Hanc aegritudinem compescuerunt continuata emollientia, dein corticis peruviani extractum ore sumptum eo beneficio, ut die octava decembris ejusdem anni e lecto se proripuerit. Vagina eodem tempore, cujus parietes ad concrescendum pronae erant, digitum adhuc suscipiebat, uterus vero clausus, ejusque orificium oblique versus rectum intestinum divergebat. Eo modo affecta mulier discessit a Pedotrophio 13 decembris anni 1783.

Haec mulier tertium supra vigesimum agens annum iterum utero suscepit, septimoque gestationis mense aquas amnii sine aegritudine dimisit, et post duos dies parturiendi desiderium noctu demum diei sextae octobris anni 1785 accessit, et mane sequentis diei vividioribus agitata doloribus vehementer ejulabat tum ob vitae periculum, tum ob gravem quamdam animi afflictionem. Tunc investigata genitalium conditione, vaginam duobus junctis digitis perviam esse nobis innotuit; ostium uteri ad scutati latitudinem hiare, atque ita esse attenuatum, ut caput foetus veluti nudum tangeretur. Tamen cum pariendi difficultas ab ipsius ostii renixu procederet, iterum matricis cervicem incidere coacti fuimus; namque non solum transituro capiti magis obstabat, sed dexterius ad modum densioris habenae producta alligabatur, dum sinistrorsum nullo obsistente repagulo digitus commode inter cervicem et caput circumagi poterat. Incisa igitur triplici ictu dextera cervice, tantum spatii obtinuimus, ut explorato capitis situ, forcipes adhibere, foetumque in lucem proferre potuerimus. Stadium puerperii tam foelix fuit, ut praeter consuetas administrationes nil opus fuerit mulieri. Illud solum monendum est nullam hic curam adhibitam fuisse, ut partium genitalium angustia tolleretur, et mulier plena utens valetudine die 22 octobris familiaribus sese restituit.

Quartum utero gerens eadem mulier septimo mense non completo in hospitium Catherinianum illata est, eo quod iterum amnii aquas guttatim amitteret. Uteri osculum hiabat, et foetus caput digitis occurrebat. Noctu diei octavae septembris anni 1786 cum dolores acrius premerent, vagina satis patula esset, et habenula quaedam ostium uteri dextrum ad proximam parietem devinciret, ad jam probata auxilia ventum est, scilicet bis per intervalla truncata habena impedimentum omne sublatum, et adauctis doloribus, foemina ad lecti spondam rite aptata vivens puer editus est. Puerperium bene cessit, nisi quod ob lumbricorum copiam saepius et vomitum, et alvum ducere oportuerit, quod tamen non obfuit, quin lac copiosius ad mammas derivaretur, et 18 septembris puerpera cum lactente puero domum rediret.

Anno 1788 die 22 julii foecunda haec mulier quintum peperit, postquam uteri cervix eodem loco semel tantum praecisa fuit. Puerperium brevius fuit

et lenius praecedentibus. Demum nocte, quae diem 27 decembris anni 1790 praecessit, partus doloribus rite agentibus maturam edidit puellam sola obstetricis manu auxiliante. Die sexta januarii anni sequentis jam convaluisse a partu affirmare potuimus. Ab eo tempore strenua et patiens mater chirurgorum manus solerter effugit.

Mercatoris uxor, quae per aestatem anni 1788 balneis Lucensibus interfuit, foetum abortivum excussit, deinde Ligurnum contendens gravi metrorrhagia affecta est, ad quam sistendam praeter injectiones, aliaque praesidia, linteoli concisi aceto madefacti in vaginam conditi sunt. Aliquot post dies excitato purgamento copioso, fetenti, et fibrato se persanatam esse existimans, Ligurno discessit. Domum reversa conjuge, insolitum maritus impedimentum in viis naturalibus offendit, advocatoque chirurgo, facile fuit animadvertere vaginam totam, tertia inferiori parte excepta, superius coaluisse. His cognitis deliberatum est praestolandum esse menstruorum appulsum, antequam chirurgica administratio susciperetur, quod mox decembri mense evenit, doloresque circa abdomen, lumbos, et femora vagantes praenunciabant uterum aliquid esse excreturum; sed haec molimina paucis diebus disparuerunt.

Januario anni 1789 altera vice appulerunt menses, tunc dolores fuerunt intensiores praecipue sub meridie, vespere autem penitus conquiescebant. Haec intermissio post decem dies finem habuit decrescente sensim aegritudine. Attamen mulier sub harum molestiarum impetu abdomen sibi induruisse sensit, simulque pressiones ad rectum intestinum tendentes, cujus rei causam explorando cognovimus fuisse uterum inflatum, et sursum propulsum, qui exquisito sensu praeditus sub dolorum vi in tumorem globosum, aequalem assurgebat non sine inditio conclusi fluidi si per intestinum rectum matrix tangeretur. Minus patens erat fluitantis sensus, dum per vaginae septum explorabatur uterus. In hoc menstruorum paroxysmo vena secta est, et hirudines imo ventri appositae, atque declaratum fuit tumorem, quem a postica, et antica parte percipiebamus, nil aliud esse quam matricem praeter modum a sanguine distentam una cum proximae vaginae portione.

Februario menstrui dolores apparuerunt, eandem servantes periodum, videlicet ad meridiem valde increscentes, et vespere desinentes. Nunc recognovimus uterum in superiori pelvi magis expansum, globumque ampliorem super rectum intestinum prementem. Recognovimus etiam menstrui sanguinis undas contra vaginae cicatrices digitum urgendo. Eadem die, qua recognitio facta est, 18 februarii tecto cultro transversim cicatrix scissa fuit, et continuo sanguis densus ater, non fetens ad uncias sex prosiluit, et cum digito ampliorem viam parare satagebam, in superiori parte filamenta quaedam, aut sepimenta occurrerunt, quae pariter tum cultro, tum digitis sublata sunt. Primis diebus febris adfuit cum frigore, quae quo magis catamenia fluebant, eo citius defervebat. Haec primum obscurissima, deinde serosa apparuerunt, sensimque sub his decrescebat uterus, et ad naturalem magnitudinem restitutus est. Cereis mollioribus, quos ipsa mulier intromittebat, vagina pervia

servata. est. Periodus altera menstrua et tertia, quae martio et aprili adventarunt, sine dolore et sine molestia fuerunt. Mulier tamen non destitit interdiu praecipue cereolis uti, et mense majo rusticatum abiit.

Haec mulier postquam praegnationis non molestae cursum absolverat, primos pariendi conatus mane 17 aprilis anni 1790 percepit. Lente et gradatim progrediente partus labore, amnioque ab aquis distento opportunitas data fuit distinguendi circulum ad formam annuli resistentem in superiori vaginae parte, et veluti in aciem attenuatum, per cujus diametrum amnii vesica transibat. Cum vehementes parturientis nixus persisterent, neque laborem perficerent, ad utrumque latus circulum scalpello dissolvi, tum dilaceratis membranis caput foetus mox descendit ad incisi circuli oram. In hac statione neque matris validi nixus, neque capitis impulsio obicem superare valuerunt. Quae res nos coëgit mulierem ad lecti spondam deducere, atque investigare qua in parte praecipuum esset impedimentum, quod in ipsius vaginae medio ad capitis circuitum consistere animadverti. Qua propter forcipes adhibere decreveram capiti amovendo opportunas, ratus etiam eo instrumento majorem vaginae extensionem me esse consecuturum. Dum forcipibus caput prehensum esset, in postica vaginae pariete ligamentum transversim obtensum in digitos incurrit, quo dissecto operationem prosecutus pedetentim vivum foetum eduxi. Lochia copiosa fuere, et mulieri post tot labores deficientibus viribus altera post partum hora abdomen cum dolore intumuit, pulsus exiguus et celer fuit, febris modica. Haec sympthomata tamen jusculis cum incocto pane, tum vaporibus ventri admotis, et alvi resolutione intra consuetam puerperii periodum absque sanguinis missione profligata sunt. Anno 1791 die decima maji ultimum foetum enixa est sine chirurgiae adminiculo, et 17 insequentis junii mensis optime restituta sanitati villicatum ivit.

Hisce exemplis caute procedendum esse liquet in partium internarum vulneratione; neque unicam incisionem sufficere, sed pluribus per intervalla opus esse, ubi vagina inter se, et cum uteri ostio coaluit ad exitum foetui parandum, licet prius eaedem partes et purgationibus, et fecundanti liquori iter praebuerint. Obstetrices item sollicitos esse debere in partubus laboriosis ut pervias servent naturales vias, ne, quae sequuntur gestationes, eodem propemodum auxilio indigeant. Etenim canalibus nostri corporis illud insitum est, ut si semel accensi fuerint, ad constrictionem et conglutinationem promptiores sint, quemadmodum in oesophago, intestinis, urethra, viis lachrymalibus, vagina fere quotidie observamus. Obstetricis quoque officium est vigilare adveniente partu constrictae mulieris, ne morose cunctando foetus pereat, neve matrix disrumpatur, ut evenisse legimus apud Hildanum (1). Angustissimi oris erat matrix foeminae Coloniensis, cujus uterus post undecim dies frustranei pariendi laboris ruptus est. Angustiam partim naturalem fuisse, partim ab aetate concludit Hildanus, quia primipara illa trigesimum

(1) Cent. I, obs. 64.

et septimum agebat annum. Haec incisione oris uteri forsitan servari poterat, nisi judicium Hieronymi ab Aquapendente deterruisset, qui (1) orificium uteri agglutinatum, aut membrana coopertum si inveniatur, casum incurabilem esse pronunciavit, quia incidens instrumentum nonnisi cum periculo tam alte pervenire potest. Quae cervicis uteri vulneratio si non semper, at persaepe lethalem demonstrat historia a Simson prolata (2).

Primipara quadragesimum annum attingens, cui diameter pelvis anterior erat angustior, dies quatuor in partus laboribus torquebatur. Foetum mortuum evacuato cerebro eduxit Simson. Postea vulva in suppurationem abiit, et nemo suspicabatur saniem a partibus interioribus prodire. Tribus a partu mensibus foemina denuo gravidata fuit, et in ultima periodo constituta doloribus aggressa est, duosque dies in maxima agitatione transegit. Tunc auctori facile fuit recognoscere, partum non procedere, quia matricis ostium penitus erat occlusum. Consilio inito deliberatum fuit cervicem uteri esse incidendam. Proinde in cicatricem adegit scalpellum ad unciae dimidiae profunditatem, digitoque intromisso omnia circum callosa deprehendit, quas angustias nec matris conatus, nec digitorum vis superare valuerunt, opusque fuit iteratis quoquoversum excisionibus annulum hunc cartilagineum solvere, qui exsanguis, et doloris expers erat. Ne sic tamen haec operatio obicem removit, sed imminuto ut olim capite partus effectus est. Febri vehementi, et lateris dolore correpta mulier intra nictymerum fatis cessit.

Lethalis etiam fuit vulneratio matricis gravidae, quae hic Mediolani peracta est, dum adhuc in re medica essem tyro. Mulier, quae non sine difficultate tres liberos genuerat, ultimo quartae graviditais mense in hospitium Catherinianum se recepit. Opportuno tempore pariendi dolores excitati sunt, et duobus continuis diebus perdurantes amnii aquas non promoverunt, quam ob rem oportuit diligentius uteri statum explorare, et orificii matricis loco invenit obstetricans duritiem quamdam dilatationi matricis, et transituro foetui sese opponentem. Existimabat obstetrix uterum fuisse obliquatum, videlicet orificio versus rectum intestinum converso, quia matricis fundus a parte anteriori multum extabat vagina admodum laxa remanente. In hac ambiguitate chirurgus ex primoribus advocatus neque ipse uteri ostium tetigit, quamvis si, quae mulier exponebat, fuissent attendenda, ostium deesse non poterat; narrabat enim ipsa se periodicas purgationes habuisse, neque alias aegritudines circa genitalia sustinuisse.

Deplorandus iste casus, et quae omnium animos tenebat ambiguitas de modo, quo tam complicata res resolveretur, cum tribus aliis fama et experientia spectabilibus viris inire consilium coëgit, qui educta prius urina, immissaque in vaginam integra manu, ut certius uteri ambitus recognosceretur, in spe sua, quam habuerant, frustrati sunt, nam undequaque omnia

---

(1) De Chirurg. Operat. p. 96 edit. Francofurti.
(2) Saggi Medici d'Edimburgo, t. III, art. 19.

obsignata reperta sunt. Uterum itaque quocumque modo aperiendum esse statuerunt, ut a conceptu exoneraretur. Cum de modo faciliori cogitarent, atque instrumenta varia ad id apta recenserent, nullum commodius visum fuit forficibus Bingii. Illas igitur selegerunt, et insinuatis duobus digitis divaricatis ad uterum usque, forfices clausae per eorum intervallum intromissae sunt, tum gradatim apertis forficibus sic, ut earum crura ischii utriusque posterioribus cruribus responderent, cuspides in tensum uteri parietem adactae sunt, deinde constrictis fortiter manubriis totus uteri tractus cuspidibus interjectus uno ictu recisus est. Mox aquae cum impetu effluxerunt, sed foetus caput infeliciter contra pubis ossa impellebatur, quod sive profluentium aquarum, sive constricti protinus uteri, sive mali positus fuerit effectus, id certum est, non praevisum hocce obstaculum admonuisse anxium obstetricantem ut arreptis pedibus partum compleret, quod ob ejus molem non sine aliquo molimine effectum est.

Exactis sine discrimine prioribus puerperii diebus, tertio invadit febris cum horrore et delirio, septimoque vitam puerperae extinxit. Cadaver extinctae obtulit os matricis perfecte agglutinatum et impervium; incisionem, qua segmentum uteri posterius apertum fuit, ordinatam fuisse; uterum, vaginamque haud valide fuisse succensam; vulnus non amplius, quam oportebat, nec gangraena tactum fuisse. Cum nil aliud morbosi observaretur, non immerito suspicati sunt consulti viri diuturnos, repetitosque conatus, et dolores eum in modum labefactasse vitae vires, ut regundo corpori jam impares essent.

Recte hic objicere quispiam potuisset sectionem caesaream in partu impossibili fuisse anteferendam, quam certe utiliter adhibendam fore cognovissent, dummodo lochiis naturalis semita patefacta fuisset, qua permanenter occlusa duo vulnera matri erant infligenda, alterum abdomini, alterum matrici, sicque aegritudo in majus periculum ruebat. Quapropter satius judicarunt unicam utero incisionem imprimere tanquam promptiorem et utiliorem. Oportet autem, si casus fert, agere citius, antequam vitae vigor a cruciatibus opprimatur. Opportunum etiam esse experientia docuit, totam manum in vaginam immittere, ut quaenam sit conditio partium genitalium dignosci possit; nempe an matrix ex toto clausa, an obliquata, an aequalis sit et levigata, an callo aut cicatrice obdurata.

Sed haec utcunque cognitis auxiliis ad statum sanitati proximum perducuntur, vel foetu, vel purgatione menstrua retenta viam indicante, per quam scalpellum tuto transire debet. Sed gravius negotium facessunt foeminae, quae ab ipso ortu occlusae sunt, et quibus uteri vacui, vel quibus menstruus sanguis inclusus in abdominis viscera refluit. Fabritius ab Aquapendente (1) in muliere ex anatome vidit orificium uteri efformatum quidem, sed glutinatum, ut non pateret iter a vagina in uterum. Sic propemodum efformata erat puella cujus historiam adnecto.

---

(1) Chir. operat. p. 93, seq.

Nobilis prosapiae virgo tertium aetatis lustrum excedens, habitus sanguinei, aegritudines quas puerilis fert aetas, uti febriculae, morbilli, variolae, feliciter superavit, donec anno tertiodecimo malorum caterva illam obruit. Initio abdominis dolores leves, et instabiles cum nausea et vomitu, et alvi siccitate turbabant, qui ventris purgationibus sedabantur. Haec aegritudo redibat per vices usque ad menses sex supra annum quartum decimum. Tunc enim aegritudo adeo invaluit, ut pressionibus ad inferiora, vomitu, singultu, alvi duritie exagitaret, nec ut prius alvi subductione obtemperabat. Hinc medicus et parentes suspicari coeperunt eas abdominis turbas, quoniam quovis mense redibant, a catameniorum emansione esse productas, cui suspicioni innixus medicus balnea medii, et totius corporis, lotiones, martis praeparationes administravit, quae non modo emolumenti quidpiam attulerunt, sed damno fuerunt praecipue martialia, quae periodum menstruam inverterunt. Elapsis mensibus quinque ad medium novembrem anni 1818 dolores vehementiores exorti cum spirandi difficultate, febri, vomitu, singultu vana reddiderunt praesidia a venae sectione, ab emmenagogis, aliisque petita, nec nisi inconstantem tranquillitatem a vaporibus accepit, exeunte quippe decembri eadem sympthomatum series apparuit. Quae res anno 1819 pro certo judicare fecit in organis genitalibus aliquod vitium subesse jam ab ipso conceptu subortum. Tunc chirurgi haud dubie imperiti inspectioni commissa fuit puella, qui non in structura, sed in quadam uteri succensione malum esse existimans, sanguinem tum ex pede, tum ex haemorroidum venis trahendum esse docuit. Sanguinis detractionibus non juvantibus, medici nervosam esse aegritudinem rati, corticem peruvianum, assam foetidam, chamaemelum, opium alternatim propinarunt, post quae ad corallinam Corsicae ventum est, ac si puella verminaret. Fallax quies, nec longa fuit, pejora protinus sympthomata exorta sunt nullis auxiliis removenda, quibus commotus medicus accuratiorem denuo investigationem partium genitalium mandavit, quam ego ad id officium vocatus perfeci.

Facile mihi fuit comprehendere vaginam esse imperfossam, quae vix transversi digiti capax erat, illudque mirabar magis, quod, quamvis exploratio sub menstrua periodo accidisset, nullum fluidum impellebatur contra digitum, etiamsi abdomen inferius comprimeretur. E contra si per rectum intestinum uteri status investigaretur, corpusculum quoddam pyriforme obveniebat, sub paroxysmo magis tensum, dolensque, quod haud dubie parvae matricis cervicem sistebat. Hunc casum rarissimum esse atque gravissimum parentibus declaravi, neque impedimentum tolli posse, nisi quam cautissime sepimentum concidendo, eamque administrationem non esse tutam tum ob sepimenti crassitiem et profunditatem, tum ob affectae partis aberrationem; attamen quia id postularet necessitas, patienti et considerato animo esse suscipiendam.

Puella igitur e patriis aedibus in urbem nostram traducta fuit, et decima prima aprilis 1819 intromisso prius in vaginam digito ad firmandum septum

et ad dirigendam ferri aciem pharyngotomo in spissam cellularem penetravi, eoque ad vaginae latera succidi id omne quod obstabat. Hoc vulnus parum sanguinis dedit; sed cum non satis laxata esset vagina, postridie cultro occulto discissa est transverse illa substantia carnis naturam habens non sine dolore, vulnusque ad digiti crassitudinem ampliatum fuit. Haec sectio neque sanguinem elicuit, neque ubi stagnabat menstruus indicavit. Proinde necesse fuit post biduum profundius incidere, qua operatione ad os uteri perventum est, quod naturalem figuram praeseferebat, et finem tanti laboris consecutum me esse arbitrabar, nisi undique ab eadem spissa cellulari circumseptum uteri osculum, et a praetensa tenuissima pellicula clausum fuisset, et nisi sanguinis effusi inditia omnino defuissent. Illud etiam addendum, quod sub illa membranula quanta potui diligentia nunquam osculi uterini rima sub tactum venit fortassis ob devium uteri positum. Quapropter ne in incertum ictus caderent, neve sana pars aut proximae genitalibus laederentur, a vulnerando desistendum esse censueram. Vagina oleo oblinita fuit filamentisque eodem imbutis, ut pervia servaretur. Anxii parentes de eo, quod eventurum erat, instabant rogantes, ut quid ego sentirem, libere proferrem, quibus juventae viribus fretus non sine temeritate praedixi sanguinis menstrui irruentis impetu membranulam illam disrumpendam, puellamque persanandam fore.

Interea vulnera indolescebant, novaque menstrua periodus appropinquabat, et dolores per totum abdomen diffusi invalescebant; alvus nihil demittebat, febris ardebat; vomitus et singultus magis vero epistaxis per totum aegritudinis cursum puellam exercuerunt. His malis medebatur repetitis venae sectionibus, hirudinibus, potionibus ventrem solventibus, cataplasmatibus, injectionibus. Sub horum praesidiorum usu venter inflabatur, stomachus exaestuans assumpta rejiciebat, acida, et antiemetica sine fructu porrigebantur. Tanti mali vis, aut pervicacia coegit iterum ad phlebothomiam redire, quarum octo intra quindecim dies celebratae fuerunt non omissis purgationibus, embrochis malagmatibus, quae postrema ob exquisitum abdominis sensum rejecta sunt. Existimabamus tantam abdominis sensilitatem demulceri posse extracto hyosciami nigri, vel glacie, gelu concreto, vel sorbitionibus. Verum cum damno potius quam emolumento essent, iis suffectum est Gummi gutta (cambogia gutta L.) cum calomelano, solutaque sic alvo paulatim abdomen detumuit, vomitus sedabatur, appetitus parum firma licet valetudine redibat. Per id, quo haec gerebantur, tempus, vaginae vulnus pus dabat album, tenue, atque ob eam causam de plagae conditione neque tunc, neque postea judicari potuit, ob quamdam enim puellae morositatem genitalia inspiciendi negata fuit facultas, et perplexa adhuc re domum reducta est exeunte octobri anni 1819. Die decima quinta decembris ejusdem anni supervenientes atrocissimi dolores molem uteri adauxerunt sic posteriora versus, ut rectum intestinum comprimeretur; foecibus exitus esset interclusus; vesicae sphincter a convulsione contractus lotium retineret. Haec omnia

extremis agitationibus, et contorsionibus erant conjuncta; neque opitulabantur phlebotomiae, immersiones, narcotica; exoptatam vero opem videntur tulisse hirudines podici appositae, nam post horas sex videlicet die vigesima secunda decembris circa meridiem perrupto repagulo natura triumphavit, sanguineque e vulva prodeunte, et tumore decrescente profluxerunt sponte urinae, sympthomatumque series evanuit. Sanguis, qui primus viam aperuit, coactus et ater erat, reliqui color, et quantitas secundum naturam. Chirurgi, qui bono omine aderat, diligentia non potuit foramen detegere, unde sanguis menstruus erumpebat. Visum illi fuit non e directo ex uteri ostio fluere menstruum, sed per incurvum iter, quod et ipsamet puella affirmabat, scilicet a postica parte ad anteriorem. Haec omnia diligenter ad me perscripta sunt a cl. Hieronymo Marini M. D., qui assiduam et officiosam curam infatigabilis praestitit.

Postea renunciatum fuit duodecima januarii die 1820 catamenia purulenta fluxisse, cum febri, quae metum injecerant, ne puella ob maciem conficeretur. Sed mense februario, martio, et majo apparuerunt ordinate, et tunc puellae robur, et bonus habitus in dies augebatur. Denique die trigesima octobris anni 1820 cum officii mei causa in eam regionem transiissem, puellam non modo proceriorem et torosiorem factam vidi, sed etiam sine molestia reapse menstruantem. Quae cum ita sint, uti revera sunt ad hunc usque annum 1823, affirmare tamen non auderem hanc foeminam, si forte conjugio inito uterum impleat, chirurgiae ministerio non indigere, dum foetus per angustum ostium prorumpere tentabit.

Est aliud atretarum genus, in quibus uterus ab incunabulis obcaecatus esse videtur; nam foeminae istae virilem nactae sunt constitutionem, neque unquam menstruorum appulsum, aut phoenomena ab iis pendentia percipiunt, ita ut dici possit uterum in hisce foeminis feriari; etenim nisi uteri cavea penitus esset obliterata, iis utique aegritudinibus essent obnoxiae, quibus atretae vaginae, et ostii externi matricis agitantur.

In rustica muliere florentis aetatis et valetudinis vagina, quam ut exploraret, rogatus fuerat Morgagnus (1), vix tertiam justae longitudinis partem superaverat, desinebatque in lacunar ex eadem substantia, quae ut solidus paries urgentium viribus renitebatur. Altera foemina eidem narrabat se adeo angusto foramine praeditam esse, ut licet crebris mariti conatibus id paulo magis amplificatum fuerit, subire autem nunquam potuisse. Attentissime inquirenti Morgagno nullum neque foramen, neque foraminulum occurrit, eratque locus solido veluti pariete clausus. In his duabus foeminis menstruus sanguis nunquam prodiit, nec per intervalla ad lumbos, pubemve molestias habuerunt. Itaque ne forte vesica, aut proximum intestinum secando laederetur, utrique author fuit, ut aequo animo ferrent conjugium male initum, vel potius dissolverent, quam se temere secandas praeberent. Verum in

(1) De Sed. et Caus. morb. Ep. XLVI, 11, 12.

re tam gravi inquirendum, et perscrutandum fuisset, an oportuisset consilia adhibere virorum in anatomica et chirurgica disciplina exercitatorum, quibus innotuisset an secando aptae viro redderentur illae foeminae; sin secus, attento animo iterum considerandum erat, an decuisset conjugium a multis annis initum solvere? an leges tam sacrae quam profanae id praecipiant, et sine indulgentia jubeant?

Conjuges colonici ob injectam a proximis religionem, quibus hi conjuges thalami arcana revelaverant, consilium Medicorum et Theologorum anxie expostulaverant, idque illorum votis semper contrarium experiebantur. Tandem mense julio anni 1787 sese mihi obtulerunt viginti quatuor annorum cursu amice, et sine discordia conviventes. Huic foeminae nunquam catamenia apparuerant, neque conceptio locum habuit, de quibus cum inter propinquas mulieres sermo esset, atque haec ipsa atreta multa alia addidisset, mulieres illae declararunt, nisi illa genituram retineret, foecundari non posse. Quo effato perculsa virago statim ad animi directores, ad theologos advolat referens, quae audierat, quaeque ipsa patiebatur. Hi unanimi suffragio statuerunt, illam utpote vitiato organo praeditam amplius non posse mariti contubernio uti; aut si eodem uteretur thalamum esse separandum, maritumque fratris loco esse habendum. Ratio, cur ita judicarunt, erat, quod foemina perfectae conjunctionis incapax nequicquam utero concipere poterat. Existimabant igitur actum, qui ad finem conceptionis non duceret, turpem esse, et vitiosum; divortium vero non esse permittendum, quia gravis offensio, et dedecus suboriretur.

Qui ita sentiebant, argumenta mariti, et rationes parvi faciebant, asserentis se illam pro uxore etiamnum habiturum, quamvis ob vitiata genitalia foecunda non esset; neque de illo vitio se unquam suspicatum fuisse, quia nullam aliam foeminam cognoverat. Ipse enim statuebat, se muliere uti ad extinguendum sanguinis aestum; tum addebat exempla impotentium fere senum, quibus licebat uxores ducere, quamvis nec copulationis, nec fecundationis essent capaces. Huic argumento objecerunt, quod senibus ideo permittebatur conjugium, quia eorum organa sunt bene conformata; dum e contra mulieris, de qua agebatur, organa ita erant depravata, ut juxta sancitas leges matrimonium excluderent.

Mulier, de qua loquor, procera, robusta quadragesimum primum agebat annum. Ejus vagina a medio ad uterum constricta, et perfecte clausa erat, ut nec ruber, nec albus fluor ab ea defluxerit; quamobrem judicavi uteri quoque caveam esse obliteratam. Auditis conjugum illationibus, cognitoque eorum desiderio, et constantia vinculum, quo erant juncti, retinendi, atque eodem amore, et familiaritate vitam mutuo trahendi, mecum ipse cogitabam, eadem consuetudine, et privilegio, quod matrimonio competit, mulierem frui posse, quia cum ad eam pervenisset aetatem, in qua feminae desinunt esse foecundae, ejus conditio non discrepabat modo ab illa, in qua maturioribus annis feminae non tam maritum, quam amicum sibi adsciscunt. Quod si mu-

lieris vitium veluti impedimentum *dirimens* considerari velit, tunc necessariam esse separationem, sive divortium, quo vir alteri mulieri conjungi se possit; et vanum esse offendiculi metum, quia actus, qui secundum leges perficitur, nequit scandalo locum dare. In hoc opinionum conflictu nolens ipse liberam sententiam proferre, ad virum doctissimum Theologiae Magistrum Ecclesiae decumanae praepositum conjuges ablegavi, qui tutiorem propositionem tenens censuit, cum maritus retinendae uxori paratus esset, et vetus intercessisset necessitudo, a mutua benevolentia illos non esse distrahendos.

A vero alienum non est aliquas hujuscemodi atretas uteros caecos habere, aut iisdem prorsus carere. Duas adhuc viventes agnosco utero impervio donatas, quae menstruationis phoenomena, et incommoda nunquam probarunt, et quae maritis simplicioribus copulatae tranquillam et sterilem vitam agere pergunt. Arduum est judicare, an foeminae viventi uterus desit: unica prostat anatomica sectio mulieris utero carentis a Realdo Columbo conservata (1). In foemina quadam, cujus vulva ab aliarum foeminarum vulvis nihil peculiare et diversum habebat, et matricis colli portio prominebat, vel matricis collo simile, matrix nulla aderat in abdomine, neque vasa seminaria, neque testes, et quoties cum viro coibat mirandum in modum conquerebatur. Hoc infrequens non est; adfuit enim nuper 1823 foemina nupta purgationibus non carens sed sterilis, quae maritum non concupiscit, neque quoties cum eo rem habet; tunc enim non solum sine oblectatione congreditur, sed cum osculi uterini pungenti dolore. Has monere oportet, ut quantum in illis est, a congressu desistant; saepe enim iterata sensilis partis irritatione, et phlogoses, et plagae, et schyrri enascuntur.

Art. V.

Vaginae dolor.

Egimus huc usque de Veneris impedimentis, quae ab obstructione, vel obliteratione alicujus partis in genitalibus efficiuntur; nunc de quodam impedimento dicendum est, quod a singulari dolore ostii vaginae proficiscitur. Paradoxum certe videbitur, quod foemina bene formata, viridis aetatis, saepius antehac a marito inita absque molestia, propter insolitum, qui sine evidenti causa supervenit, dolorem, virum admittere recuset, nisi duae jam prostarent observationes. Prior in Tentamentis Edimburgensibus (2) a cl. Cockburn conscripta sic habet. Mulier obstetricis cujusdam Edimburgensis consanguinea tantum doloris patiebatur, quoties cum marito coibat, ut ejus propinquitatem ferre nullatenus posset. Doctor Camberlain, cujus opinionem

(1) De Re Anat. lib. XV sub finem.
(2) Tom. II, art. 27.

obstetrix expostulaverat, cancrum matricis esse pronunciavit, indeque remedia eidem malo adversa proposuit, quae cum eam non sublevassent, neque Davidis Hamilton consilia juvarent, ad doctorem Cockburn fidenter accessit. Vagina non indolescebat nisi appropinquante marito. Obstetrix Cotton explorato utero omnia sana esse renunciaverat. His intellectis auctor aliam aegritudinis causam quaesivit, et invenit in tumore haemorroidum internarum a repetitis purgationibus exasperatarum. Quare suspicabatur auctor, quod extensa vagina, dum conjuges congrediebantur, haemorrhoides compressae et distractae indolescerent. Remedia, quibus usus est, et quorum silet naturam et speciem, ab haemorrhoidibus et doloribus mulierem liberaverunt.

Altera est Mathaei Francisci Alix (1). Mercatoris uxor parum menstruata licet sanguinei temperamenti, annos nata viginti tres, viro vegeto, et alacri matrimonio juncta de doloribus querimonias agebat, quoties cum illo coibat, quas querimonias primum pro verecundiae signo habebat maritus, postea vero pertinaciae uxorem accusabat, quia post aliquot hebdomadas res sine ullo dolore cedebat, postea vero per aliquod temporis virum sustinere non poterat ob cruciatus, qui eam clara voce exclamare cogebant. Anno integro in hunc modum transacto, maritus obstetricem advocavit, quae partes genitales in legitimo statu se deprehendisse asseruit, matronamque sine molestia viri contubernalem esse posse. Tunc maritus de uxoris pertinacia magis confirmatus illam odio habere coepit, et durius tractare. Postquam satis diu malum perseveraverat, maritus consilium accepit a cl. Alix, qui varias esse causas, quae uxorem possent querulam reddere, respondit; sed nihil certi edicere se posse nisi examinata prius muliere, quae ut innocentiam suam testificaretur, prompte obtemperavit. Interrogata de doloribus, quo tempore, quibusve modis afficerent; an menstrua rite procederent; an fluxu, vel gravitate uteri laboraret? respondit, citra coitum se nullam molestiam pati; menstrua parva quantitate prodire; nullam uteri affectionem habuisse. Cum tactu illam exploraret Alix, innuit ipsa inferiorem vaginae partem locum esse, qui illam praecipue exagitabat, ubi revera plura tubercula invenit Alix, cognovitque sciscitando sanguinem ex ano defluere, dum alvum deponebat, et si forte largius esset profluvium sine dolore virum admittere. Tunc explorato etiam recto intestino certior factus est auctor haemorrhoides mali causam constituere.

His cognitis, ut malum, si non curaret, saltem leniret, venae sectionem imperavit, convenientem regiminis formam, semibalnea ad lactis teporem, atque ut internam intestini recti superficiem unguento populeo perungeret, tuberculis vero venosis hirudines applicaret. Hac methodo per duas hebdomadas observata, haemorrhoides coeperunt abundantius fluere, menstrua prodire, tumoresque sensim evanescere. Tunc matrona potuit viro decenter jungi, cui gravida facta foetum masculum hilarior obtulit.

(1) Observata chir. fasc. II, obs. 22. Altenburgi.

Impedimentum in his duabus foeminis, cujus causa maritus repellebatur, videntur fuisse haemorrhoides, ut probatum est ex curationis modo et eventu. Non talis fuit mali causa, nec eventus in tribus aliis, quas interrogare, et inspectare licuit. Mulier tertio ab anno conjugata, staturae mediocris, infoecunda, a scrophulis notata, prioribus annis concubitum sustinebat, tertio anno sustinere non poterat, utpote gravi intercedente cruciatu, licet mariti amplexus expeteret. Doloris autem sedes erat in anteriori vaginae pariete urethrae substrato, ubi papillae magis extantes partem illam asperiorem reddunt. Caeterum nulla haemorrhoidum tubercula neque circa anum, neque in vagina observata sunt. Urinae cursus liber erat, neque incessus molestus, ipsique videbatur, quod si tenuis particula, quae uvae in modum sub urethra propendet, rescinderetur, se fore persanatam. Ut priores authores medendo sequerer primum hirudines circa vulvam et anum apponere curavi, ut si forte plexus vaginae venosus infartus esset, ad naturalem ordinem reduceretur. Deinde linimenta, balnea, aliaque usurpata sunt ad compescendas molestias, praecipue vero, quae adversus scrophulas vim habere creduntur. Singulis hisce rite administratis ab urbe discessit, relatumque fuit concubitum aeque torminalem fuisse.

Mulier oppidana decem annis viro sociata cibis analepticis excitantibus delectabatur, quam ob rem gravi uteri succensione correpta fuit. Inflammatione deleta, recurrentes dolores per abdomen et genitalia vagabantur, simulque internae haemorrhoides illam divexabant. Nunquam prolem suscepit, saepiusque medicis auxiliis abutebatur. A decembri mense anni 1821 ad julium anni 1822 virum admittere non potuit ob naturalium fastidium, et orificii externi vaginae angustiam, qui ingratus sensus ad vesicam propagabatur, nec nisi cum angore urinam emittebat. Non sine molestia inspectavi hanc mulierem ob spasticam vaginae contractionem, in qua nihil a naturali diversum erat. Menstruus sanguis in hac foemina macilenta subflava parcius fluebat. Anum hirudinibus sauciare jussi, oleo hyosciami vaginam inungere; tum ut pillulas assumeret ex rubia tinctorum, extracto cicutae, et carbonato martis cum extracto gummoso opii confectas. Mihi non constat, an haec mulier sanitatem receperit, quia, ut multarum mos est, audito consilio valedicunt medicis.

Hoc anno 1823 sub fervida aestate juvenis, et sana mulier, non pinguis, parvula per sexennium viro copulata abortum passa est anno nuptiarum primo, cum velociori cursu ab urbe in villam concederet. Abortus variis sympthomatibus fuit stipatus, ut reiterato venam tundere opus esset, lochiaque impura per tres menses apparerent, quae nonnisi medica ope sublata sunt. Exinde concubitus primo molestus, deinde molestissimus, postremis duobus annis intolerabilis evasit. Causam hujus impedimenti, dum eandem inspicerem, non in extrema vagina, sed in ipsius uteri parenchymate videbatur mihi consistere, qui licet solita purgamenta daret multo muco remixta, sed parciora, obtulebat tamen corpus subrotundum, globosum, dolens, quod

cum marito concumbendo, si sursum urgebatur, intolerabiles cruciatus ciebat, ut proinde post abortum uterus nunquam fuerit foecundatus. Suasi primum balnea ex lacte tepenti, quae ipsamet referente post mensem multum levaminis attulerunt; sed prioris foeminae exemplum secuta medicum haerentem reliquit.

Parvae staturae mulier, rite purgationibus fruens, tribus fere lustris marito juncta, in pace vixit infecunda usque ad biennium 1819, 1820, in quo facultatem copulandi amisit ob ingentem dolorem in ipso vaginae ingressu, cujus insoliti phoenomeni causam mulier plane ignorabat, quia scrophula, nec herpete, aut venerea labe infecta fuerat, et glandularum, haemorrhoidumque vitiis caruit. Partes illas inspectando nil aliud observabatur praeter ruborem non communem, ex quibus humor ovi albumini similis distillat, nec ulterius explorata molestiam tulit. Caeterum quaecumque cibi, aut sorbitionis species eidem conferunt. Sarsaparillae apozemata affatim hauserat; balneis frustra insederat, frustra etiam variis compositionibus genitalia illinivit. Non vanum erat judicium aliquid phlogistici plexui venoso vaginam ambienti inesse, proindeque hyrudines, et linimenta ex mulcentibus et anodynis profutura fore. Haec priorum foeminarum pariter calcans vestigia Medici curiositatem elusit.

Art. VI.

Titillatio.

Quamvis jam pridem Tissotus doctissime scripserit adversus foedam illam consuetudinem, qua insani quidam juvenes semetipsos constuprant, ejusque turpitudinem, et damna vehementi oratione patefecerit, et persecutus fuerit; temperare tamen mihi non potui, quin aliquot hujusmodi casus, qui ad sequiorem sexum pertinent, brevibus verbis complecterer. Non ignoro hujusmodi vitium impuberibus quoque puellis familiare esse, quae ut plurimum fortuito manus genitalibus admoventes gratum sibi excitant sensum, et quodam deinde instinctu impulsae saepius eundem irritationis actum repetunt. In his praemature vulva explicatur, singulae partes producuntur, et flaccescunt; memoria, sensusque hebetantur; collabuntur carnes; oculi retrahuntur, pallore et macie corpus absumitur. Praeter haec sympthomata in adultis aliae aegritudines circa genitalia interna, et in abdomine suboriuntur.

Innupta puella proritare uterum solita, menstruorum etiam tempore, in menorrhagiam, et leuchorraeam incidit cum imi ventris torminibus, et obstructione circa hypogastrium, quod pressum indolebat, et supra rectum intestinum ponderis sensu deorsum ferebatur. Huic balnea imperavi, emplastra ex meliloto, utque a lubricis constanter sese subduceret.

Mulier biennio nupta bis virum inire solita mane et vespere cum oblectatione saepius ob id metrorrhagia afflicta fuit, cui deinceps hypogastrii cruciatus, et uteri conjungebantur. Uterus quidem indolescebat praecipue

quoties coëundo ejusdem cervix urgebatur, quae tota sed praesertim ab laeva duritiem contraxerat; sursumque ad hypogastrium protensa cum aliqua urinae molestia, et sanguinis ex utero stillicidio tactu percipiebatur. Cum haud leves inflammationis notae adessent, praeter sanguinis detractiones iteratas profuerunt balnea, fotus, olea, et somnifera, adeo ut genitales partes ad naturalem compositionem restitutae foetum susceperint, et ad maturitatem gestaverint.

Nupta aetatis mediae, naturali concubitu non satiata, per quinquennium quotidie solebat clitoridem, vicinasque vulvae partes perfricare, unde illa particula adeo excreverat, ut e pudendi labiis propenderet. Et quia matrix consentiebat, quoties vulva irritabatur, ita hoc orgnanon ob quotidianas humoris genitalis excretiones, et ob inde consecutas metrorrhagias sub vesperam prolabebatur in tumorem intra pudendi labia pendentem. Haec affectio orificium et cervicem uteri sic mutaverat, ut etiam reposito viscere cervix in conum tres latos digitos longum produceretur. Horum vitiorum effectus naturalis est sterilitas.

Galleratensis foemina robustae constitutionis accessit ad me die sexta maij anni 1822, quae ob quamdam uteri affectionem ab anni circiter spatio male se habere conquerebatur. Primum enim albo fluore affici coepit, deinde sanguineo, modo sincero, interdum permixto, modo nigricante, simulque quadam veluti flamma, aut ardenti calore ad os sacrum vexabatur. Horum sympthomatum origo fuit, quod, cum supina coiret cum marito, parum delectaretur; proinde inverso ordine ipsa maritum succumbentem inibat, ex quo praeter insolitam voluptatem procaciter crissabat. Quam ob rem labrum anterius oris uteri tumefactum induruerat una cum ipsius uteri segmento inferiori. Morbida haec conditio gravitatem quamdam in naturalibus producebat non adeo molestam, quia alvum laxando, forte ob exquisitum sensum suave oblectamentum se percipere ajebat. Hujus foeminae curatio collegae optimo in eodem oppido Medicinam facienti commissa fuit.

Admonitos hic volumus cum divo Paulo conjugatos, ut sciant se non esse vocatos ut libidine inordinata impurisque actibus ex conjuge faciant adulterum, vel adulteram; nam affirmante Hieronymo (contra Iovin.) amator ardentior adulter est in sua uxore, et vicissim. Augustinus vero (De Bono conjugali c. 4) in haec verba prorumpit: intemperans in conjugio quid aliud est, quam quidam adulter uxoris?

Mulier aetate, et valetudine florens sanguinei temperamenti anni unius intervallo ter immaturum foetum ultro excussit; quapropter, cum a viri consortio prompte fecundaretur, statuit, forsitan ad conservandum formae decorem, ab amplexibus conjugis abstinere, atque semetipsam turpiter constuprare. Quod etsi crebro fieret, tamen neque menorrhagiam, neque leucorrhaeam movit. Verum praecedentibus quibusdam pressionibus, aut tenesmo uteri die decima septembris anni 1801 acerbo ad cervicem uteri dolore invadebatur, ut neque considere, neque progredi posset, malumque auxerat amasii longinquitas.

Uteri osculum versus rectum intestinum conversum, attactu dolens, granis aliquot milii formam aemulantibus asperum est deprehensum. Indolebat etiam dextrorsum segmentum uteri inferius, quas partes nunquam venerea labe infectas fuisse testabatur mulier.

Haec mox in solium demissa est; hirudinibus sanguis e naturalibus detractus; clysteres ex opio, malagmata ex malvis, diluentia intus, et extus data nihil levaminis attulerunt. Mense octobri iterum sanguis missus est ex venis brachii et podicis; immissi clysteres somniferi, datae pillulae laxativae, quibus parumper alleviata est, ut decumbens dolore vacaret, sed scamno insidenti videbatur sibi uterus primum prolabi, dein a sede sustineri. Tunc uteri cervix mollior, et sine dolore tangebatur, uterusque nihil transmittebat. Hisce auxiliis parum consecuti fuimus, quia tormenta matricis subinde augebantur cum motu oscillante, et pressione inferiora versus. His consideratis, et quidquam nerveae affectionis subesse ratus, moschum cum opii pauxillo exhibui, quod maxime efficax fuit, foeminamque restituit.

Si turpis haec habitudo, quocumque modo exerceatur, prolifici humoris disperdendi, tot, tantasque parit aegritudines, fluxus, nempe, tormina, phlogosim, imbecillitatem, sterilitatem, torporem, et si quae aliae; evenit e converso nonnunquam in feminis pudicis, ut matrix nesciat esse vacua; atque ob id ipsum aegrotare cogatur. Ut enim vacuefactus stomachus alimenta appetit cum quadam delectatione, sic inanitate uterus murmurat, atque citra salacitatem cupit compleri. Inde enim multae, ni fallor, hystericae affectiones, motusque matricis, qui ejusdem ascensum, descensumque aemulantur, suboriuntur.

Matrona oppidana sanguinei habitus post sextum partum, qui naturalis facilisque fuit, uti praecedentes, pluribus mensibus inordinate purgabatur, et praeter amicorum consilia iter in Etruriam et Pedemontium suscepit stillante jugiter ex utero sanguine non sine molesto intra vaginam pondere. Tamen utero sic affecto concepit, eoque quarto gestationis mense absterso maturum foetum edidit, solo deinceps sensu tumentium intus haemorrhoidum affecta.

Post complures menses alvi dejectiones torminosae, et sanguine conspersae apparebant, imo fere intra semihoram, postquam alvus exonerata fuerat, tormina sensim ita augebantur, ut considere nequiret, et anxia animo linqueretur. Explorato recto intestino rhagadas aliquot circa podicem maxime sensilem conspeximus, intus nullum vitium apparuit. Eodem deinde malo perseverante coitus molestus effectus est, uterique cervix tumida praecipue intestinum versus, et ad laevam hypogastrii pariter intumescere aliquid, atque indolescere deprehensum est. Medicamenta adversus haemorrhoides, victus ex oleribus, somnifera, clysteres variae compositionis supervacua fuerunt, nisi quod dolores mutata sede ad uterum translati fuerunt, colicam, spasmum, tensionemque abdominis producentes; ad quae sympthomata compescenda opus fuit balneis, et moscho largius exhibito. Hucusque lacte redundabant ubera, et menstruae purgationes sincerae subsequebantur.

Quamvis immoderatus veneris usus prioribus annis exercitatus hujus mali potior causa habenda fuerit; mulier tamen in id semper incubuit, ut viro juncta fecundaretur, tanquam si fecundata nihil ipsi deesset. Quod cum votis non semper cessisset per aestatem anni 1801 Thermis Aquarum Statiellarum usa est sive immersione, sive embregmate, sive luto, quae omnia praeter stomachi et corporis imbecillitatem, uteri descensum, et vigiliam nocturnam promoverunt. Tormina quamvis minus acerba, tamen modo uterum, modo crassius intestinum divexabant subcruentum humorem exprimentia. Qua propter frequentius agitata fuit nervorum distensionibus, meteorismo, lassitudine, anorexia, donec novembri mense ejusdem anni remittentibus hisce sympthomatibus linimentum ex mercurio infricatum est artubus inferioribus, ut quae in abdomine vel turgebant, vel induruerant, dissolverentur. Verum sub media curatione praegnantem se esse intellexit mulier, et decembris initio foetus gesticulare incipiebat, et quo magis uterus distendebatur, eo minus a doloribus angebatur, ut reliquum gestationis tempus satis placide traduxerit. Postremos quindecim dies insomnis transegit; dolores quippe, qui ad pariendum praeparant, supervenerunt molestissimi, molestus item erat muci copiosus effluxus, et moeror insuperabilis ad delirium accedens. Denique 17 aprilis 1802 sequioris sexus infantem luci dedit.

Uterum, quamdiu feriabatur, iidem dolores invadebant, eoque post sesquiannum iterum impleto evanescebant. Partus uti reliqui faustus fuit. Anno 1807 crudelius desaeviebant dolores cum cibi fastidio, abdominis inflatione, macie, vigilia, et denuo in laeva uteri regione turgere aliquid percipiebatur. Mox hirudines appositae fuerunt, sedantia intus et extus propinata, cataplasmata lenientia, et vesicantia superdata. Verum hisce irritis iterum ad thermas Statiellarum properavit, quarum effectus ephimerus fuit; namque vix a thermis recesserat, cum colico dolore in itinere opprimitur, eoque per autumnum et per hyemem varie afflicta fuit. A diversorum sympthomatum consideratione videbatur matricem vacuitatis pertaesam foecundatum germen concupiscere, neque satiari minus frequentibus, qui cum viro intercedebant, congressibus. Postremo februarii anni 1808 inter mariti amplexus aliquid sibi in abdomine frangi, aut disrumpi percepit, et mox eodem actu dolores eam relinquerunt, paucisque post diebus se utero habere cognovit, et non turbatam graviditatem auspicatus partus excepit. Postquam matrona foecunda esse desiit, desierunt etiam anomalae uteri turbae, atque in hunc annum 1823 sospitem agit vitam.

Nubilis foemina eo a prava consuetudine deducta est, ut saepius per diem uteri osculum sibi tangeret, et proritaret, existimans eo artificio, quod lunarem sanguinem exprimere posset. Quam ob rem vehementissimis torminibus correpta uterum habuit valde tumentem, atque in vaginam prolabentem, qui tactus jam impatiens mucum affatim fundebat. Ut nimium sensum, quem nervi contraxerant, retunderem, usum balneorum ex aqua fluviatili commendavi, ascensoque paulatim in superiorem regionem utero, aethiope martiali foeminam restituimus.

Juvencula unde viginti annorum jam ab anno uterum sibi titillare solita sive nudis digitis, sive digitali, aut alio modo armatis, inflammationem contraxit, quae iteratis venae sectionibus sublata fuit. Verum menstruae purgationes non sine gravibus doloribus recurrebant, et nonnisi sanguinis detractione mitigabantur. Demum sive ob sanguinis jacturam, sive ob dysenteriam, aut leucorrhaeam perpetuam, sive ob dolores nunc uterum, modo abdomen et lumbos invadentes ad extremam gracilitatem cum quadam aestus molestia perducta fuit.

Huic a me consilium sumenti, veniebat enim ex pomerio, suasi ut singulis mensibus parum sanguinis sibi detrahere pateretur; ut ingruente dolore haustum ex opio sumeret; ut abdomen oleo empyreumatico succini perfunderet; denique absente paroxysmo ut martis praeparationibus aliisque roborantibus se instauraret. Relatum postea fuit hoc praescriptum mirifice profuisse.

Art. VII.

Ecclampsis.

Convulsio, quae gravidas et parturientes aggreditur, ad comitialem morbum a quibusdam refertur, licet ab epilepsia vulgari multoties differat acutie, continuitate, sensuum feriatione, et mortis propinquitate. Parturiens cum foetu saepius perit, nisi auxilia prompta, et opportuna ferantur. Convulsivi motus per brevia intervalla redeunt cum mentis alienatione, et interdum continenter affligunt, qui vel a copiosioris sanguinis ad cerebrum translatione, vel a vehementi aliqua parturientis commotione, vel ab nervorum uteri in partus molimine distractione progigni creduntur (1). Gravissimum vero parienti imminet periculum, si eadem interposito tempore convellitur, mentis suae compos non est, et somniculosa spumas ore movet. Tunc in eo solum sperandum, si foetum prompte matrix expellat, aut obstetrix hiante uteri cervice diligenter extrahat, quod etiam exsequendum proponitur, si metrorrhagia vires consumat parientis. Post partum naturalem, vel post foetus extractionem non semper parens sublevatur, sed per unam alteramve diem convulsionibus licet minus frequentibus concutitur, aut obdormiscere pergit. Quod si sympthomata sensim, sensimque remittunt, tunc bene de muliere augurandum. Contra si mulier ad se non redit, si obdormiscit, si stertit, si spumam ore trahit vix mortem evadit.

Quae mulieres in singulis partubus convulsionibus detinentur tanquam mollioris constitutionis, eas, si aliquoties in graviditatis stadio, et inter pariendum, si oportuerit, sanguinem sibi detrahere curaverint, periculum evasisse affirmat Mauricaeus.

---

(1) Mauriceau, Traité des maladies des femmes grosses, ec., liv. II, chap. 29.

Mulieri sanguineae, valde sensili, prima vice gravidae, et distensionibus nervorum correptae cum pulsu duro, facie rubente, capite gravato binas venae sectiones, clysteres, fomentationes abdominis imperavit, et repetitam dosim laudani liquidi Mathaeus Franciscus Alix (1). Remissis per aliquot horas convulsionibus, denuo una cum doloribus ad partum reverterunt. Auctor haesitans quid ipsi moliendum esset, nempe an partum absolveret, an alia tentaret auxilia, placuit ipsi mulierem balneo aquae tepidae immittere. Vix horae quadrantem in balneo transegerat, cum mulier melius se habere affirmaret, et convulsiones simul evanescebant, donec elapsa ferme hora auctis valide doloribus, disruptisque membranis feliciter peperit.

Praestantissimus Delpechius (2) affirmat convulsiones, si hysterismi naturam induant, partui non officere, neque sympthomata infausta relinquere; ast si ad epilepsiam pertinent, perniciosas esse, praecipue si matricis collum simul spasmo constringatur, ut exituro foetui sese opponat. In hoc casu paroxysmi epileptici eo sunt frequentiores, quo magis partus labores promoventur. Singulis quippe matricis contractionibus convulsionum accessus respondent, et sopor altus sub his foeminam detinet. Praecipuum in hisce angustiis auxilium auctori videtur, si partus acceleretur ope unius vel alterius incisionis circa uteri orificium factae.

Cl. Lavagna Hamiltonii usum secutus, foeminas duas soporatas restituit (3). Puerperae ira aestuanti, quae sopore capta fuit, sanguinem primo detraxit, dein camphorae drachmas tres cum mucilagine gummi arabici subactae et syrupo mitigatae exhibuit, de qua mistura cochlear unum quavis hora sumere jubebat. Altera puerpera tertio a partu die soporata bis misso sanguine, et eclegmate camphorato expergefacta est intra diem quintam, dum prior die quarta jam evigilabat.

Denique Doctor Dewes e Philadelphia peculiarem diatribam vulgavit, in qua distentionis nervorum in puerperis causam non semper in vasorum sanguineorum compressione, non in sanguinis ad caput affluentia, non in atmospherae, et temperamenti vitio consistere statuit; neque jugiter excitari convulsiones ab exquisito sensu, aut ab nervulorum uteri, ejusdemve orificii distractione.

Praenunciantur convulsiones a signis quibusdam, uti a cephalalgia, aurium sono, vertigine, caligine oculorum, interdum etiam a dolore gravi in modum clavi frontem percellente. Haec sympthomata excipiuntur a repetitis nervorum distentionibus: vultus, oculi velociter moventur; brachia et crura violenter jactantur; facies primum rubescit, dein livet, et nigrescit; lingua extruditur, nec infrequenter a dentibus laeditur. Respiratio initio crebra fere quiescit; carotides pulsant, et venae juguli tenduntur; vox demissa in acu-

(1) M. Fr. Alix Observata Chirurgica, fascic. II, obs. 14. Altenburgi, 1776.
(2) Précis Elémentaire des Maladies Chirurgicales.
(3) Repertorio Medico di Torino, n.° 18.

tum sonum desinit; spuma sanguinolenta ex ore cadit; pulsus ex pleno, frequenti, tensoque, fit celer, parvusque, quandoque non percipiendus; urinae, foecesque sponte demittuntur; frigidus sudor corpus obsidet, tunc paroxysmus solvitur. Aegra jacet ut plurimum stupida, somniculosa, et praeteritorum immemor expergiscitur.

Postquam exacte sympthomata recensuit auctor, distentiones, quae puerperis accidunt, distribuit in epilepticas, apoplecticas, et hystericas. Harum species prima fere prodromis signis se prodit ante paroxysmum, et praenuntiat congestus ad caput, partumque frequenter promovet, secus ac in altera specie, cujus prodroma signa vix discernuntur, neque partui opitulantur. Denique in hysterismo sympthomata leviora sunt, et praeter globum, ut dicunt, hystericum, neque sibilus, neque spuma os tegit.

Ubi epilepsis foeminam occupat, jubet largo vulnere venam tundere e brachio, vel juguli venas, sanguinemque a quadraginta ad centum uncias detrahere, neque ex arteriis temporum, neque per cucurbitulas sanguinem mittendum esse censet nisi interposito tempore. His junguntur purgationes, clysteres acres, vesicantia, vel emplastra ex sinapi. Dum hysterica passio mulierem detinet, praemissa venae sectione asam foetidam cum opio exhibet, neque aliis auxiliis praeter clysteres opus esse contendit.

Ast in attonitis ocyus et abundantius sanguis emittendus est quam in superioribus morbis. Partum arte moliri inopportunum esse autumat, quia morbus attonitus interdum idiopathicus esse videtur, ut scilicet nulla uteri contractio, nulla cervicis ejusdem mutatio percipitur, tunc enim partus factitius necaret. His positis, praecepta tradit, quae in partu convulsionibus stipato servanda sunt. Et primum si uterus ita dispositus inveniatur, ut foetum expellere potis sit, tunc ita succurri debet praegnans, ne ulla vis eidem inferatur. Nec pedes arripiendi sunt, neque forcipes intromittendi antequam periculum copiosi sanguinis emissione ablatum sit; neque prius a mittendo sanguine abstinendum, quam convulsiones remittant, et uteri cervix mollescere, et orificium ejusdem hiare incipiat. Si praedictae conditiones concurrant, partus naturae labori committendus est, et si caput diutius in vagina haereat, forcipibus excutiendus est.

Haec fere congruunt cum iis, quae jam antea praeceperat Mauricaeus; etenim si nulla ad partum dispositio adsit, hortatur ut celebretur phlebotomia e brachio, vel e pede, nisi convulsio ex oborta metrorrhagia supervenerit, clysmata injiciantur mollia, vel catharctica, ut semotis obstaculis, et accitis pressionibus uterus facilius aperiatur.

Mulier florentis aetatis primum uterum gerens, patremque suum fastidiens noctu 25 septembris anni 1783 vehementibus concutitur convulsionibus. Erat ei caput grave, pulsus tardus, artus inferiores tumidi. Illico detractus est sanguis, et data sorbitio ex liquore cornu cervi, post quae contractio coepit exsolvi. Sed cum pulsus deinceps frequentior esset cum quodam lateris dolore, inflatio extremorum itidem augeretur, urina parcior et subfusca

redderetur, spiritus fuliginis cum ligni sassafras decocto propinatus est. Kalendis octobris praematurum foetum exclusit, ex quo melius habuit. Deinceps vel tartari cremore, vel spiritu nitri inflatio penitus discussa fuit, et convalescens circa medium octobrem pharmaca singula respuebat.

Femina, quae alias pepererat, et in hac postrema graviditate ad septimum mensem pervenerat gonorrhaea simul venerea contaminata, diris convulsionibus iterum atque iterum invaditur anno 1783. Secta prius vena cubiti, vesicantia brachiis admoventur, et haustus nervinus propinatur. Mox convulsio redit, et mulier desipit. Inter haec pulsus erat tardus, et validus; pupilla expansa cum stupiditate; maxilla adstricta; corpus et brachia jactabantur. Tanti mali causa in utero haerere praesumebatur; cujus orificium molle et amplificatum erat, sine amnii tensione. Cum partus nondum instaret, ferrum cervici inustum est, et haustus ex cornu cervi cum succino datus. Igne commota parturiens vocem emisit, manumque cervici admovens de dolore conquerebatur. Tamen post horae intervallum ferocius irruerunt convulsiones, foetusque in utero quam maxime agitabatur. Jamque uteri ostium, et membranae distendebantur, stupore permanente, cujus causa foetus semivivus extractus fuit. Sedata post partum convulsione, mens interdum redibat, loquebatur, sed objecta discernere non poterat. Lochiis tametsi rite fluentibus, abdomen et crura velut in ascite tumebant, quibus febris supervenit, et abscessus in alterutro crure, et gangraena, quae vivendi finem fecit.

Tonstrix trigesimum quintum agens annum, octava vice utero habens, januario mense anni 1778 primum capitis dolore vespertino haud adeo levi torqueri coepit sine ullo exteriori tantae aegritudinis vestigio. Noctes irrequietas nulla medicina sopire valuit; et cum altera nocte convulsa agitaretur, e lecto excussa est, atque sensibus orbata iterum in lectum conjecta est; nam interroganti non respondebat; nonnunquam incondite exclamabat, lecto expansis brachiis insidebat, tanquam corpus aliquod complexatura; tum convulsione denuo correpta veluti stupida jacebat.

Mane, detracto prius sanguine, vesicatorium cervici fuit appositum: noctu ejus diei convulsiones foetum vivum et maturum excusserunt, et toto sequenti die mulierem stupentem nervorum concussiones agitaverunt. Iterum sanguis missus est, et pulvis cephalicus cum decocto propinatus. Triduo exacto, sopor solutus est, atque imbecilla mente et corpore sermocinari incipiebat, quae imbecillitas et capitis gravitas adhuc mense octobri ejusdem anni mulierem detinebat. Lochia, et lac manca fuerunt. Caeterum haec mulier neque corpulenta, neque plethorica dici poterat; pulsus rarus, et reconditus erat, neque postea hujusmodi paroxysmis obnoxia fuit. Anno 1781 decima quinta januarii admodum macilenta sine discrimine postremum filium edidit.

Mulier primipara pinguis, sanguinea, et procera annos nata sex supra viginti, die sexta decima octobris 1778 gravi pondere ad caput cum vomitu, et vultus succensione premebatur. Die sequenti distentis amnii membranis, hiante uteri ostio partus in propinquo esse apparebat, tum tribus praece-

dentibus doloribus et pressionibus vehementer convellitur foemina, convellitur secundo, rumpuntur membranae, et duobus post horis foetus vivus extruditur. Secundae manus ope evacuatae fuerunt, ne a superveniente convulsione constrictus uterus eas retineret. Nec mora exonerata matrice distentiones ad totum corpus propagantur, spuma occluditur os, mens stupet, membra laxantur. Hanc distentionem quae vehementior, et diuturnior fuit, et aliae secutae sunt mitiores, et breviores. Propter pulsuum gracilitatem, et prostrationem sanguis ultra missus non est, sed vesicatorium occipiti superdatum, et liquor cornu cervi cum succino exhibitum fuit. Post vesperam erigentibus jam sese viribus phlebotomia fuit administrata, et post biduum animum recepit puerpera, puerumque lactavit.

Primipara altera viridis aetatis nervorum distentione, sensuumque alienatione capitur noctu vigesimae quintae septembris anni 1782 ob jurgia cum parentibus excitata. Postridie vena secta fuit, mens rediit, nisi quod caput gravatum, pulsus mollis, tardus, artus inferiores tumidi essent. Itaque potionem cum liquore cornu cervi, et succino confectam dedimus; cumque artus magis intumescerent, pulsus frequentior, urinae paucae, et crassae essent, spiritum fuliginis, et ligni sassafras decoctum adjecimus. Die prima octobris praematurus foetus in lucem venit. Sequenti die idem decoctum cum tartari cremore exhibetur. Die septima mensis potus cum nitri edulcati spiritu substituitur; decima quinta mensis sanitati restituta pharmacis valedixit.

Mulier, quae hujus observationis objectum est, et saepius antea pepererat, nocte secunda mensis novembris anni 1783 cum septimum praegnationis mensem esset ingressa, reiterata ecclampsia capitur. Sanguis illico detractus fuit, et vesicatoria brachiis imposita, potusque cephalicus sed sine fructu datus; nam distentionibus iterum, et stupore prehensa mulier per totam diem novembris tertiam pulsu admodum tardo, pupillis dilatatis, maxillis oppressis, corpus brachiaque huc illuc jactaverat. Os uteri tamen laxabatur, et membranae foetus apparebant. Cervix candenti ferro aduritur, liquor cornu cervi exhibetur; mulier commota manum ad cervicem dirigit, sermocinatur, et de adurente dolore conqueritur. Hora vix abiit, cum convulsionibus pressa matre, foetus in utero mirum in modum exagitabatur. Sub meridie explicato satis utero, tensisque membranis partus semivivi foetus artificiose acceleratus fuit. Vacua licet matrice, permanens mentis stupiditas, artuum inferiorum, et abdominis inflatio fere ascitica vitae metum incutebant. Die nihilominus quarta fari coepit, objectaque conspiciens non discernebat: lochia abundabant. Sequentibus diebus accessit febris, et cruris abscessus, et gangraena artuum inferiorum, denique medio novembri mors.

Virago annorum 27 primo utero gravis bis convellebatur, dum in Nosocomio agebat; referebat tamen se distentionibus obnoxiam fuisse primis conceptus mensibus, ut ex animi moerore ter in die rigesceret. Haec feliciter et mature enixa est die 31 augusti anni 1783. Per horas ferme duas uber fuit lochiorum fluxus, eoque imminuto accersitus inveni puerperam prostratam,

algido sudore perfusam, sui tamen consciam, de stomachi, et capitis gravitate cum pulsu molli et depresso queritantem. Haustum ex aqua melissae cum sale cornu cervi propinavi: sub vesperam pulsu magis elato, et capite etiamnum gravitante venam brachii secare jussi, post quae melius habuit, adeo ut pulsu et abdomine ad consuetum ordinem redactis quarta die lac puero praebere potuerit, deinde etiam duobus infantibus per totum septembrem. Novembre incepto tribus convulsionis paroxysmis agitabatur non sine jactatione membrorum, visus caligine, et vertigine capitis; iidemque paroxysmi redierunt exeunte novembri cum febri, capitis dolore, debilitate, lactisque defectu. Quam ob rem deposito nutricis officio, et secta vena datae fuerunt pillulae ex foliis aurantiorum et succino confectae. Prioribus septem decembris diebus, cum menstrualis esset, paulisper nervi distendebantur sine febri tamen, et vertigine. Reliquis mensibus, quod fere per anni dimidium observavi, convellebatur modice, quoties menstrui cursus instabant.

Boni habitus mulier vigesimum quartum agens annum, primumque gerens uterum, ab hora duodecima noctis ad meridiem diei 27 januarii 1784 decies ecclampsia exagitata fuit cum dentium stridore, mentis alienatione, ululatu, oculorum caligine, gravedine, doloreque capitis, et lumbi dextri. Graviditas ad noni mensis initium processerat; pulsus mollis, tardusque; semel vena secta fuit, haustusque cephalicus porrectus. Saepius deinde rediit ecclampsis eadem die cum sensus et vocis per vices extinctione. Demum vespere convulsivi motus exorti cum brachiorum dispersione dolores ad pariendum excitaverunt, quod effectum est hora noctis secunda modicis lochiis insequentibus. Hora noctis decima, et hora nona diei 28 jacebat sensibus orbata, brachia contorquens, oculosque alternatim claudens. Vespere sopor, faciesque tumidula, pulsus parvus, cedens digito. Mane diei 29 jan. pulsus durior et tardus erat; mulier stupida in latus cubabat. Praeter fomenta abdomini imperatum est purgans ex manna et tartari cremore, et vesicantia tibiis imponenda. Die 30 sanguis missus est e pede, et vesicatorium cervici appositum. Dolens capite confusa pronunciabat praeteritorum ignara.

Ad quintum usque sequentis februarii diem caligabant eidem oculi et mens; objecta grandiora, quam solent, mulieri apparebant; neque oculus vigilia et cephalaea defatigatus ea discernere valebat. Parcius lac in mammas influxit. Septimo die aptius loqui visa est: purgatio alvi, et setaceum nuchae imperatum est. Interim pulsus et abdomen ad meliorem conditionem redierant, dum puerperae, etsi colores distingueret, objecta adhuc majora, quam sunt, repraesentabantur. Demum 14 februarii modo apyretica quod verum, quod rectum cognoverat, nisi quod caput veluti perfrigefactum, atque gravedine et dolore a fronte ad occiput occupatum duobus strophiolis debuerit contegi. Postremo februarii jam sospes ab electuario Fulleri, a quo plurimum utilitatis habuit, penitus vacavit.

Viridis aetatis primipara partu transacto octava noctis hora ecclampsia corripitur gravi 28 septembris 1784. Paulo post ad se rediens de ventris

doloribus questa ter evomuit. Post horam bis denuo convellebatur vehementer, et irrequieta per lecti spatia revolvebatur. Mane 29 septembris cum convulsa rigeret, os spumaret, et linguam tumidam momordisset, sanguis e brachio detractus fuit, et cauterium cervici inustum. Post inustionem vix per horae quadrantem compos sui facta, iterum in soporem lapsa per horas ferme octo rhonchissabat, et adjunctis super femora amplis vesicatoriis per noctem totam stertebat sine paroxysmo, lochiis interea suppressis. Diluculo diei 30 veluti expergefacta familiares dignoscebat, loquela tamen a tumida lingua erat praepedita, vultusque subtumidus observabatur. Quamvis lochia non defluerent, abdomen tamen non inflatum, nec pulsus aequo concitatior erat. Kalendis octobris alvus diagridio sulphurato aperta fuit, multaque dejecta fuerunt, in quibus uvae acini reperiebantur. Lochiis huc usque deficientibus mammae flaccescebant, spirabat graviter mulier, vultus tumebat; multa tamen indicabant mulieris conditionem nòn fieri pejorem; nam vires erigebantur, integra mente loquebatur. Tandem restitutis lochiis mala sympthomata sensim recesserunt, ut exeunte octobri sanata dimitteretur. Non est praetereundum, quod contracta lue haec foemina bis hydrargirosi sanitatem receperit; quod praegnans ulceribus vaginae, et condylomatibus foedata fuerit; denique quod puer paucis a partu horis interierit.

Mulier quinque supra triginta annos nata, quae septies pepererat mares quatuor, puellas tres, postquam sexennium in sterilitate exegisset, octavum utero suscepit, atque ingruente partu in nosocomium invecta est 15 februarii 1786. Paucis post diebus conqueri coepit de dolore capitis gravedinoso, cui tussis erat conjuncta sine febri. Vena brachii secta est, sanguisque crusta obtectus apparuit. Pulsus non durus, artus inferiores fere relaxati, ipsaque mulier male se habere significabat, et inter lamentationes quaedam contractionis inditia in ore, oculis, artubus observabatur, quae in convulsiones desierunt. Quapropter cervicem inurere jussimus, quod alias salutare experti sumus; verum licet ignis vi multum commota et agitata fuerit, distentiones tamen quinquies per diem, noctemque redierunt, et inter haec crebrius evomuerat, sensibusque destituta oculos huc illuc contorquebat, gesticulabatur manibus, et nonnunquam tanquam ingemiscentis voculam edebat. Ad meridiem post unam contractionem mens sana rediisse apparebat, genae rubebant; noctu vix quievit; ter evomuit. Tertio die rogantibus subridens respondebat caput sibi grave esse, abdomen non dolere. Per hos dies pulsus mollis, aequalis fuit, ideoque haustus exhibitus ex cornu cervi liquido et asa foetida. Quarto die delirabat, anxia inconditum clamorem edebat, quem media nocte sopor excepit. Praeter asam foetidam emplastrum ex sinapi plantis pedum apponitur. Quinto obscura et nigra eructavit; brachiis distentis, subrigidis, oculis clausis convellebatur; sensibus destituta non afficiebatur doloribus, et hora noctis prima alto sopore obruta marem exclusit mortuum livida cute, cuticula decedente notatum. Lochia copiosa partum subsecuta sunt, dein vomitus, et alvi dejectio, quibus tamen sopor discussus non fuit.

Sexto die stupida extensis brachiis, genis rubentibus inventa est, os constrictum, laevum brachium, et artus inferiores oedemate affecti. Asa foetida iterum tum per os, tum per clysteres injecta: pulsus, spiratio, et abdomen nihil praeter naturam habebant. Septimo lochia cessant; respirat oculis clausis ac si dormitaret. Post meridiem pulsus elatior erat, errábat oculis incertis, lacessita excitabatur. Octavo fere eadem sympthomata, licet excretiones non intermitterent. Nono et decimo spiratio gravior, pulsus deficiens, oculi prominentes, defixi erant. Ad haec mulier interdum convulsione quassata strictis maxillis, expansis brachiis tota obriguerat. Demum duodecima die postquam mentis compos facta videbatur, ut aliqua sermocinaretur, expalluit, atque crebro et difficulter spirans, laxatis musculis, abolito pulsu, digitis incurvis soporata mortem obiit.

Postridie cranium aperuimus, in quo mali sedem quaerendam esse censebamus. Igitur detracta menynge dura, vasa cerebri fere vacua, piamque menyngem arctius cortici cerebri adhaerere observavimus ad extremum latus anterioris lobi sinistri. Totus ferme lobus iste lympha gravidus erat; nam lympha per piae matris cellulas, et sepimenta diffusa inter corticis rimas descenderat, et medullam pluribus locis distraxerat, totidemque vesiculas, veluti hydatides effinxerat inter cerebri medullam haerentes. Is tumor ita dispertitus erat, ut ex qualicunque sectione proflueret humor, et veluti oedema cerebri constitueret. Cortex autem, et medulla cerebri pallidiores facti ab exundante lympha, et flaccidiores, facile lacerabantur, et luci obversi pellucebant. Reliqua cerebri massa sana et duriuscula erat. In ventriculis superioribus modica lympha, in sinistro diaphana, in dextro turbidior. Cerebellum mollius multo, quam par esset, repertum est, quod pressum itidem lympham ex pia matre plorabat, multaque ex quarto ventriculo, et circa medullae spinalis initium prosiluit. Thoracis viscera secundum naturam se habebant. Abdomen patefactum putridum odorem exhalavit, in quo viscera omnia corrupta erant; nam ventriculus cum intestinorum massa coloris ex cinereo-fusci; lien magnus, mollisque; hepar subpallidum; uterus magnitudine quidem, quam eo in stato habere debuit, sed intus forisque fracidus se praebuerunt. Relatum fuit post mortem hanc praegnantem a marito per aedis scalas fuisse dejectam.

Juvencula vigesimo aetatis anno gonorrhaea affecta, et artubus inferioribus tumentibus sese obtulit 12 novembris 1786, cui decoctum ligni juniperi cum tartari cremore quotidie hauriendum datum fuit. Decima quinta ejusdem mensis septima circiter noctis hora convellebatur vehementer, quam convulsionem praecesserat anomalus abdominis dolor, quem ad futurum partum attinere existimabant obstetrices. Pertusa brachii vena, vesicatorium occipiti impositum. Primo diluculo diei 16 veternosa edidit foetum exanimem, nec unquam postea resipuit. Femoribus vesicatoria, et malagma ex sinapi suris fuerunt superposita. Postero die 17 nigra dejecit: pulsus cedens, inordinatus, cubitus supinus, respiratio querula. Cervix aduritur, haustus

excitans propinatur. Sequenti die 18 eadem sympthomata, nisi quod alvus nigra, et stomachus viridia crebrius per diem eructaverit. Postremis duobus diebus abdomen, quod hucusque depressum erat, intumuit, et quaedam eloqui conata mox in veternum relapsa est. Dein anxietas summa, pulsusque depressus, labia tumentia, obtutus incertus, carnes livescentes, ructusque frequentes mortem annuntiarunt.

Postridie abdomen sectum est paulo lividum, sicut et vulva, ex quo rubellae lymphae copia scaturivit, quae potissimum circa ilium sinus colligebatur, ubi alba materia in floccos concreta intestinis inhaerebat. Ventriculus vacuus, collapsus; pylorus amplus. Hepar subnigrum, bilis pauca, diluta. Uterus ad oram lineae innominatae contractus, duos latos digitos crassus, intus rubens parenchymate sano. Ovariis subruffis, et aquae immersis hydatides innatae conspiciebantur. Mammae vix turgebant. Ignoro cur caput inspicere neglexerim.

Primus forsitan Mauricaeus observavit ecclampsim puerperarum, cujus causam primam repetit a plethora impetum in cerebrum faciente; alteram a sanguinis jactura; tertiam a gravibus doloribus partum comitantibus. Veretur etiam, et quidem recte, dum sopita mulier spumam ex ore movet, ne mater, aut filius pereat. Id verum non perpetuum esse nostrae observationes declarant; etenim quas modo explicui, videntur pertinuisse vel ad hysteriam, vel ad epilepsim. Et inter causas certe adnumeranda veniunt pathemata, casus, terror, jurgia; lymphae effusio in aliqua corporis cavea, et venerea labes, quae forsan ecclampsim magis exitiosam reddit. Foetus autem sive inscia et convulsa matre edantur, sive obstetricis artificio educantur, parum ad convulsionis imminutionem videntur conferre. Sic foetus modo vivi, modo semivivi, nunc mortui sub ipso paroxysmo efferuntur.

Curatio, quae per repetitas sanguinis missiones fit, nisi mulier attonita sit, mulierem potius prosternit, quam sublevat. Camphorae effectum nondum experiri contigit; immersionem autem praegnantis, vel puerperae in balneis ut plurimum vidimus quam efficacissimam.

Levretus (1) duas species convulsionis gravidas affligentis describit. Prior quae musculos solum vel integros, vel cavos perstringit absque sensuum perturbatione, neque abortus provocatione, et quae instante partus molimine quiescit. In altera contractionis specie, quae frequentior est, foeminae viribus et sensibus destituuntur; oculi sunt defixi; membra concutiuntur. In hoc statu antispasmodica et antihysterica commendat, simulque monet deteriorem esse gravidae convulsae conditionem, dum mortuus foetus uterum percellit.

In re, quae anxium tenet medentem, et propinquos, liceat postremo adjungere observationes duas Jo. Ludovici Buxtorfii (2). Formosa mulier, et delicatior septimum et decimum attingens annum, postquam veris partus do-

(1) Art des Accouchemens, II. édit. p. 224.
(2) Acta Helvetica, vol. VI, p. 219.

loribus correpta fuit, in vehementissimas incidit convulsiones, ultra bihorium saevientes, nulloque medicamento coërcendas. Remittente tandem convulsione perforato prius capite foetum corruptum in lucem protraxit Buxtorfius Pater. Posthaec per bihorium placide obdormivit puerpera; sed renovata convulsione, et ingravescente cum assiduo sopore, tendinumque subsultu postero die mortem oppetiit. Causam potiorem tribuit Auctor praematurae veneri, dum corporis habitus nondum satis confirmatus est, quia in foeminis majus robur requiritur ad foetum gestandum, alendumque.

In primipara, cujus aetatem silet, hystericis convulsionibus quassata embryulciam administravit. Puerpera soporata, sensu expers usque ad sequentem diem stetit. Tunc recuperatis sensibus et praeteritorum ignara, de lingua solummodo sauciata quaerebatur, posteaque convaluit.

Art. VIII.

Prolapsus uteri.

Uterum prolabi tunc dicimus, cum tota vagina invertitur extra pudendum, simulque uterus intra vaginae canalem descendit laxatis ligamentis sic, ut in extrema pelvi delatus ejus orificium, quod obstetrices *os Tincae* vocant, conspiciatur, ex quo menstruus sanguis stillat, si procidentia inveteraverit.

Rustica quaedam mulier post primum partum modico vaginae descensu laborare incoepit, malumque diu neglectum; nam quatuor posthac filios ediderat; uterum secum traxit, prolapsusque fuit completus. Jamque quadragenaria mense integro uterum propendentem gestavit, donec accedente febri in valetudinarium invecta fuit. Tumor erat magnus, ad media femora protensus, extremo fine latior, superne angustior. Vagina praeter modum extensa sine rugis erat, arida, cutique circumstanti non absimilis. Licet matricis volumen naturali multo majus esset, eandem tamen in sedem compellere conatus sum; verum nec pressione, nec digitorum varia actione intus reponi potuit, parumque abfuit, quin opus relinquerem. Tamen praecepti Celsiani memor, id quod provolutum erat, molliendum curavi tum lacte, malvisque, tum lini seminibus, a quibus haud multo post abstinendum fuit ob dolores praeter opinionem in iis partibus concitatos, videbaturque ex fomento vulva nimium relaxata, ejusque volumen potius auctum fuisse.

Qua re frustratus aliud praesidii genus excogitavi; nimirum fascia ad literae T formam lumbis circumdata vulvam sustinui, exhortavique mulierem, ut matricem manibus identidem sursum propelleret, quo vagina intra se ipsam sensim, sensimque inflecteretur. Ita sublevata pelvi, fasciae, manuumque compressione tumor paulatim imminutus est, vaginaque perspirationis internae beneficio humectabatur. Vix decem elapsis diebus uterus intra vulvae labia se recepit. Interim quo altius matrix ascendebat, eo frequentiores in ilium regione dolores erant, cumque crassior uteri pars intra pelvim assur-

gebat, compressa vesica urinam retinebat, quam catheteris ope per quatriduum educere opus fuit, donec uterus mollior et humescens in propriam sedem erectus fuit, in eaque retentus a tumescente vaginae pariete qua rectum intestinum respicit. Deinde pessario in calicis formam effecto sic matricem sustinere studui, ut muniis domesticis obeundis jam apta mulier valetudinario excesserit anno 1780.

Matricem totam inversa vagina procidere posse, osculumque ejus conspici plures Auctores fidem faciunt; in primis Ruyschius (1), qui in defuncta foemina uterum in pelvi non invenit, sed extrorsum propendentem. Uteri procidentiae ab aliquibus tunc temporis negatae mentionem facit Stalpart (2) in quadam Martina a se observatae, cujus uterus durus admodum ac duorum pugnorum magnitudine cum interiori orificio facillime spectabatur.

Inter causas matricis procidentiam promoventes numerantur ligamentorum latorum relaxatio; gravissimi inter pariendum labores; leucorrhaea immodica (3), ascites quo genitales partes humectantur, et lymphae pondere protruduntur; diuturna statio sive lintea distendendo, sive alia graviora munera obeundo; saltatio vehemens (4); demum vaginae amplitudo, et laxitas; sicut enim uterus magnam plerumque partem vesicae secum trahit, sic vagina amplior et laxata pedetentim descendens uterum ipsum subsidere cogit.

Uterum procidentem non semper posse restitui autumat Ruyschius, si extra partum diu e corpore prolapsus haeserit; tunc enim observandum est, an adeo increverit, ut facili negotio in pristinum locum redigi non possit; an induruerit cum inaequali superficie, aut ulcere obsessus sit; aut longiori tempore extra corpus propendens aliam sedem sibi propriam selegerit; tunc enim periculum restituendi haud temere faciendum esse monet, reposito enim utero pessime se habere aegras compertum est, uti ex allata a nobis historia comprobatur.

Muliercula, si eidem fides habenda fuerit, virum non passa ob stationem prorogatam in completum uteri prolapsum incidit anno 1781. Erat illa staturae mediae, macilenta, nigro capillitio. Provoluta matrix facile reponebatur, et denuo relabebatur, nisi pesso congruo contineretur. Vagina sat ampla sine fluore tamen fovebat iteratum uteri lapsum. Haec foemina scire a me cupiebat praecipue, num hujusmodi affectio ad contrahendum matrimonium impedimento esse posset? Cui ego reposui nequaquam impedimento esse, quia duo in conjugio erant observanda: ut mulier virum admittere posset, utque generationi esset apta. Et primum quidem nullo pacto obstare posse procidentiam tam facile, et fortassis solo decubitu reponendam, quin vir rite congrederetur. Alterum vero scilicet prolis susceptionem minus tutam esse

---

(1) Obs. anat. 7.
(2) Obs. rarior. cent. I, obs. 69.
(3) Ruysch. obs. anat. 6.
(4) Idem, obs. anat. 9.

ob vaginae, ejusque musculi constrictoris laxitatem, et exinde ob prolifici humoris effluvium, nisi simul in auxilium vocarentur ea praesidia, quae genituram retinere valerent. Haec igitur vulvae vitia opportune correcta conditioni physicae, qua mulier concipere posset, contraria esse non existimabam, dummodo genitura contra osculum uteri ejacularetur; etenim ejusdem orificio, quasi capillari tubo, facultas inest absorbendi, atque vi peristaltica in cavum uteri, in tubas, et ovaria transmittendi id, quod ad foecundationem requiritur, quae omnia illecebrosa mulier efficaciora reddit. Neque abnuit Ruyschius (1), qui etiamsi uterus ipse ex parte propendeat, non impedire affirmat, quominus mulier possit fieri gravida, quod ipse quoque testari possem, licet observationes non adnotaverim, aliquas mulieres, quibus matrix ad vulvae ostium prociderat, foecundatas fuisse. Sed majora testimonia adducit Morgagnus (2) ex Harveio, Sandenio, Fabricio, Slevogtio; et mirabile visum fuisse tradit, quod utero gravido extra naturalis oras intra vaginam inversam propendente foetus nihilominus editus sit. Verum si forte mulier suscipiendo semini apta non fuerit ob genitalia enervata et torpida, quaeri potest, an hujusmodi affectio impedimentum dirimens constituat? Conjugii enim finis est prolem suscipere.

Haec fere sine damno gravi esse possunt, si forte ante gestationem uterus sese demittere, et denuo conscendere assueverit. Verum si in ipso partus labore primum delabitur vel ex toto vel ex parte, majus instat periculum; atque hos imperfectos uteri prolapsus in mulieribus lue celtica affectis nonnunquam nos observasse meminimus, praecipue si genitalia gonorrhaea, aut verrucis fuerunt labefactata. Ante annos bene multos dum mulier in sella parturiebat, foetum secutus est uterus, et mulier syncope correpta, amissis viribus post tres horas in lecto expiravit. Primipara florentis aetatis mense januario anni 1784 lectulo decumbens foetum nullo fere conatu, aut saltem non vehementi edidit. Uterus tamen ad vaginae ostium descenderat syncopem, pallorem, et visus hebetudinem inferens. Haec mulier brevi tempore per integram quietem vires resumpsit.

Altera primipara annorum sexdecim die 25 januarii anni 1784 grabato pariter infixa fere cum amnii aquis simul foetum exclusit. Mox uterus cum placenta ad vaginae orificium sese ostendit cum signis instantem mortem portendentibus. Placenta licet partim avulsa conspiceretur, ab obstetrice tamen una cum utero in abdomen propulsa, atque ab ipsius uteri contractionibus postmodum depulsa fuit. Quamvis autem placenta et lochiis ordinatim exoneratus esset uterus; pallor tamen corporis, leypothimia, et hypogastrii dolores diu noctuque mulierem tribus ferme diebus detinuerunt, in quibus pulsus paulo validior fuit, et lochiorum fluxus moderatus. Malis hisce signis subventum est emulsione ex seminibus citri, fomentis, jusculis nutrientibus.

---

(1) Obs. anat. 22.
(2) De Sedibus et caus. Morb., ep. XLV, 13.

Interea tendebatur hypogastrium, aderat febricula, et matrix denuo deorsum ruebat; quam ob rem anxietas, et abdominis dolores augebantur, neque lac secernebatur; lochia aquosa, fusca, foetida, cinerea cum alvi duritie defluebant. Quarto die ad abdominis tensionem, et dolores sublevandos vena secta est; sanguinis educti crassamentum molle fuit tenui crusta obductum, serum sanguinis penitus aquosum. Perseverante nihilominus febricula, dolore et tensione hypogastrii, lochiis foetentibus, vulva inflata, et ulcusculis conspersa apparuit. Pedes deinde tumefiunt, mulier ter convulsionibus agitatur, sensibus destituitur, et decimo quinto puerperii die moritur. Injectiones detergentes, cataplasmata ex aromaticis, cinchonae decoctio, vinum, apozemata, cardiaca, frustra adhibita fuerunt.

Patefacto abdomine vesica urinaria sese obtulit amplissima, quae ad colon gastricum protendebatur anterius ab omento pinguissimo cooperta. Inter omentum et posticum vesicae parietem, et coli intestini arcum sub ipso ventriculo recondebatur abscessus multo pure plenus. Colon, quod inferne in literam S flectitur una cum mesocolo succensum. Uterus in ima pelvi duplo naturali crassior, contractus tamen et pallidus conspiciebatur. Ejus vero fundus introreflexus in uteri caveam secum traxerat ligamenta lata usque ad ovaria. Igitur lata ligamenta et praesertim tubae Fallopii introsuscepta erant, atque ad extremum finem reflexi fundi uterini pertinebant. Itaque uteri fundus ita inclusus valde constrictus erat, nec nisi transverso pollice inter se distabant tubarum origines. Uteri in vaginam prolapsi superficies ex livido fusca, inaequalis, ejus osculum molle et attenuatum; interior vero matricis superficies livida, ulcerata praecipue in ima ejus parte. Intestina, et mesenterium sana; in abdomine nec seri, nec puris quicquam fuit. Longitudo uteri prolapsi erat digitorum parisiensium quatuor; latitudo trium; hiatus reflexi fundi uterini latitudo versus caveam matricis pollicum duorum.

Specialis uteri procidentiae duas observationes literis mandavit Ruyschius (1): altera lateralis portionis uteri; altera oris ipsius interni. Mulier parturiens propter conatus vehementiores incidit in tumorem durum minoris pugni magnitudine, idque solummodo in latere dextro vulvae. Is tumor placentae uterinae portio videbatur esse auctori; quae non raro foetum praecedit; sed re melius investigata, veram uteri lateralem portionem esse deprehendit; nam foetu edito statim ad naturalem rediit locum, pariensque convaluit.

Os uteri internum in partu exire aliquoties se vidisse Ruyschius scribit; et tunc multa circumspectione in partu opus esse, atque foetus viventis exitum naturae committendum, atque os uteri utraque manu substinendum esse monet. Exoriente vero foetu is manu adjuvandus, dum altera uterus ad inversionem pronus retinetur.

Si animum adjiciamus ad hasce labentis uteri species, suspicari subit in

(1) Obs. anat. 24, 25.

priori casu aliquam matricis obliquitatem adfuisse, aut parietis dextri infirmitatem, quem foetus caput extrorsum urserit. Saepenumero ab obstetricibus observatum est, os uteri vel ob naturalem rigiditatem, vel ob cicatriculas, vel ob sanguinis infartum difficulter admodum pressionibus parturientis cedere, et sese extendere; unde deorsum urgetur, id quod in altero casu a Ruyschio notato locum habuit. Tunc ars medica praecipit vel sanguinem detrahere, vel balinea usurpare, vel etiam, si opus fuerit, incidere id, quod pertinaciter resistit. Cum autem sit animadversum internas uteri lapsiones, et introsusceptiones vitam puerperae minitari, non alienum erit singulis obstetricibus praecipere, ut, quocumque modo deciderit uterus, si insolita exsurgant sympthomata, immissa cuneata manu explorent ejus cavum, parietes concidentes explicent, corpusque matricis, si forte adhuc desidet, altius attollant, et a grumis crassioribus expurgent.

Non supervacuum esse arbitratus sum historiam hic subjungere *De foetus vivi extractione utero prolapso*, quam a Philip. Conrado Fabricio promulgatam collegit Hallerus (1). Foemina annorum triginta tertia vice pariens erat, cui foetus vertex per os maternum nonnihil apertum egressum moliebatur. Uterus vero totus extra *abdomen* parturientis a duobus mensibus sine externa violentia propendebat, qui etiam uterus liquorem mucosum per illud temporis spatium subinde emittebat, nec moliminibus obstetricis in ipso mali exordio reponi potuit. Interim cum amnii liquor jam esset effusus, et mulier medicamentum partus dolores excitans expostulasset, medicus aliquot doses boracis venetae praescripsit, quibus fibras leniter stimulando febres et inflammationes facile subsecuturas averteret; suasit insuper obstetrici ut urgente dolore os uteri inungeret, et modeste dilataret, altera vero manu uterum ipsum versus abdomen repelleret, sicque foetus egressum exploraret. Mulier in sella obstetricia considens, doloresque omni nisu promovens ostium uteri eo usque duntaxat aperire potuit, ut infantis caput conspici et tangi licuerit. Nam uterus totus instar utriculi extra abdomen valde rubens, et induratus pendebat.

In hoc rerum statu parturiens lecto transversim incumbere jussa est, ne cunctando vires frustra perirent, atque ut elevatis clunibus abdominis musculos relaxaret. Hoc facto, uteroque inuncto ex tepenti liliorum oleo, orificium ejusdem dehiscere coepit, et post iteratum boracis usum puellus vegetus absque chirurgica administratione editus est. Uterus vero a secundis purgatus sine impedimento intra pelvim retrusus est, et quiete, tum pessario retentus in propria sede fuit.

Ad hunc articulum pertinent quoque observationes duae Gulielmi Fabricii Hildani (2). Matronae foetu mortuo prius edito circa sextum praegnationis

(1) Disputat. Chirurg. tom. III, p. 433. Vid. Morg. De Sed. Ep. XLV, 13.
(2) Obs. Chir. cent. IV, obs. 60, 61.

mensem, secundas vi extrahere conata est ignorans obstetrix. Secutus est lumborum dolor adeo magnus, ut protinus ab opere desistere coacta fuerit. Alia advocata obstetrice secundum foetum pariter mortuum peperit, et persequentibus lumborum totiusque ventris doloribus uterus ad pugni magnitudinem extra vulvam procidit, qui ab obstetricibus reduci nequaquam potuit. Tandem post duos menses accersitus Hildanus praemissa corroborante et dolores leniente potione uxori suae curationem absolvendam commisit. Illa corpus leniter expurgando et per vices instaurando, nunc anodyna, nunc adstringentia applicando, quin etiam manum subinde admovendo post dies 15 puerperam in integrum restituit.

In altera observatione mentionem injecit Matronae, quae nunquam utero gestavit, et per multos annos uteri descensu laboravit. Hanc sanavit pessis ex subere ovali forma fabricatis. Demum curatio singularis, et quae usu venire potest est illa, quam narrat Berchelmannus (1) quod procidens a laxitate vinculorum uterus, incisa ejus substantia, sponte se restituerit.

Art. IX.

Inversio uteri.

Teterrima mulierum passio est matricis sub partu inversio, cujus perplura, quam e re foret, prostant exempla. Narrat Ruyschius (2) se una die vocatum fuisse ad duas mulieres, quibus monstrum ex corpore pendere asserebant feminulae. Reperit uterum per vaginam eductum, et ex vulva pendentem inversum. Alteri mulieri reduxit uterum, et sanata est feliciter. Altera periit, quia uterus tamdiu extra corpus haeserat, ut jam induruerit, neque reduci amplius potuerit; quam indurationem ocyssime accidere uteris sic violenter inversis tradit idem auctor. Huic Anatomico contigit etiam ut sponte prolaberetur uterus inversus; vix enim delapsa placenta et membranis in quadam foemina uterus momento citius invertebatur, cujus mali causam haerere arbitratur in validissimis conatibus parturientis ad exonerandum uterum adhibitis.

De Marchettis hanc historiam reliquit (3). Cum a partu puellae viginti circiter annorum secundae statim non procederent, uterumque nonnihil laxatum obstetrix videret, tunc manibus magna vi attraxit extra pudendum non sine gravi dolore puerperae, quae incidit in leypothimiam, uterus inflammabatur, sed inunctionibus opportune adhibitis post aliquot horas totum uterum in pristinam sedem compulit auctor, secundinis sponte secedentibus.

---

(1) Commentarii de Rebus in Sc. Nat. et Med. gestis. Tertiae Decadis suplem. p. 287.
(2) Advers. Anat. Decas 12, p. 37.
(3) Obs. Sylloge, obs. 61.

Gravis tamen inflammatio, et gangraena prohiberi non potuit nec sanguinis emissione, nec injectionibus, unde mors secuta est. Huic addenda est opportuna Stalpartii observatio, (1) qui cum Solingio vidit ab obstetrice una cum secundis uterum simul fuisse eductum, qui instar inversae manicae interiori superficie externata inter femora propendebat; mulier vero sive puerpera intra dimidiam a partu horam decessit.

Mulier cujusdam lemniscorum opificis, gracilis, haud procera, strigosa altera vice peperit mane diei 17 augusti 1786 expedite, sine labore, quemadmodum prima vice evenerat, nisi quod post editum foetum de vividis stomachi doloribus conquesta est, atque una cum secundis matrix inversa descenderat. Extemplo vocatus adfui, vidique mulierem pallidam, animo linquentem, desipientem, brachia jactantem, oculos vertentem et perfrigeratam. Interfemineum complebat placenta, et corpus quoddam globosum, molle, inaequale, cujus superficiei adhaerebant secundae, quas cum diligenter removissem, et perpenderem globi illius naturam, facile cognovi ob mollitiem, ob aliquam fungositatem, et si in centro premeres, vacuitatem, tum ob continuatum nexum cum vagina, esse matricem propendentem. Ubi de matricis descensu et inversione certior fui, eandem reponere digitis circum latera premendo sategi, cumque in pelvim pervenisset, validius centrum sive fundum propulsavi, ut introverteretur, quod brevi effectum est. Manum tamen in coni formam collectam in uteri recompositi cavo retinui, donec aliquantisper contraheretur, et subducta pedetentim manu in propria sede consisteret. Tunc embrochen ex aceto abdomini imposui, et gelidam intra vaginam conjeci. Sed malum pervicacius fuit auxiliis etiam prompte usurpatis, atque quinta post hora decessit puerpera.

Dum hujus infortunii causam investigabam, relatum mihi fuit, noctu pridie ejus diei, quo peperit, mulierem per insomnia fuisse perterrefactam, dum sibi visum fuit, ab subsiliente equo abdomen conteri, quo saltu perculsa, somniculosa e lecto desiluit, et primo diluculo pariendi laboribus fuit adorta. Nonne consultius fuisset uterum simul cum secundis reponere, ne ejus superficies inversa attrectatu laederetur? sed in hunc modum procedendo, siquidem haec massa simul reponi potuisset, avellendae placentae iterum necessitas sese obtulisset, iterumque uteri prolabendi periculum fuisset.

Infaustum hunc casum excepit alter faustissimus. Oppidana mulier, quae novies tam maturos, quam immaturos foetus in lucem ediderat, in eam incidit imbecillitatem corporis, ut praeter copiosum mucorem imperfecta vaginae procidentia affligeretur, quae res non parum negotii in partubus, qui insecuti sunt, facesserat. In postremo partu duodecim abhinc annis uterus inversus simul cum foetu elapsus est uno impetu. Advocor, invenio puerperam lecti crepidini applicatam, foetum et secundas ablatas, uteri superfi-

---

(1) Obs. cent. I, obs. 67.

ciem multo sanguine manantem, ipsamque foeminam fere exanimem. Itaque sine mora supinata foemina matricem facilius quam existimaveram in sinum suum recondidi, manuque contracta explicavi, et eo usque retinui, donec tantisper uteri corpus contraheretur, pulsus micare inciperet, et palpebrae attolli. Tum ex linteis carptis glomos variae formae ad uteri os admovi, et vaginae cavum eisdem complevi, fasciaque continui, mulierem analepticis refocillavi, tandemque pristinae saluti restitui, quam etiam hoc anno 1824 integram sustinet.

Felix hujus rei eventus in promptitudine positus est, qua matrix nondum ab aëre, nec attrectando vitiata, nec ab obstetrice distenta recondita fuit.

Matricis inversionem distinguunt practici in perfectam, et imperfectam: haec fit vel dum matricis fundus introvertitur in ejus caveam, cujusmodi exemplum articulo superiori exposuimus; vel dum uteri fundus intra ejusdem cervicem descendit, atque in vaginae sinu tangi potest. Illa accidit, dum totum uteri corpus relaxato orificio invertitur, descenditque in interfemineo inversam vaginam simul trahens. Imperfecta uteri inversio, in qua fundus ejus cervicem non superat, dignosci nequit, nisi tota manus immittatur. At si cervicem pertransiit, a tumore hemisphaerico intra vaginam pendente, aequali superficie, atque veluti annulo ab cervice constricto facile judicabimus fundum uteri in puerpera descendisse. Tunc acuti dolores suboriuntur in inguine, pondus molestum in hypogastrio, desiderium aliquid expellendi, cujus efficacioribus conatibus saepius matrix ulterius provolvitur. Dum perfecta est matricis inversio, in conspectum venit tumor extra vaginam, et inter femora subrotundus, cruentus, superficie fere laevigata, pediculo suspensus crassiori, mollique, qui a cingulo quodam praecingitur ab interiori matricis ostio efformato. In hoc statu dolores fere sunt acerbiores, sanguinis jactura copiosior; his superveniunt leipothimiae, algidi sudores cum nervorum contractionibus, quarum calamitatum mors finem facit.

Levibus de causis matricem inverti posse quin chirurgus etiam dexterrimus obstare possit, nonnulli auctores affirmant, cujus propositionis primam partem sicuti nullatenus admittere possum, sic alteram facile concedam; nam ut uterus deorsum procidat, et invertatur, necesse omnino est, ut longo labore, pressionibus, fluxibus aut alio praegresso vitio sit labefactatus; tum ut peritonaeum, quod uterum cum suis appendicibus alligat crasso intestino, mesocolo, ilium ossibus, vertebrisque lumborum, solvatur a cellulosis vinculis, quae illam membranam supradictis partibus connectunt, et deorsum producatur sive a nixu superincumbentium viscerum, sive a distensione inferiorum viscerum, quae subsidere coguntur. Matricis inversio tribuitur ut plurimum negligentiae, vel festinationi obstetricis, dum mulierem stando parere jubent, vel vehementiores conatus adhibere, vel dum violenter nimis placenta ab ipsis educitur. Lugubres hi casus, si quando eveniunt, leto finiuntur; et cadavera terra obtegit. Exoptat de Marchettis (1) ut haec funera

(1) L. cit.

exemplo sint obstetricibus persaepe imperitissimis, ut secundas sponte potius prolabi permittant, quam violentis manibus eas sollicitent, aut earum loco uterum ipsum extrahant, atque, si res postulet, ut mature ad chirurgica auxilia confugiant. Uterum etiam deorsum promovere possunt placenta nimis crassa et ponderosa, tumores, et sarcomata. Quaedam causae interiores uterum laxantes in innuptis ad inversionem disponunt, ut sunt polypi intus haerentes, metrorrhagiae, fluxus serosi matricis compagem infirmantes, viscera majorem nacta molem uterum deorsum prementia in primis in corpulentis foeminis amplaque pelvi donatis. Hisce demum causis addendae sunt animi variae affectiones, quae quantam vim habeant in genitalia organa, et quantum eorum functiones perturbent, passim ex medicis historiis colligitur.

Inversam matricem ocissime restituere oportet, neque cunctari donec mulier lotium et alvum reddat, ut nonnulli suadent; atque restitutio melius fit, si resupinata muliere uteri fundus sursum, et introrsum agatur. Id tamen moliminis periculo non vacaret, si quacunque de causa nimium tumens matrix sit, aut gravi inflammatione correpta sic, ut intus compelli nequeat. Tunc enim venae sectiones iterandae, fovendus tumor, alvus ducenda, oleosa injicienda. Dum matrix diutius propendit, eum in modum intumescit, ut in sedem compelli amplius non possit, tunc praeter sanguinis effusionem sympthomata tam gravia superveniunt, ut in gangraenam abeat, aut mulieri pereundum sit, cum eidem opitulari impossibile sit. Interdum etiam nimia constrictio cervicis uteri prohibet, quo minus in suum locum redeat, quae constrictio saepius gangraenam accersit, et aegrae vita periclitatur. Aliquas tamen amputata matrice supervixisse testantur Aëtius, Paulus, et Paraeus. Ita Faivre (1) matricem a partu inversam, et gangraenam minitantem devinxit, cum neque sanguinis detractionibus, neque balneis restituere valuisset. Eadem ephemeris Gallica (2) binas continet faustas observationes. Windsor (3) duobus injectis ligaturis dimidiam uteri inversi partem praecidit feliciter, et duodecim dierum spatio servata fuit puerpera. Ex adverso narrat Ruyschius a chirurgo quodam matricem infelici eventu fuisse constrictam.

Ubi matrix rite composita fuerit, adnitendum est, ut eadem suo loco contineatur immissis ex carpto filo turundis, roborandaeque sunt genitales partes injectionibus, epithemate, supino cubitu, habitusque corporis acopis opportune instaurandus.

Si forte recondi matrix nequeat, et si quaedam sympthomata hoc viscus auferendum esse demonstrent, in primis ob aliquod vitae discrimen, quod imminet, exhortaturus sum chirurgos, ut, priusquam scalpellum admoveant, aut vinculum injiciant, cathetere lotium extrahant, et vesicam eodem admi-

(1) Journal de Méd. Chir. et Pharmacie, tom. LXVIII.
(2) Maij 1757; septemb. 1766; juin 1767.
(3) Annali universali di Med., vol. XXVII.

niculo sustineant. Cum enim vesica simul cum vagina et utero persaepe provolvatur, ejusdem laesio tanquam lethalis est consideranda; cavendumque est chirurgo, ne in id infortunium incurrat, cui obviam ivit opifex a Ruyschio notatus. Jam salutaria esse praecepta, quae superius a nobis proposita sunt, plane intelligitur; nempe in uteri inversi restitutione necesse omnino esse, ut manus contracta in uteri cavum deferatur, unde ejus parietes quoquoversum explanentur, demonstravit in primis casus haud pridem observatus. Foemina, cum esset innupta, praecoci et copioso menstruali fluore gaudebat. Postquam conjugium iniit, primum foetum maturum luci dedit; alterum, cum inopinato cecidisset, praematurum, sed viventem. Dum tertio gravidata fuit, mense quarto sanguis e genitalibus prorupit, foetumque vivum quinto mense secum abripuit. Secundae vero tenacius matrici adhaerentes a chirurgo quodam, qui primus quaerentibus occurrit, ablatae fuerunt. Hic tamen, dum easdem solvebat, uterum ipsum inversum fuisse animadvertit, et sine mora illum restituere, an satis bene ignoramus, sategit. Ab eo tempore, quatuor nempe mensium et amplius spatio fluxu sanguineo et mucoso laboravit subsidiis medicis omnibus resistente, unde ad anorexiam, summam maciem, et stupiditatem perducta fuit. Denique fere derelicta jacebat flavescens toto corpore, alvo sicca, sanguine exinanita, et a febricula consumpta, dum suadentibus amicis statuerunt consanguinei advocare peritos obstetrices, qui illam primo, et diligenter explorarent; quorum inspectione innotuit corpus laevigatum, crassumque ad instar polypi ex uteri orificio pendere.

Indicato ad operationem die circumspecte denuo matricem tangendo corporis hujus radix latior, et consistentia durior apparuit, quam quae gregalibus polypis convenit. Polypum tamen esse veluti carneum omnes consentiebant, et qui aegre torsione, aut volsella tolli potuisset, recidendum esse existimarunt, quod non uno forficum ictu factum fuit absque ulla sanguinis stilla. Os uteri hians permansit.

Polypus recisus ad fusi foeminei formam redactus, durissimus erat, tunica valida, fibrosa convestitus. Per longitudinem sectus exhibuit sinum praeter gelatinam quamdam flavam, albissima et firma membranula obductum. Utrique membranae interjacebat cellularis substantia densior, non laceranda, carneis fibris, et vasis sanguineis carens, uteri sani parenchymati admodum similis.

Primo die, et sequenti rarus singultus, vomitio incipiens, et levis abdominis dolor adfuit. Tertio die dolentibus lumbis, albo fluore madida lachanizans obiit sub vesperam.

Defunctae corpus haec obtulit: sanguiferum systema exangue, musculos admodum pallidos, intestina diaphana, stomachum corrugatum. Uteri corpus excisum erat, utpote quod intra ipsum uteri cavum inversum per ejus orificium sub polypi forma compressum et protrusum observatum fuerat. Itaque segmenti inferioris uteri portio cum ejus cervice duntaxat conspicienda supererat.

Art. X.

Ruptio uteri.

Inter aegritudines, quae matricem obruunt, omnium pessima est ejusdem laceratio in partu, vel ante partum, quae ut plurimum infra tubarum insertionem observata fuit, et in dextero cervicis latere potius, quam in sinistro contingere, scissamque simul superiorem, quae illi adhaeret, vaginam authores prodidere. Quo autem latior est scissura, quo copiosior in abdomine sanguinis effusio, eo majus instat vitae periculum. Porro foetus, qui ab utero contracto expellitur in abdomen, praecedit plerumque capite, totumque corpus cum secundis subsequitur viam legens parabolicam, variamque subit positionem, modo in alterutro latere se sistens, modo anterius prolabens, vel transversim sub ventriculo cubans. Interdum tamen uteri parietem quasi pertundens pedibus praeit, et vel totus ex utero labitur foetus, vel ob brachiorum, et capitis impedimenta in vulnere suspensus haeret. Si matrix post lacerationem promptius constringitur, aliquot sanguinis stillae e genitalibus promanant, neque gravis in abdominis cavea fit effusio. Observatum est matricem disrumpi plerumque, ubi paries ejus infirmior est, idemque minori contractionis vi praeditus: scilicet, qui medio loco positus sit inter vires uteri impellentes, et inter oppositum ossium pubis renixum; ibique non raro gangraenae vestigia animadversa sunt. Sic Van Doeveren (1) ruptionem vidit in regione uteri *inferiori atque anteriore respondens parti laterali superiori, posteriorique ossis pubis sinistri, indeque dextrorsum, parumque sursum juxta pubem tendebat,* quae, quamvis uterus esset constrictus, fere quatuor pollices longa erat. Margines ipsius laceri, inflammati, locis gangraenosis corrupti cernebantur.

Quando praesentibus parturiendi doloribus, vel iisdem praegressis nulla oris uteri mutatio percipitur, neque hiat; si foetus in altiori, vel laterali magis abdominis parte situs est; si aliae foetus partes praeter caput, ut vulgo solet, percipiantur, idque repente tangenti digito subducatur, suspicandum est, uterum disrupturum fore. Quamvis enim uterus carneis fibris sit protectus, tamen ubi eae parciores sunt viribus impellentibus, obsequitur. Stratum exterius fibrarum carnearum a segmento uteri superiori ad teretia ligamenta descendit, quae ejusdem musculi veluti tendines repraesentant juxta Carolum Bell. Ex utroque uteri latere fibrae partim in circulum ducuntur, partim in longitudinem porriguntur praecipue in regione inferiori. In interiori superficie strata concentrica bina tubarum orificia circumdant, e quibus aliae fibrae carneae ad uteri ostium descendunt. Hoc vero ostium caret fibris circularibus, quod duntaxat fibris rectis praeditum est, a basi uteri defluenti-

(1) Specimen Obs. Acad. cap. VIII.

bus. Horum stratorum officium est, vasorum sanguineorum oscula constringere, ne in partus laboribus sanguis nimius effundatur. Dum uteri fundus contrahitur, inferior pars dehiscit, unde origo illius haemorrhagiae, quae a placenta circa os uteri infixa, et quovis partus dolore dirempta, producitur. Haec matricis infima regio attenuatur, quando se pandit, dum superior contracta condensatur, quae res ad lacerationem disponit inferiorem uteri regionem. Post Ruyschium Morgagnus, Azzoguidi, egomet ipse et alii viderunt fibras carneas disjectas in exteriori superficie impraegnati uteri, quas Hallerus (1) rubras, latas, laminatas, numerosissimas esse abs se visas scribit. Illae vix poterant in ordinem reduci, quarum aliae descendebant ad ostium uteri, alae transversae uterum ambibant, et hae prioribus numero et mole majores varia directione illis superponebantur.

Quamprimum uterus crepuit post diros dolores, hi momento citius extinguntur; mulier expallescit; eructat subnigra; anxie respirat; linquitur animo et viribus, et intra non multas horas a vita recedit. Multa sunt, quae foeminam ad hanc perniciem ducere possunt: pravus foetus situs, et tenuitas substantiae uterinae (2); nimia matricis extensio, et pharmaca fortiora expellendo foetui dicata; obstacula in uteri orificio existentia vel carnea, vel schyrrosa, vel cicatrices antiquae; foetuum male collocatorum conversio, et nimius parturientis labor (3); matricis conformatio non naturalis; foetus magnitudo, et praematurus aquarum effluxus (4); accedunt casus, ictus, vulnera, et quidquid sugillando, contundendo ita laedit matricis texturam, ut pristinam retinendi, et resistendi facultatem amittat.

Juvat hic aliquas lacerati uteri historias subtexere, ut quantis paritudo periculis sit obnoxia discernatur.

Ruptio ab obliquitate.

Johannes Jacobus Shüller dissertationem habuit *De rupto in partu utero ab ejus obliquitate* (5), cujus tres classes constituit: prima in qua axon ipsius *longitudinalis* pelvis capacitatem respicit; totumque orificium in eamdem protensum est. Altera sistit obliquitatem, in qua dictus axis margini supremo ostii pelvis obversus est, ac orificium dimidiam tantum suae molis partem sive hoc, sive illud labium in pelvis ostium praetensam tangenti digito offert. In tertia denique classe axis uteri educitur supra marginem ostii pelvis supremi, ita ut orificium totum abscondatur a dicto margine, digitumque tangentem, obstetricantis etiam peritissimi vaginae immissum sursumque trusum effugiat.

---

(1) Opuscula Pathol. obs. 46.
(2) Stalpart. obs. cent. II, 30. — La Motte, Accouch. liv. IV, obs. 313.
(3) Guillmeau, Mém. de l'Acad. Roy. de Chirur. tom. II, p, 320.
(4) Hildan, Obs. chir. cent. I, cent. IV. — Dionis, Operat. chir. demonst. II. — Mauriceau, Obs. 251.
(5) Haller, Disput. Chir., tom. III, n. 83.

In prima classe foetus solius naturae beneficio in lucem prodeunt non tamen absque aliqua difficultate. In secunda classe occurrunt impedimenta difficillimi partus ope tantum obstetricantis superanda. In tertia classe obliquitatum uteri facile quivis colliget, foetum eamdem cum sinu uteri axi directionem servantem, et cum maxima sui capitis parte in ipsum uteri oppositum parietem arietantem, eidem rupturam minari. Ad confirmandam hanc propositionem atrox exponit exemplum a cl. Friedio acceptum.

Anno 1741 foemina jam difficillimum partum passa, nunc secundo gravida, spuriis, acerbissimisque doloribus adoritur in transversum ostium pubis decurrentibus, quibus adjuncta erat sitis ingens, pulsus magnus, durus, celer, horripilatio, vomitus, deliquium, et sine convulsione placida mors ingruit.

Disecto abdomine prodiit statim magna liquidi sanguinolenti copia singularem odorem spargens, cui liquido innatabat foetus. Capitis dimidia pars abscondebatur ab utero inferius, et sinistrorsum supra marginem ossium pubis rupto; reliquum foetus corpus per id vulnus ex utero ejectum, uteri externam et anteriorem faciem obtegebat. Placenta vero ex utero per vulnus egressa ab omni cum utero nexu libera fuit. Fundi et laterum uteri crassities insignis erat, ad locum vero rupturae adeo tenuis, ut vix unam alteramve lineam aequaret. Orificium vero crassum adeo, ut substantiae carneo-cartilagineae esse videretur.

Hanc historiam in multis mancam esse fatendum est; nam exploratio, ut videtur, neglecta fuit; proinde nihil de ostii uterini conditione, neque de uteri et foetus situ relatum fuit. Imo suspicandum est os uteri jam in primo partu vitiatum fuisse, hocque vitium, spretis chirurgicis auxiliis, lethalem partum accivisse.

Ruptio a pelvis angustia.

Mulier ad vigesimum annum pertingens, secundum uterum gerens, postremo graviditatis mense nullam foetus volutationem, sed insignem circa ossa pubis dolorem percepit (1). Cum ad proximum partum omnia essent disposita, nec nisi conjugata diameter solito arctior esset, sub valido dolore succussionem singularem in latere dextro, et omnigenam in utero *revolutionem* experta a doloribus uteri fuit liberata. Pauxillum sanguinis e vagina stillavit; caput foetus disparuit. Obstetrix, rite collocata foemina, intromisit manum, pedemque cum brachio obviam habuit. Arrepto igitur pede corpus quidem facile, caput vero nonnisi cum maxima difficultate eduxit. Interim puerpera obstructo utero et alvo, anxia, perfrigida, sine pulsu obiit.

Plurimum sanguinis in abdomine fuit; uteri fundus contractus; laceratio ampla conspiciebatur in cervicis uteri et vaginae latere dextro. Eadem cervix qua pubis ossa respicit, fere nigra, corrupta.

---

(1) Collectanea Soc. Med. Hav., vol. II, art. 30, Johannis Helm.

Ruptio a perverso foetus positu.

Primipara trigesimum sextum aetatis annum agebat scribente Joan Philippo Rogert (1) dum post aquarum effluxum eidem supervenerunt singultus, et vomitio. Quamobrem vena bis secta fuit, et clysmata injecta. Die quarta laborum ob pravum capitis situm versio infantis fuit suscepta non sine magno molimine. Inducta in uterum manu ut placentam educeret obstetrix, percepit se loco uteri in abdominis cavum penetrasse, manumque cum multo sanguine coagulato reduxit.

Tribus post partum horis feralia sympthomata obruerunt puerperam, eamque intra triginta dies letho dederunt, licet interea medicus vires omnes intendisset, ut foeminam servaret. Uterus contractus gangraenosus in parva pelvi latebat. Ejus orificium externum, et collum, et vagina ad duos latos pollices discissa, quae scissura in dextro latere cum abdominis cavo et vaginae communicabat.

Ruptio a nisu.

Mathias Saxtorph historiam uteri sub graviditate rupti communicat (2). Mulier sexto mense gravida, et findendis lignis occupata, gravius ligni frustum in alium locum transferre conabatur, dum acerbissimum in regione lumbari dolorem persentit non secus ac si viscera sibi dilacerarentur, atque ejulans, semianimis in terram cadit. Mox praeter animi deliquium sanguis copiose e genitalibus fluebat. Quamobrem per quatuordecim dies lecto commissa denuo negotia sua aggredi tentabat non sine ingenti molestia, nec sine gravi metrorrhagia per sex hebdomadas recrudescente. In hoc statu mulier perfrigefacta, pallida, pulsu deficiente in Nosocomium illata est, ubi obstetrix semiputrem foetum sine sanguinis jactura, et placentam jam solutam extraxit. Uterus vero collapsus nullo stimulo in contractionem cieri potuit. Venter intumuit, et sub atrocissimis per universum corpus doloribus duobus a partu horis e vita decessit. Abdominis cavea aqua foetida sanguinolenta repleta fuit. Uterus inflammatus, et paries posterior a fundo ad collum magno hiatu disruptus inventus est.

Ruptio a foetu putrido.

Etsi quaeri possit an a gangraena substantiae matricis, vel a putredine foetus matrici communicata, an a perversis obstetricis moliminibus disruptus fuerit uterus; historia tamen a Stalpartio (3) literis consignata eo memora-

---

(1) Collectio Soc. Med. Hav., vol. II, art. 36.
(2) Acta R. Soc. Med. Hav., vol. I, n. 34.
(3) Obs. cent. I, 66.

bilior est, quod Solingium operatorem habuit. Is itaque Corneiius Solingius foetum mortuum eduxit, et post aliquot dies etiam secundas educere satagebat, immissaque manu in vaginam intestina prius quam placentam deprehendit, quam tandem tribus locis in abdomine propendentem invenit extra uterum, eumque compactum, atque in se contractum comperit. Verum separatis secundis mulier eodem die vivere desiit. Postridie dissecto abdomine praeter foetentem flatum parum coagulati sanguinis defluxit. Pars uteri inferior paulo supra os internum, qua peritonaeum cum utero rectum intestinum cingit, rupta inventa est, per quam scissuram foetus exceptis capite et brachiis in ventris cavum transierat.

Ruptio a cervicis uteri rigiditate.

Dissecta aurificis uxore ex partu mortua animadvertit Guilielmus Fabricius Hildanus (1) matricem erumpente infante laceratam, ejusque caput in laevam ventris capacitatem dimissum fuisse. Ejusdem porro matricis pars nervosa circa infantis collum contracta eundem procul dubio suffocavit. Haec foemina trigesimum septimum agebat annum, nec unquam uterum gestaverat; propterea angustissimi oris matrix ejus fuerat, uti a matronis, quae parturienti adfuerant, relatum fuit; magnusque foetus per viam angustam erumpere nequivit. Verum non tam ab angustia viarum uterus dilaceratus fuisse videtur, quam a potione validissima ab Matrona quadam parienti exhibita ad foetum expellendum, quae potio dolores et conatus exacerbando sic foetum commovit, ut petens exitum cum impetu per strictas vias uterum dilaceraverit.

Ruptio a casu.

Octo liberorum mater, caeteroquin sana quadragesimo quarto aetatis anno nonum uterum gestabat, dum ex improviso in dorsum decidens complures scalae gradus praeterlabitur. Illico vivi foetus motus supprimuntur. Elapsis octo diebus parturiendi dolores ingruunt, iique in dies vehementiores; donec quarta die ruptis foetus involucris aquae foetidae, viscosae eruperunt. Post vehementiores puerperae nisus sonus crepantis visceris ab adstantibus percipitur; dextra erumpit manus, subnigra, vesiculis sero putrido turgidis obsessa, nihilque amplius efficere potest pariens, neque obstetrix ad foetum excipiendum.

Advocatus Poliater Altorfinus cognovit foetum mortuum et putridum esse; puerperae abdomen multum elevatum; atroces in latere dextro, ed in sinistro pede dolores mulierem affligere fere sine intermissione. Cum jam de foetus extractione cogitandum esset, nec caput, nec brachium, nec pedes

---

(1) Obs. Chir. cent. I, obs. 84.

tactu percipere liceret, quia totum foetus corpus ab utero perstringebatur; sed infantis collum per hiatum quemdam in utero dextrorsum exire cognoscebatur. Defuncta per haec tormenta muliere, altera die sectio ejusdem cadaveris instituta fuit.

Uteri fundus integer ex atro rubens, maculis putridis conspersus. In ejus dextro latere supra ligamentum latum hiatus amplus conspiciebatur, per quem caput foetus pilosum, et brachium sinistrum exserebantur. Laciniae ruptionis tenues, et discerptae extiterant. Superficies interna uteri tota corrupta (1).

Ruptio a pelvi vitiata.

Non infrequens est ob pelvim vitiatam uteri laceratio; nam praeter historiam a Johanne Helm conscriptam, Doctor Locher Tigurinus aliam exhibet (2). Mulier paritura postquam ob validos dolores pauxillum sanguinis e vulva stillaverat, atque os uteri, et foetus caput ab explorantis manu recedebant, Auctor uterum dilaceratum esse animadvertit. Postridie abdomen secuit, multum sanguinis concreti in utero, foetum mortuum cum secundis reperit, quibus extractis, uterus sponte constrictus est. Haec operatio 23 maij anno 1818 peracta fuit, et mulier inter aegritudines, quae variae supervenerunt, succubuit die 8 julii. Uterus constrictus hiatum ostendebat in anteriori ejus superficie marginibus callosis circumdatum nuclei amygdalini magnitudine: os sacrum transversim ad posteriora reclinatum: pubis ossa, et femorum rachitidis inditia manifestabant.

Mulier quintum lustrum emensa, boni habitus, pelvi deformata partus labore corripiebatur noctu diei 20 februarii anni 1778. Postquam amnii aquae defluxerunt, tunc primum uteri orificium laxari coepit, et funiculus umbilicalis, et foetus caput simul sese obtulerunt, quod postremum versus concavam ossis ilii dextri superficiem declinaverat, dum corpus infantis oblique sursum ad sinistri hypochondrii sedem dirigebatur; arcus pubis depressus, et crura ejusdem transversa ad angulum valde obtusum conveniebant; ita ut minor pelvis diameter transversus vix trium latorum digitorum capax esset. Vir obstetrix existimans foetus caput vel removeri ab ea sede, vel promoveri posse, nullum parturienti officium praestitit nisi sub vesperam diei 21 februarii. Tunc frustra vectem, et crus forcipis intromittere tentavit, tam arcta erat pelvis diameter. Frustra etiam quaesivit foetus pedes, utpote nimium remoti, et pelvis angustiae difficulter a manu superabantur. Id tamen pertentando obtinuit, ut valido laqueo inferiorem maxillam interciperet, qui post longum renixum disruptus est, quin caput ab eo loco dimoveri posset.

Interea dum consilia conferebantur denuo sanguis missus est, et opium

(1) Joh. Friderich Behling in Haller, Disput. Chir. tom. III, n. 82.
(2) Annali Universali di Medicina, vol. XXVIII.

intus propinatum; sed continuo opium rejectum fuit, et potiones quae illi subinde porrigebantur. Jamque vultus pallidior et flaccidior intuentibus videbatur, et post aliquot horas ejulatum edidit longe prioribus vehementiorem, quo admoniti obstetricans, et adstantes accurrerunt existimantes foetum ad vulvae ostium descendisse. Verum nil horum acciderat, et mulier significabat, se incredibili dolore torqueri in ossis ilii dextri regione, ubi foetus caput impactum erat. Perseverante cruciatu, pulsus deprimitur, pallor, frigidus sudor, imbecillitas foeminam prosternunt. In hoc statu matricis osculum exploratur, foetus caput ab eo recessisse comperitur, aliquot sanguinis grumi e vulva educuntur. Deplorabilis haec mulieris conditio virum obstetricem certiorem fecit uterum esse laceratum, et sane post quinque horarum languorem vivere desiit paritura.

Inciso abdomine illico in conspectum venit foetus in ejus cavea situs ita, ut caput sub hypochondrio sinistro, truncus sub epigastrio, brachium dextrum super intestina extensum jaceret. Quapropter funiculus umbilicalis dexterius ab uteri lacerato vulnere proficiscens, et ab iliaca regione arcum coli dextrum percurrens, curva linea sinistrorsum ad umbilicum perveniebat. Matrix sine inflammationis notis magnam partem contracta observabatur, atque in dextra cervicis regione lacerata una cum peritonaeo, quod eidem parti adjacet, ubi foetus sibi viam aperuit inter originem funiculi vascularis, et latum ejusdem lateris ligamentum. Placenta fere tota ex utero expressa erat praeter marginis portionem, qui interius prope dextrae tubae orificium inhaerebat, atque uteri hiatum obstruebat. Membranae juxta ejusdem placentae marginem ruptae visae sunt. Sanguis effusus nullibi fuit praeter grumos aliquot, et lympham sanguineam, quae aperto abdomine profluxit.

Scissura uteri superiorem vaginae partem comprehendens octo transversos pollices longa erat, quorum unus ad vaginam pertinebat. Peritonaeum, quod musculum iliacum dextrum convestit, utpote a foetus capite diutius compressum nigredinem contraxerat, atque vestigium semicirculare capitis servabat. Musculi qui subtus stabant videbantur illaesi.

Dimensiones pelvis ita sumptae fuerunt:

Diameter transversa a pubis symphysi ad os sacrum poll. 2.
Ab ossis ilii tubere, aut linea innominata ad oppositum latus poll. 4, lin. 9.
Ab unione ossis ilii dextri cum sacro osse ad crus superius pubis sinistrum poll. 2, lin. 8.

Ea propter manifestum est, quod orificium pelvis amplius erat dextrorsum quam ab laeva, ubi crus pubis transversum magis ad os ilium accedebat; quo factum est, ut foetus caput versus ilii dextri sinum impelleretur. In hac pelvi ilii ossium mobilitas patens erat, ob laxatam cum sacro osse synchondrosim; liquata enim cartilagine, ossa ligamentorum duntaxat ope committebantur, sic ut alterum super alterum excurreret.

Ruptio a tonitru.

Spectatissima matrona constitutionis obesae decimum attingens primae graviditatis mensem media nocte diei 17 augusti 1790 parturiendi doloribus fuit correpta, iisque, quam assolent, vehementioribus, quemadmodum relatum fuit. Nox illa procellosa erat, tonabat crebro, et vehementer, cum a fragoso tonitru exterrita vim sibi quamdam inferri in utero sensit. Sub id tempus aquae amnii cum pauco sanguine paulatim effluxerunt; veri partus dolores quieverunt, mulier evomuit cruda, variata. Ideo vena secta fuit; sanguis crassior, et corio tectus membraneo. Hora sexta matutina diei 18 a viro obstetrice accersitus inveni praegnantem sudore perfusam, cum spirandi difficultate et anxietate, atque fere erecta lecto insidens ob spiritus gravitatem de insolito stomachi dolore conquerebatur, simulque rogabat, ut quam primum a foetu, quem gestabat, exoneraretur. Non febris, nec calor, nec expellentes conatus, nec sanguinis profluvium aderant, sed pulsus exilis, mollisque cum notatis signis tristia portendebat, eoque magis quod foetus motiones nec a matre nec a nobis perceptae fuerunt. Obstetrix tamen, ut petenti matronae non deficeret, exploraturus uterum invenit ejus ostium sic ampliatum, ut tangendo foetus caput supra sinum ossis ilii dextri impactum deprehenderet. Quapropter versio foetus ab eodem tentata est, sed frustra, quia manum sibi nimiopere ab utero constriugi ajebat.

Cum res in augusto, et irrita essent tentamenta consilium petitum est ab expertissimo et emerito chirurgo, qui versionem per pedes, sed a postica parte inchoandam, suasit. Verum dum haec agitabantur, vires praegnantis collabebantur, artus frigescebant, sudores item frigidi prorumpebant; tum livere labia, et oculorum circuli; spiritum celeriorem et angustiorem fieri, expallere vultum; pulsum deficere, et mortem ingruere nobis adstantibus hora undecima ante meridiem commiserantes vidimus. Caput foetus, quod a matricis nisu contra sinum dextrum ossis ilium propulsum fuerat, cervicem, uterique imam partem laceravit, et in abdominis cavum penetravit. Per eam uteri peritonaeique scissuram ingens sanguinis copia in abdominis cavea effusa erat. Coecum intestinum valde contusum, rubensque; ilii intestini postremi gyri inflammati conspiciebantur.

Ruptio a tenuitate visceris.

Matrona insubrica, procera, pallida, incessu languida, cujus brevem historiam recolo, quia in Schedis adnotatam non reperio, absoluto primo partu, qui felix, uti reliqui, fuit, atque in puerperio adhuc constituta, de quadam molestia in inguine dextro verba faciens suspicabatur se herniam gestare. Ea regione inspecta nil laesi observatum fuit. Post alteram graviditatem usque ad sextam idem ingratus sensus, qui etiam in dolorem convertebatur post puerperium subinde lacessens, permanserat. Quae res cum uxoris aeque ac

mariti animum agitaret; nam nulla alia aegritudo graviditatis, et puerperii statum turbaverat, neque profluviis mulier erat obnoxia, nisi quod toto corpore lassitudinem sentiebat, quamvis caeterum sospes esset. Obstetrix vir advocatus est, qui sedem doloris recogniturus inguen primum exploravit, dein vaginam, uterumque, ubi omnia recta se habere comprehendit. Denuo praegnans facta foetum ad maturitatem perduxit. Adventante partus labore consuetam obstetricem advocat, labor augetur; dehiscit os uteri, caput infantis tangitur ab obstetrice celerem partum praenunciante. Et ecce ingens irrumpit dolor cum ejulatu, guttae aliquot sanguinis e vulva prodeunt; obstetrix manus admovet quasi caput amplexatura, quod non sine stupore occultatum, et reconditum esse, uteri osculum vero jam jam constringi animadvertit. Sub haec parturiens anxia, a foetu viscera comprimente anhelans, et graviorem spiritum ducens, pulsatione imminuta a matutina hora ad meridiem vitam finivit.

Inspectio cadaveris non eo, quo solet, ordine fieri potuit, in matronali enim domo passim objiciuntur difficultates, quapropter dissectio praeceps fuit. Illud tamen assequi potuimus, dexterum uteris latus paulo supra cervicem fuisse attenuatum, atque a successiva matricis repletione laxatum, effractumque. Plagae, congestiones longe aberant, aliaeve causae, quae uteri texturam laedere potuissent. Culpabimur fortasse a multis, quod in hisce foeminis hysterotomotociam non instituerimus: quibus respondemus, nos existimare, foetum, quamprimum in abdominis caveam irruerit, jam interiisse; tum vulnera duplicata lethalitatem augere, praecipue ubi variatis moliminibus ad finem assequendum opus est; denique quia nulla foemina evasit, cui in hac urbe etiam a peritissimis Magistris hysterotomia celebrata fuit (1); et quia pleraeque sanationes sectarum mulierum a scriptoribus memoratae ab aliis artis peritis in dubium revocatae fuerunt.

Ruptio a fungosa structura, a schirro.

Causa insuperabilis esset solet, quae uteri lacerationem promovet, subitaeque exinde puerperarum mortes saepe integras familias luctu replent et lachrymis, ut sapienter pronunciavit Hallerus (2). Illustris vir undecim uteros laceratos in Theatro anatomico secuit. In primo laceratio fuit in ejus cervice et peritonaeo ab uteri schirro producta. In altera muliere a carne spongiosa oris uterini, quae dissoluta in multas tenues *araneosas* membranulas abierat. Tertia ab assumpto drastico medicamento perierat, in qua vagina uteri rupta fuit, et ostium matricis late patens, quasi lacerum et tenue apparebat. In duobus aliis uteris cervicem laceratam conspexit, quod malum ad obliquum foetus situm referri

---

(1) Excepta pumilone, quae mense septembri anni 1824 caeso utero in hospitio Cateriniano praeter spem convaluit.

(2) Opuscola Pathologica Aucta, obs. 46.

debere censuit. Quae Halleri, Mulleri, aliorumque conjectura, quod utero obliquato, vel foetu, perrumpatur cervix, non firmo inniti videtur fundamento. Mirabatur certe Morgagnus (1) quod cum veteres Medici de uteri obliquitate dignoscenda et curanda solliciti fuerint; postremi medici usque ad Deventrium fere neglexerint, cui tot mala tribuerunt. Sed res pene credibilis est, quod obliquata matrix, quae tardiorem, non difficiliorem partum efficere potest, huic infortunio subjiciatur. Nam si anterior, vel posterior sit obliquitas matricis, ea quomodo corrigenda sit, mutato parturientis situ, passim docent viri obstetrices. Si vero ad alterutrum latus obliquatur uterus, tunc in eam partem in quam inclinat os uteri, evolvatur foetus necesse est. Nam, nisi pelvis amplissima sit, foetus caput diametrum pelvis obliquam legit, dum e superiori pelvi in inferiorem descendit, indeque per quamdam conversionem ad modum spirae in parvam pelvim pervenit. Proinde suspicor vehementer, quod obstetrices medici, qui uterum obliquum culparunt, vel uterini osculi positum, et figuram non perquisiverint, vel quod obliquitatem ab alio perverso matricis situ non discriminaverint, qui situs ab ipso ortu, vel declinatio a recta sede esse potest, dum alterutrius vinculi brevitas matricem in latus abducit, aut utriusque, lati scilicet, et teretis imminuta longitudo in idem latus matricem trahit (2). Alius autem perversus positus ille est, cum viscus generationis ante, vel retro vertitur, sepimentum quodammodo faciens inter superiorem pelvim, et inferiorem. Singularis haec inclusio jam veteribus nota, non ea, qua oporteret, diligentia ab obstetricibus pertractata fuit.

Uterum in partu licet ruptum sanationem tamen interdum admittere ex Johnstoni et aliorum observationibus constare videtur, praesertim si uterus paulatim, et sine larga haemorrhagia subsequente perforetur; si ruptio recens, nec adeo sit ampla; si foetus quantocius extrahatur, et cruor exitum cum lochiis inveniat. Si matrix sese contrahendo hiatum rupturae simul claudat; si matris vires adhuc salvae existant, nec matrix gangraena, aut alio morbo afflicta sit; tunc spes est puerperam idoneae curationis beneficio servari posse. Porro istiusmodi sanationes vel naturae, vel artis subsidio obtineri possunt. Etsi impossibile non sit, ut mater interdum periculis omnibus sese subtrahat; tamen fidem superare videntur historiae, quas Marcellus Donatus (3) aliique proferunt de foetibus ex perrupto utero in ventrem illapsis salva matre, qui deinde vel inaruerunt, vel eorum ossicula putrefactis carnibus per totidem abscessus ex abdomine rejecta sunt. Perpaucae sunt foeminae, quae artis ope servari potuerunt. Ita legimus Londini (4) a Douglassio foetum, qui per uteri ruptionem in abdomen transierat, manu fuisse

---

(1) De Sed. et Caus. morb. Ep. XLVIII, 31.
(2) L. cit. n. 32, 33.
(3) De Medica Historia, lib. IV, cap. 32.
(4) Journal de Méd., Chir. et Pharmacie, tom. LXVI, p. 348.

extractum solitas partus vias legendo. Mulier, quae huic operationi supervixit, ad trigesimum annum accedebat, quartumque uterum ferebat. Mox perfracto utero Douglassius eductionem molitus est, potuitque recognoscere transversam lacerationem in pariete anteriori, inferiorique uteri. Ex quo casu statuit non semper lethalem esse matricis ruptionem; periculum necis in irritabilitate matricis, et laesione viscerum esse ponendum; partum per pedes promotum unicum esse auxilium servandae matri maxime opportunum. Faustum hujus rei eventum ex eo conjicimus fuisse, quod non totus foetus elapsus sit, pedibus in matricis cavo adhuc haerentibus, unde obstetricis manibus facilius occurrerunt, tum quod corpus foetus inter uterum et vesicam urinae medium, reliqua abdominis viscera non labefactaverit.

Aliud sanatae matricis vulneratae exemplum habetur in ephemeridibus gallicis (1). Mulieri triginta trium annorum infirmae constitutionis uteri fundus transversim scinditur, et foetus qui fuit quartus, cum membranis in abdominis caveam protruditur. Post duodecim horas gastrotomia in linea alba instituta est duobus sub umbilico latis digitis. Sutura cruenta sex hebdomadum spatio sanata fuit. Postea abscessus sub umbilico natus et sponte ruptus foeminam restituit.

Si uteri corpus vulneratum restitui potest, eo magis speranda est sanatio, si matricis inferius segmentum offenditur, tum quia peritonaeum non frangitur, tum quia sanguis, aliaeve sordes per naturales vias expurgantur. Sic casus particulae uteri in partu diremptae describitur a P. Scott (2). Primipara annorum triginta sex per complures horas a partus laboribus agitata, repente uterum sibi disrumpi percepit, quo facto dolor evanuit, et continuo sanguinis ex utero fluxus, sincope, vomitus subniger, frigidus sudor cum pulsu languente foeminam corripuerunt. Demissa in uteri cavum manu, obstetrix Scott inter sanguinis grumos arripuit uteri fragmentum, quod ejus ostium comprehendebat ab irregulari cervice circumdatum. Expleto partu, eductoque aliquoties per catheterem lotio abdomen intumuit cum febri, alvique siccitate. Mulier tamen superatis gravibus sympthomatibus demum convaluit, cui solum levis uteri descensus molestus erat, et menstruae purgationes stato tempore recurrebant.

Majoris momenti fuit scissura matricis inferioris a cl. professore Novariensi Francisco Fasolio observata (3). Mulieri agresti in provincia Novariensi jam a prima pubertate deprimebatur uterus, praecipue dum menstrua fluebant. Viro vix juncta concepit, uterusque in mediam vaginam delapsus conceptum perdidit. Denuo praegnans facta in domesticis et campestribus negotiis obeundis cautior foetum ad maturitatem gestavit. Instante partu dolores languidi et tardi fuerunt; hinc labor protractus fuit, et mulier, ut se expediret,

---

(1) Journal Complementaire, tom. V, p. 189.
(2) Transactiones Soc. Med. Chir., vol. XI, part. II.
(3) Osservazioni sulle principali malattie delle donne. Vigevano, 1811.

multum molita uterum in vaginam depulit, ubi partus perficiebatur. Obstetrix reposuit uterum, et mulier ab infelici licet puerperio convaluit. Idem fere accidit in tertio partu: quartum gravida abortavit; quinta graviditas pessime absolvebatur. Etenim postquam partus maturavit, primos dolores adjuvans mulier, praecocius amnii aquas exclusit antequam uteri ostium satis hiaret, quapropter matrix deorsum inter femina propulsa fuit. Tunc dolores recesserunt, neque parturae conatus in uterum directi quidquam valuerunt. Quae res pariendi laborem quindecim horarum spatio interrupit, atque diutius retardatus fuisset, nisi ischuria supervenisset. Tunc accersito chirurgo urina licet difficulter educta fuit, idemque chirurgus foetum absque mora educendum esse significavit, quam propositionem pertinaciter detrectarunt obstetrix, et consanguinei formidantes parturae interitum.

Ita evenit, ut cunctando uterus succenderetur; parturiens obstetricia praesidia respuebat; partus remorabatur. Itaque missus est sanguis; matrix prolapsa emollientibus fota; mulier tamen praefocatione, et praecordiorum palpitatione angustata sudoribus tota diffluebat. Proinde medicus potionem cardiacam, instaurantem praecepit, qua concitatus uterus, nam matris vires agere desierant, proprias vires collegit, et foetum violenter expulit. Uterus cum triginta horarum spatio aëri expositus fuisset, et manuum ac linteorum affrictu, valide incendebatur, amissaque naturali mollitie, et elasticitate, eam contraxerat duritiem, rigiditatem, tensionemque, ut, dum foetus caput transiret, totum ejus segmentum sinistrorsum ab orificio ad fundum, qui fundus a vulvae labiis circumplectebatur, penitus dilaceraretur. Momento temporis fluctus sanguinis lectum contegunt; foetus cruento latici immersus abruptis vagitibus genitricis fatum deplorat. Chirurgus, qui adfuerat, vehementer primum hoc spectaculo consternatus, revocato animo secundas facile detraxit, et matricem frigida abluit. Dum sic puerpera fere exanimis jacebat, chirurgus post multas lavationes, ut sanguinem cohiberet, vulneris oras sic, ut licuit, commisit, viscusque in sedem propriam compulit, in eaque amplo pessario continuit.

Postquam puerpera pulsibus deficientibus, et inaequalibus resipuit, sorbitio data est ex ovi vitello et vino, deinde chamomillae infusio cum elyxire acido. Femoribus, pubique gelidus fotus superdatus est, et jusculis per noctem refecta mulier. Sanguis e vulva lente admodum stillabat. Altera a partu die fluentibus moderate lochiis febris cum horrore invasit. Tunc uberibus flaccidis, abdomine inflato et dolente, refrigeratis cruribus, pulsu minuto, intermittente, cute arida, deliravit puerpera. Cum jam immineret metritis calide fovebatur abdomen, et rectum intestinum clysmatibus abluebatur, simul demulcentia intus propinabantur thebaicae tincturae associata. Sexto puerperii die sanies puriformis, foetida ex utero manavit cum remissione lethalium sympthomatum sic, ut non vana spes consanescendi adesset; nam servatis opportunis cautionibus ad sanitatem in dies progrediebatur. Lac post

duos menses primum ad ubera affluxit, scilicet postquam consolidato utero pus fluere desiit, cujus laticis copia nutriendae puellulae sufficiebat.

Cum haec scriberem, in manus venit volumen XXXIII Diarii Italici (1), in quo historiam rupti in partu uteri, et post gastrotomiam sanati protulit Eques Ludovicus Frank. Parmensis mulier annorum 44, quinquies jam pepererat, sextumque foetum usque ad nonum mensem gestavit sine taedio, cum nona augusti 1817 pariendi doloribus correpta, pedibusque insistens gravi leypothimia cum vomitu affecta fuit; quapropter in lectum quantocius reponebatur. Eodem momento quo lectum scandebat distentionem quamdam in abdomine percepit, sensumque veluti si gemellos intus haberet. Interea abdomen inflabatur, vomitus persistebat, respiratio intercludebatur. Accersitus Doctor obstetrix Rossi uteri ruptionem recognovit, consilioque cum ejus Patre, aliisque chirurgis inito, gastrotomiam celebrandam esse decreverunt. Haec a Doctore Cecconio celebrata fuit in sinistro hypogastrii latere, ubi foetus pedes prominebant, qui una cum secundis semivivus extractus fuit, quamvis sectio duabus solummodo a ruptione horis fuerit peracta. Mulier quadragesimo ab operatione die domo excessit persanata. Menses lunares deinde apparuerunt, et triennio post septimestrem foetum feliciter edidit.

Hanc historiam eo lubentius hic repetere placuit, quia causam ruptionis uteri, uti in observatione mea superius allata, quodammodo confirmat. Cum enim utraque mulier multoties pepererit, verosimile est uterum, dum gestabat, non aequabiliter in singula periodo distentum fuisse, ut hinc crassior, illinc tenuior esset, proindeque aliquam visceris hujus regionem fuisse labefactatam, attenuatamque, ut fatisceret; item conatus ad parturiendum non in axim osculi uterini incidisse, sed declinando in partem debiliorem impetum fecisse, in qua collectis fibrarum uteri viribus laceratio nata est, quod plerumque ad alterutrum segmenti inferioris uteri latus accidit. Caeterum haec observatio una cum iis quae in lexico scientiarum medicinalium fuse et distincte explicantur, animum adjiciet chirurgis quamprimum gastrotomiam instituendi, ubi per uteri rimam foetus in abdominis cavum illapsus fuerit.

Ruptio vaginae, et cervicis uteri a gangraena.

Superioribus historiis adjungenda est, quae anno proxime elapso fuit habita. Pariendi dolores invaserunt Galactophori uxorem, quae octavum uterum gestabat die 30 junii 1825. Per noctem amnii aquae proruperunt, partus autem adeo pigre progrediebatur, ut calendis julii virum obstetricem non ignobilem maritus accersere opportunum duxerit. Hic explorato utero partum a naturali ordine non recedere affirmavit. Mulier autem inter pariendi labores irrequieta lectum identidem conscendens, et prosiliens toto corpore

---

(1) Annali universali di Medicina, vol. XXXIII, pag. 210.

exagitabatur. Demum evomens concidit animo; manibus, vultuque friguit; arteriarum ictus, et partus tormina, et nixus uno ictu defecerunt, et mulier veluti derelicta lectum resupinata tenuit. In hoc parientis statu advocatus hora secunda pomeridiana calendarum julii, praeter pulsum exilissimum, et extremitatum frigus, abdominis figuram immutatam observavi; nam dexterius paulo supra inguinis regionem artus quidam foetus digitis explorantibus occurrebat, et a sinistris venter subsidebat, ex vagina nil effluebat. Jamque mens mulieri redibat, ad interrogata respondebat, exiguis haustibus potabat.

Uterus, partesque ambientes sic erant constitutae, ut foetui exitum concedere liberrime possent, ejus enim caput ab omni angustia liberum in parvae pelvis ingressu haerebat; sed capillitium emollitum erat cum oedemate, bregmatis ossa confusa, quae foetus mortem annuntiabant. Qua re cognita, author fui, ut foetus ferramentis ad id idoneis educeretur, quod promptissime sine obstaculo, sine mulieris querela, sine sanguinis jactura factum fuit. Placenta jam ab utero laxata foetum protinus secuta est. Foetus autem jam pridem extinctus erat, quia praeter corporis laxitatem, funiculus attenuatus, varii coloris, et placenta fetalis ex luteo virescebat.

Priusquam lecto componeretur puerpera, denuo ab obstetrice explorata fuerunt genitalia interna, deprehenditque dextrorsum uteri cervicem, et summam vaginae partem fuisse laceratam, manusque obstetricis per eam rimam in cavum quoddam pervenit. Retracta manu, abdomen mulieris fotum est calidis, potusque gelidus eidem propinatus. Secunda die julii nox turbata fuit; abdomen intumuit; lochia non apparuerunt. Tertia, manus, pedesque frigescunt; pulsus vix percipitur; abdomen inflatum sine tensione, uterus contractus et compressus indolescit; lochia desunt; mammae vacuae flaccescunt; respiratio anxia, sitis modica; urina fluit, alvus dura; mulier tamen praesumit se fore superstitem. Quarta, singultus, abdomen tumet amplius, et dolet. Quinta, summo diluculo moritur.

Postridie defunctae abdomen valde tumefactum, et lividum erat; intestina multo aëre distenta. Hisce detractis, tria prominentia corpora sese obtulerunt. Scilicet vesica urinaria inflata, et prominens; corpus medium livore affectum; posterius uterus ex rubro pallidus. Corpus medium constituebatur ab illo septo, seu plica, quae vesicam ab utero dirimit. Haec sursum elevata conspiciebatur a sanguine tum fluido, tum contracto, qui partim stagnabat, partim in ejus cellulas sibi viam fecerat. Sub ea plica peritonaei vagina lacerata attenuatis parietibus observabatur. Praeter vaginam cervicis uteri dexterum latus ita apertum erat, ut integra manus per eam fissuram commode demitteretur. Corpus uteri quatuor transversos digitos latum, satis crassum, et ordinate contractum, grumos sanguineos haud paucos cotyledonibus adhaerentes ostendit. Circa tubam sinistram, et ejus laciniam multum atri sanguinis congestum erat, in abdominis cavo nihil; nam peritonaeum integrum conservabatur. Vesica urinaria ex fusco rubens, et turgescens manifesta corruptionis signa praebuit tam intus, quam extus, uti etiam vicinae partes;

nam propter aestum et foetorem ulterius non sumus investigationem prosecuti.

Jam si accuratius perpendamus phoenomena superius exposita, nempe quod bregmatis ossa excurrebant; quod caput foetus in pelvis corona impactum non erat; quod umbilici funiculus laxus, cinereus, non turgidus fuerit; quod secundae variati coloris a matrice jam diu solutae fuerant; quod priores tres a conjugio partus nonnisi instrumentorum obstetricis ope absoluti fuerunt; et quod tres partus, qui postea supervenerunt, naturae viribus enixi fuerint; et septimus foetus praemature prodierit; si haec, inquam, perpendimus, concludendum erit, quod gangraena internas partes corruperit, antequam partus instaret; quod uteri cervix et vagina ob instrumentorum iteratum usum, et ob iteratos partus nimis labefactata et extenuata fuerit, atque ita ad corruptionem praeparata; denique quod foetus ob corruptionem interioribus locis communicatam extinctus sit, antequam pariendi labor incoeperit.

Non absimile disruptionis vaginae exemplum protulit Johannes Philippus Rogert (1). Vegetae primiparae annorum triginta sex, per biduum infrequentibus doloribus agitatae amnii aquae effluxerunt. Decrescente dolore supervenerunt singultus, et vomituritiones alvo adstricta. Bis vena secta fuit, clysteres injecti, Laudanum Sydenhamii datum. Die quarto cum deprehenderetur infantis caput perverse situm esse, versio infantis summa cum molestia fuit suscepta. Dum placentam educere conaretur obstetrix, agnovit se manu in abdominis cavum penetrasse, sicco, et valde contracto utero. Interim puerpera diris vexata sympthomatibus a calendis februarii ad diem quartam maji labentibus viribus obiit.

Intestina, et omentum gangraena affecta; uterus item gangraenosus, et contractus in parva pelvi; orificii exterioris colli, et vaginae ambientis ruptio conspecta est in dextro latere duos pollices longa. Hic merito obstetricis imperitiam notat auctor, atque adhortatur ne praecipitanter nimis fiat infantis versio nondum diducto utero.

Ne quidquam desit eorum, quae nobis innotuerunt circa matricis lacerationem, praestat, ut animadversiones super ea re adjungamus Thomae Keever M. D. Dublinensis (2). Inter causas, quae praedisponunt ad lacerationem matricis, M. Keever notat, eam saepius accidere in infimae classis mulieribus. Inter 8600 praegnantes, quae triennii spatio in Xenodochio Dublini pepererunt, viginti earum uteri ruptionem passae sunt. Alteram causam ruptionis tribuit foetibus virilis sexus; nam auctoritate Doctoris Clarkii ductus, secum reputat masculi capitis circuitum medium esse pollicum XIV; et mediam periphaeriam capitis foeminei pollicum XIII, et quinque octantis. Nonnunquam periphaeria capitis virilis excedit pollices XIV cum dimidio.

(1) Collectanea Soc. Medicae Havniensis, vol. II, obs. 36.
(2) Annali Universali di Medicina, vol. XXXVI, 1825.

Utramque hanc causam adventitiam, et erroneam esse puto; constat enim ex plebecula mulieres promptius, et tutius oppidanis parere. Itaque si funesti hujusmodi casus incidant, accusanda potius est ignorantia, vel negligentia obstetricum, quae mulieres laborantes vel stando, vel fortius obnitendo parere cogunt, priusquam genitalia satis parata sint ad exitum foetui concedendum. Neque capitis amplior circuitus matrici vim inferre potest, quia sapientissimus Creator cuncta in ordine, et mensura constituit, ut una quaeque pars officio, quod a natura ei tributum est, fungatur. Atque experientia demonstrat matricem non offendi, dum impacto capite vel ob majorem diametrum, vel ob bregmatis duritiem rite forceps a perito obstetrice administratur.

Ex ulterioribus Keeveri observationibus liquet uterum lacerari a parte postica prope juncturam cum vagina; tum sinisterius transverso pollice supra uteri ostium; parietem item posteriorem vaginae laceratum vidit marginibus fimbriatis, gangraenosis; tum in anteriori parte cervicis uteri transverse positum ejus corpus; ampliter, et transverse fissum uterum a parte posteriori, qua cum corpore ultimae lumborum vertebrae os sacrum acutissimum angulum efficiebat; corpus uteri fere avulsum a vagina, ut vix per secamentum cum ea cohaereret; demum uteri fundum ab anteriori parte ad posteriorem laceratum conspexit.

Tristia haec phoenomena non aliunde orta fuisse reor, quam quod nullo artis subsidio laborantes mulieres fuerint sublevatae. Quamvis enim matrix laedi possit, praecipue si ossea pelvis graviter sit vitiata; id tamen raro contingit, ut frequentiam lacerationum, quas Auctor deflet, inopportuuo regimini accensere debeamus. In nostro Xenodochio vix unam, alteramve quadraginta annorum spatio interiisse vidimus ob ruptum uterum, quibus segnius, quam oportuit, opitulatum fuit. Frequentius mihi videtur cervicem uteri cum vaginae parte discissam fuisse repertam, et id per longitudinem si ad latera disrumpitur; si vero vel anterius laceratur, ubi contra pubem urgetur infimus uterus, vel retrorsum, ubi contra tuber primae ossis sacri vertebrae impellitur, tunc fissura in transversum fit non sine gangraenae vestigio.

Doctor Keever non dissimulat difficile esse statuere, cui causae mors debeatur, cum ruptus uterus interdum consanescat; et ex viginti mulieribus, quibus uterus ruptus fuit, duas naturae viribus sanatas fuisse refert Auctor. Non una autem causa mortem inferre potest, scilicet effusus sanguis viscera irritans, et inflammans; et foetus pressio in viscera abdominis; tum ataxia nervorum; nam angor, sincope, horripilatio, aliaque signa affectos esse nervos indicant.

Jam de curatione dicturus auctor hortatur, ut quamprimum extrahatur foetus, antequam in cavum ventris detrudatur. Quod si in ventris caveam compulsus sit foetus, sectionem caesaream instituendam esse omnes consentiunt obstetrices, non solum quia matricis cervix rigida, et dura dilatanti obste-

tricis manui non obsequitur, sed etiam, quia fere impossibile foret immissa in uterum manu foetum e ventris cavea retrahere tam ob distantiam, quam ob vulnus matricis jam constrictum. Et si extrahendus, certe pedibus esset arripiendus, qui ut plurimum ex adverso vulneris locati sunt; nec facile reperiendi. Dum caput haeret in parva pelvi, forcipe utendum est, tunc vero vix suspicari potest uterum esse ruptum.

Art. XI.

Polypus.

Polypos matricis peculiari libello fusius persequutus est Levretus: plurimi quoque in excogitandis ferramentis, quibus hujusmodi excrescentias devincirent, multum et diu se exercuerunt. Et quamvis haec instrumenta utilitate non careant, et saepe numero eadem in usum vocari necesse sit; tamen de his omnibus agere non constitui, sed unice de modo polypum per contorsionem ex utero eximendi verba facere, uti alibi (1) jam expositum fuit. Cum enim vinctura immanes saepe afferat dolores, et cum eadem, nisi denuo adstringatur, suffocando polypo non sufficiat, et cum non benigna, quae subsequitur suppuratio, canales, per quos praeterfluit, irritando rodat, febrimque cum aliis abdominis sympthomatibus cieat, satius et tutius mihi visum fuit polypos illos, qui ex matricis cavo germinant, vel torsione avellere, vel idoneis forficibus excidere, quod propositum observationibus confirmatum fuit.

Nubilis foemina annorum 45 inordinate purgata ischuria interdum affecta, mense decembri 1801 apoplexia percellebatur, a qua utcunque liberata fuit. Post menses duos in ischuriam denuo incidit, simulque abdomen sese attollere coepit, ut a plerisque praegnans haberetur; sed re attentius considerata, patuit ingentem polypum jam in vaginam illapsum fuisse. Pravus erat foeminae habitus, vires oppressae, uteri regio dura, tensa; vagina polypi mole distracta. Postquam ultro citroque disputatum fuit circa modum polypi extinguendi, statuebatur ut is filo circumdaretur. Postquam sic polypus constrictus fuit, uterus tam validam supra polypum pressionem exercuit, ac si partus instaret, polypumque extra vulvam expulit, quem proinde mox resecuimus pondere quinque librarum.

Ablata hac informi mole, foemina melius habere visa est, licet post vincturam febris succensa fuerit, et detumefacto abdomine dolores identidem agitarent, et febris quidem typhi indolem assumens quinto die foeminam occidit.

Patefacto abdomine, multum puris sese obtulit a peritonitide generatum, uterusque totus intra vaginam inversus conspiciebatur, ut alterum adesse polypum diceres. Ejus interior superficies nigricans, corrupta erat, structura

(1) Atti dell' Instituto Nazionale, vol. I. Bologna.

vero mollis, laxa, ut facile appareret matricem enormiter, quemadmodum in graviditate, fuisse distentam; polypus enim ab uteri fundo progerminans, postquam mole sua matricis parietes distraxerat, sensim sensimque uterum ipsum tum pondere, tum pressione ipsius, et musculorum adjacentium deorsum promovit. In ipso uteri fundo in vaginam illapso radicula polyposa observabatur.

Quamvis haec aegritudo eo perducta fuerit, ut sanari vix potuerit; fatendum tamen est, vincturam sympthomata omnia exasperasse, citamque mortem attulisse. Nunc accipe historiam polypi graviditate conjuncti, aut saltem graviditati faventis, cujus curatio feliciter absoluta fuit. Mulier urbica undequadraginta annos nata, gracilioris temperamenti sexdecim filiorum parens felicissima, menstruis adhuc stato tempore provenientibus bona fruebatur valetudine, si febrim tertianam excipias, aliamque continuam priori subsequentem, quae opportunis pharmacis solutae sunt. Ineunte novembri mense anni 1818 in ipsa menstruorum periodo expavit, ob nefariorum insidias marito positas; tunc sanguis praeter ordinem fluere perrexit, cui subsecuta sunt abdominis et lumborum tormina, dein fluor ex albo rubens, gravitas lumborum, totiusque corporis aegritudo.

Medio februario anni 1819 fluxus uterinus immodice auctus, variante copia et colore ad septimam martii perduravit; tunc a nimia jactura defatigata chirurgi opem imploravit, qui fungum matricis adesse affirmans manu quidpiam molitus est, et nihil praeter coactum sanguinem sub acerbo dolore extraxit. Ejusmodi sanguinis grumos per noctem emisit mulier, qui in posteram diem servati sunt, eo quod aliquid a sanguine diversum offerre videbantur.

Adveniens chirurgus miratus est foetum quasi quadrimestrem inter sanguinea concrementa delitescere, inde erroris sui commonefactus foeminam deseruit, asserens nil se eidem opitulari amplius posse. Ablata per abortum causa, menorrhagia quidem substitit; sed fluxus modo albus, modo ex albo rubescens per tres menses lecto detinuit mulierem, donec sanitati proximam se esse existimans e lecto se proripuit. Non diu res prospera fuit: etenim die decima septembris 1819 vehementibus lumborum doloribus affligi coepit ad decimam septimam ejusdem mensis productis. Ea die ob quemdam nisum fortuito factum, aliquid sibi in abdomine displodi intellexit, mox ingens sanguinis profluvium, et alvum deponendi desiderium secutum est, quod dum perficeret, massa quaedam carnea e vagina prorupit, quam ob dolores et distentionem reponere coacta fuerat; massa tamen memorata erumpebat denuo, quoties alvus esset exoneranda. Hoc perterrita malo non satis explorato mulier ad me accessit die 25 septembris anni 1819, auditisque, quae superius exposui, statim judicavi aegritudinem illam polypum esse, tactuque compertum est illum pomi vulgaris magnitudine haerere medium extra uteri ostium, medium vero intra uteri caveam, quae cavea duos digitos commode

recipiebat, qui circa dilatatum uteri ostium sine impedimento in girum agebantur, ita ut gracilis pediculus haud dubitanter distingui potuerit, qui ab inferiori uteri segmento pendebat.

Cognita morbi natura, die secunda octobris ejusdem anni cum egregio medico chirurgo Castoldo ad mulieris domum me contuli; ibique explorato iterum utero, visum mihi fuit polypum absque instrumentorum ope removeri posse. Quare hanc operam dedi eidem Castoldo ad id pridem instituto, qui insinuata in vaginam manu, prioribus dextrae manus digitis comprehensum polypum, atque bis terve circa radicem contortum feliciter avulsit. Vix dolorem, vix sanguinis rivum haec extirpatio habuit; nam matricis orificium quam primum ab ea massa liberatum constrictum fuit. Plumaceolus oleo inunctus contra uteri orificium admotus fuit. Molesti sensus, qui circa hypogastrium foeminam detinebant, exsoluti fuerunt, et die tertio, quo plumaceolus excidit, lectum deseruit. Quarto die uterus clausus erat, et quinto genitalia sicca, foemina bene valente.

Haec mulier, postquam polypus ablatus fuerat, virum non cognovit, si eidem fides habenda sit, nisi ineunte novembri anni 1819, scilicet triginta post operationem diebus. Interea abdomen intumescebat cum valetudine bona, et calendis januariis 1820 foetus motiones distincte percipiebat, existimavitque, utpote quartadecima vice instructa, se quinto jam mense uterum gestare. Quod judicium comprobatum fuit partu, qui accidit septima junii 1820. Puellus sanus, maturusque, membris explicatis editus est matre tam ante, quam post partum aeque bene valente. Hic casus oppido rarus demonstrare videtur mulierem foecundatam fuisse initio mensis septembris, scilicet triginta fere diebus ante polypi extinctionem.

Mediolanensis mulier annum agens trigesimum nonum boni habitus, sed ad melancholiam vergens, unicam puellam generavit ex quo per quatuor lustra marito contubernalis fuit, atque valetudine sat bona usa est usque ad annum 1813 in quo abdominis torminibus adorta non sine metritidis culpa, et ob id ter vena secta, saepius alvus ducta fuit, tandem hirudinibus ad pudenda appositis melius habuit, tametsi menstruis purgationibus non turbatis tormina identidem licet leviora recurrerent.

Cum autem attigisset, ut diximus, annum 39, qui incidit in annum hujus saeculi decimum nonum, catamenia inordinata, non raro etiam immodice fluere, et cum torminibus coeperunt, et cum rubra purgamenta desiissent, viscida, et flavescentia cum virium imbecillitate ex vagina proveniebant. Quae res cum foeminam anxiam detineret januario mense anni 1821 a me fuit explorata, nihilque facilius fuit quam polypum offendere ex uteri cavo pendentem, nucis juglandis magnitudine, pyriformem, consistentiae fere carneae, qui graciliori pediculo ex dextro matricis pariete originem trahebat. Porro uteri orificium ita hiabat, ut digito polypi radix distingui potuerit. Ejus labium anterius solidius et naturali crassius inveniebatur. Cum autem tenax humor, luteusque non sine acerbis matricis contractionibus jugiter manaret,

et genitalia incalescerent, visum fuit, priusquam polypus eximeretur, lenientibus, et refrigerantibus pudenda mulcere.

Discussis frigoribus lenitisque genitalibus, die 28 martii anni 1821 ad mulierem accessimus, ut a polypo liberaremus, et cum denuo ejusdem indolem et sedem perscrutaremur, et in spe confirmaremur, polypum digitis avelli posse, chirurgo-medico Castoldo id oneris imposui, qui repetita torsione carnem feliciter abstulit sine sanguinis uberiori fluxu. Paulo post uteri ostium fere contractum percepimus, ideoque nullo urgente sympthomate filamentis oleo imbutis vaginam molliter clausimus.

Ablato polypo tam bene valebat mulier, ut integre sanatam se esse arbitraretur. Primis diebus aqua subcruenta defluebat ex utero, qua deficiente mox tensio ad inguen dextrum, et quaedam in matricis regione molestia suborta est, quibus malis posthabitis quinto die scilicet primo aprilis lectum deseruit mulier, et familiaribus negotiis aliquantisper incubuit. Tunc ex improviso die septimo accesserunt ventris tormina, vomitus, febris ardens, cephalalgia, ut propterea venae sectionem iterare, saepius alvum movere coacti fuerimus; atque ex notis externis non tam uterum, quam ejusdem appendices et peritonaeum succensum fuisse deprehendimus. Depulsa febris vehementia per evacuationes, mulier 10 aprilis menstruari coepit dum tumor in dextro hypogastrii latere et supra pubem attollebatur, qui profunde sub abdominis musculis conclusi fluidi sensum manibus communicabat. Die 13 febricitavit, sanguisque e brachio fuit extractus, cujus lympha virescens erat, et cruor crusta tectus. Postero die capitis et hypogastrii dolor et febris intendebantur, menstruis adhuc modice fluentibus, unde praeter sanguinis emissionem, fomentationes, clysteres, et cataplasmata mollia injecta sunt. Demum tumor satis conspicuus acu triquetra perforatus multum foetidi, purulentique humoris effudit non sine aegrotae levamine, quod quidem breve fuit; nam cum fere intra mensem ejusdem indolis materia compleretur cystis, iterum, et tertio pertusa fuit, qua operatione lenita quidem sympthomata, mali vero causa deleta non fuit. Quartum intumuit abscessus, in quem dum acu crassiori penetrare curabamus, nihil omnino per fistulam effluxit; et sive ob cystidis tenuitatem, sive ob acus obliquum iter membranae fuerint laceratae, certum est tumorem extemplo subsedisse, et saniem in abdominis caveam effusam gravissima sympthomata excitasse; cumque per complures dies vita hujus misellae in ancipiti fuerit, tandem per intestini recti viam humor eidem similis, qui per fistulam trahebatur, stillare incoepit cum insigni foeminae solatio; nam ex eo die, licet abdomen subinde indolesceret, sanitatis spes magis magisque invaluit.

Matrix autem saepius observata tam adaucto, quam decrescente morbo nullas notas exhibuit, quibus ipsam graviter aegrotare dignosceremus; ejus quippe ostium clausum, et aridum inveniebatur, neque figura mutatum incalescebat quemadmodum acciderat dum polypo distinebatur. Die tertia julii fere omnia sympthomata delituerunt, corporis vires restituebantur, neque ex

utero humoris quidquam promanabat, unde factum est ut sequenti mense sospes fuerit.

Polypus per dies octo maceratus omnem ruborem amisit, quem exterior praecipue membrana exhibebat. Intus ex duriuscula, alba, substantia cellulari conflatus erat, prostatae virili analoga, in qua nec cellulae, nec vasa sanguinea oculis conspiciebantur.

Quae superius a nobis posita sunt, satis declarant uterum leniter succensum fuisse antequam polypus abrumperetur, et ejusdem mucosam praecipue, unde uberior lymphae vitiatae fluxus, et polypi primordia subsecuta sunt. Quae autem incensio uterum primo tenuerat, post avulsionem polypi tubas et ovaria occupavit; nam cum ab dextro matricis pariete detractum fuisse polypum notaverimus, probabile videtur ejusdem radices prope tubae orificium insitas fuisse, ex quo intelligitur propagata per tubam Falloppii irritatione latum ligamentum ejusdem lateris inflammationem concepisse, abscessumque inde ortum per adhaesionem cum recto tandem intestino communicavisse.

Art. XII.

Tumores.

Pelvis amplitudinem in mulieribus si spectamus, tum vasorum sanguineolymphaticorum copiam, et mutatam singulis prope mensibus viscerum conditionem; praeterea animi et corporis inordinatae affectiones, perspicuum erit unicuique tumores, et diversae indolis congestiones, quae in mulierum genitalibus tam internis, quam externis fiunt, et in sinuoso pelvis ambitu, a sanguine, lympha, lacte, et aliena crassiori materia sub variis vitae periodis conflari, et extumescere. Sed antequam de tumoribus, aliqua de vulvae prurigine dicenda sunt, quod mali genus gravissimum, et molestissimum foeminis esse solet, quia ad scalpendum, imo ad dilaniandas partes genitales mulieres eodem affectas compellit.

Prurigo.

Porro pruritus est continuus, vel intermittens; vagus, aut fixus; gravis aut levis; magis tamen desaevire consuescit sub vesperam, noctuque. Invadit plerumque nullo alio morbo comitante; interdum tamen praecedentis morbi, aut praesentis effectus est. Quantum nobis observare licuit, duplicis generis est illa aegritudo: altera vetulas adoritur, quibus jamdiu catamenia emanserunt, quod jam ab Hippocrate praenunciatum fuit (1), mirumque in modum eas excruciat. Naturalia sanis similia observantur, nec facile tantae ir-

(1) Aph. Sect. III, 31.

ritationis causa detegitur. Altera vero nuptas corripit, et menstruis fruentes, quibus plerumque a maritis communicatur. Est vero herpes vel miliaris, vel rodens vulvae labia, nymphas, clitoridem, et vaginae ostium occupans cum molesto pruritu, interdum cum punctione et dolore. Dum vehementius est malum, lecto tenentur aegrotae, tumescunt paulisper pudenda, et in summis femoribus colorem non raro herpeticum, idest ex fusco lateritium praesefert.

Causae reponuntur praecipue in victu lautiori, in stimulis ab herpete, a vermibus, a plethora, a retentis excretionibus, a phlogosi earum partium, a febrium metastasi, demum ab aestivo calore: anno quippe 1699 *non paucos molestissimus tantum non exanimabat pruritus, qui prae primis senibus et coelibibus gravissimus fuit, ac inter hos hominibus siccioris constitutionis,* uti scribunt Uratislavienses (1). Pertinax malum est, et ad multos annos perdurat, quod in senibus ex toto nunquam consanescere declarat Paulus ab Aegina (2). Mercurialis tamen contra Pauli sententiam aliquando in senibus pruritum sanescere posse affirmat (3), ut qui Leonellum Pium octuagenarium medicamentorum beneficio a maximo pruritu liberavit. Nonnulli pruriunt ad deliquium usque, alii ad voluptatem; periculi tamen expertem volunt hunc morbum, nisi inepte tractetur. Hippocrates enim narrat (4) quemdam hydrope periisse, qui calidioribus balneis usus fuerat.

Inter praesidia commendantur catharctica, ubi ab alvi segnitie, a vermibus, a cibis crassioribus pruritus sustinetur, quibus si opus est, adjungi potest venae sectio, tum diaphoretica, quae tamen saepe nocent, quia pruritum incitando, augendoque leypothimias cient, et utilius substituuntur diuretica (5). Riedlin mulieres duas adipatas a pruritu intolerabili universali abietis essentia liberasse dicitur. Puellam 23 annorum, cui prurigo in axillis, ano et vulva desaeviebat, extracto cicutae, se persanasse affirmat Störch. Scroti pruriginem depulit Forestus (6) linimento, quod recipit unguenti albi camphorati unciam unam; diapompholigos unciam dimidiam; lytargirii auri et argenti ana drachmam dimidiam; terrae sigillatae drachmam unam; cretae scrupulos quinque; mercurii sublimati scrupulum unum. Commisceantur singula in mortario plumbeo. Non omittendae sunt balneolae totius corporis, frictiones validae, cauteria. Ita Wedelius scroti pruritum in juvene fugavit ulcere in tibia excitato. Zacutus quoque (7) postquam frustra adhibuerat quae pro molesto prurito commendari solebant, foeminam sexagenariam duobus in femoribus fonticulis sanitati restituit. Nonnullis vapores viscerum recens mactatorum animalium proficui fuerunt, uti et lavationes aquae salsae.

---

(1) Hist. Morb. Uratisl. edente Haller, p. 27.
(2) Pauli Aeginetae Opera, lib. IV, cap. 4.
(3) H. Merc. de Morbis Cutaneis, lib. II, cap. 3.
(4) Epidem. lib. V, n. 4.
(9) Helvich, Hist. Morb. Uratisl., 1699.
(6) Lib. XXVII, obs. 8.
(7) Prax. Admir. lib. II, obs. 83.

Lettsom quoque de pruritu ani et vulvae verba fecit. Et ani quidem pruritus viros potius invadit, qui herpete, et arthritide laborarunt, tam si haemorrhoidibus obnoxii, quam si ab iisdem immunes sint. Vaginae pruritus familiaris est sterilibus, et iis quibus menstrua defecerunt. Mulieribus praecipit balinea ex aqua maris; praeparata ex saturno; corticem peruvianum; sanguinis missionem, quae parca sit et iterata. Viros jubet deglutire sulphur cum magnesia, aquas sulphureas, item pillulas ex calomelano, sulphure aurato antimonii, et cicutae extracto. Fotus etiam ex herba cicuta, ex capitibus papaveris, cibi farinarii, opium interdum cum antimonio, et cauteria usuveniunt.

Auxilia, quae vetulis potissimum profuisse mihi visa sunt, fuere hyrudines vulvae non semel appositae, balnea ex tepenti aqua, additis paucis, quae alvo lubricandae idonea reperiuntur. Hirudines pariter profuerunt herpeticis, atque balneolae, et malagmata ex sulphure, ex herbis solanaceis. Malo adaucto, vel declinante frigidissima quaeque admota plerumque sublevarunt aegras, sed in ipso exortu exasperare potius aegritudinem visa sunt.

Urbicae mulieri, sterili, sed menstruatae et salaci a prurigine ad anum, et vulvam excruciatae, non juvantibus balneis, vesicantibus, linimentis, scarificationibus, neque foliis herbarum torpentium, insigne levamen attulit glacies, cujus fragmina in anum, et vulvam introducta solatio fuerunt. Huic foeminae utile etiam fuit rectum intestinum rite expurgare ab acri tenaci mucore, qui in cloaca subsistebat, quam deinde linimento ex seminibus frigidis, vel sebo calefacto inungere opus fuit.

Ecchymoma.

Effunditur nonnunquam sanguis in spatia cellularis telae, ex qua labia vulvae, et nymphae componuntur sive ob foetus transitum in parturientibus, sive ob aliam causam in foeminis vacuis, assurgitque in tumorem rotundum fere, aut ovalem in alterutro labiorum, vel inter labium et nympham, vel in ipso vaginae ostio. Qui in parientibus effluit sanguis ex tenuibus sub cute venis contusis plerumque resolvitur; interdum tamen vel sponte aperitur, vel lanceola pertunditur. Tunc sanguis partim fluidus, partim in grumulos coactus prodit. Qui in sanis mulieribus congeritur sanguis, in vulvae latere molestias et dolores parit, tactu mollis est tumor, nonnunquam tensus; nec resolvitur nisi per incisionem. Satius est si vulnus apertum maneat, nam si coalescat, redit tumor ob sanguinis in vacua spatia effusionem, quemadmodum ter observare contigit.

Excrescentia.

Mulier postquam a marito gonorrhaeam virulentam, bubonemque acceperat, labium vulvae dextrum sic sensim sibi inflari percepit, ut ad capitis

infantilis magnitudinem pervenerit. A basi arctiori paulatim velut in ampullam amplificabatur, superficie inaequalem, colore naturali, resilientem, quae femoribus interjecta gressum praepediebat. Hydrargirosim suadebant, qui eam invisebant, sub qua hydrargiri administratione etsi cum toto corpore labium quoque extenuaretur, sinistrum tamen latius inflari coepit una cum adiposa membrana, quae pubim obtegit. Quae res praeter alias molestias urethram distendebat, sic ut urinam involuntarie dimitteret. In consilium vocatus author fui, ut duplici filo prope labii radicem trajecto tum superior, tum inferior tumoris pars geminato vinculo constringeretur, atque post aliquot dies magis, magisque comprimeretur, donec vitiata pars abrumperetur. Quo facto, et expurgata cellulari, firmam valetudinem consecuta est mulier.

Sarcoma.

Mulier annorum septem supra quadraginta, cachexia, flavo colore, et jam pridem venereo viru affecta unctionibus ex mercurio vix fuit persanata, cum ingens sarcoma repente ex mulieris pudendo descendit, quod prius ipsa existere non dubitabat, atque ita propendente sarcomate quatuor diebus domi sese continuit. In Nosocomium perducta haec misella anno 1793 tantisper quievit, donec cognita prolapsae carnis natura quid moliendum foret, decerneretur. Nam existimabant aliqui uterum esse descensum. Sed praeter quam quod uteri osculum nusquam inveniebatur, neque vagina prolapsa aut inversa conspiciebatur, uti in perfecto matricis descensu accidit, digitus etiam in vaginam inductus circumire poterat sarcoma capitis neonati magnitudine, et duobus pedunculis instructum, altero paulo crassiori, utrisque tamen resistentibus. Quamobrem visum fuit, ut tunc moris erat, vinctura, eaque iterata sarcoma intercludere, qua enecatum, sed non recisum multum seri ex fissuris effudit. In hoc vincturae stadio mulier febribus inordinatis, alvo liquida, meteorismo angebatur, et pulsibus exiguis abdomen magis intumescere, alvi dejectiones frequentiores esse coeperunt, fomentisque, et gelido potu occursum fuit, sed prioribus malis superveniens singultus mortem acceleravit.

Dissecto abdomine coram clarissimis beatae memoriae collegis et Doctoribus Caccinio, Josepho Wenzel, et J. B. Monteggia aliisque nihil praeter naturam in visceribus inventum est, quae colorem, et habitum, qui sanis convenit, habebant; neque seri quidquam in abdominis cavo inventum est. Uterus paulo crassior positum naturalem tenebat. Vagina per medium discissa, totum putridum sarcoma conspiciendum sese obtulit, quod ab ipsa suprema vagina oriens a pariete nempe posteriori, et sinisterius, qua uteri cervici adhaeret, deorsum proferebatur. Os uteri a mole sarcomatis paulo sursum, et dextrorsum compulsum erat, caeterum nil mutatum.

Ingens porro erat crassities pediculi, quo vaginae infixum erat sarcoma, neque minor erat substantiae illius soliditas et tenacitas, quae forficum aciei

vix cedebat. Sarcoma undique suppuratum, et fracidum nucleum durissimum habebat. Recisa ejusdem radix exhibuit quatuor vasorum oscula mediocris diametri, ex quibus venosa tria, quartum arteriosum erat. Ostia pariter horum vasorum hiantia in ipso vaginae fundo conspiciebantur. Vagina prae tumoris mole ampliata, nullibi laesa aut inflammata fuit; intestinum, quod subjacet, sanum. Tandem ad uterum ventum est positum naturalem tenentem; sed paulo crassiorem, qui cum per medium divideretur, puris guttas hinc inde dimittebat tum ex interiori ejus substantia, seu parenchymate, tum praecipue ab lateribus ex cellulari membrana, quae vasa spermatica, et cervicis uteri involvit et defendit. In uteri ipsius cavo nulla puris vestigia apparuerunt, quod premendo scaturiebat ex areolis cellulosis parenchymatis uterini. Pectus reseratum obtulit pauxillum aquae in cavea dextra, et tubercula duo suppurata in infimo ejusdem lateris lobo.

Mulier altera trigesimum agens annum semel enixa, nunquam abortata post improbi mariti obitum per quadriennium desidem vitam egit, dein coepit aegrotare. Prioribus annis rite menstruata fuit, posterioribus vero plus justo, levique de causa excedebant. Hic fluxus menstruus postquam a medicamentorum copia a multis medicis exhibitorum suppressus fuit, in flumen aqueum conversus est cum febri, et ischuria, quae res foeminam coëgit in Nosocomium se recipere. Febris erat continua, macies summa, luteus faciei color, cum imbecillitate quadam, et aestu intestino, urinisque purulentis, non sine insolita vaginae molestia. Hanc partem perlustrando facile fuit in polypum incidere mollem, non ulceratum, qui ab rotunda, crassaque extremitate sensim in pediculum extenuabatur intra uterum porrectum, cujus orificium hiabat sic, ut digitum explorantem reciperet. Mulier vero antequam de polypo vinciendo cogitatum esset, abdomine subtenso, et febri comitante e vivis excessit.

Abdomine patefacto seri purulenti ad libram profluxit. Hepar, lien, intestina, uterus glutine inflammatorio obtecta. Postremi ilii flexus, et colon sinistrum utero accreti. Matrix vero naturali amplior, intus parum vitiata. Polypus lata radice ejus fundo infixus descendebat parieti posteriori, et margini orificii uterini postico adnatus, a quo conspicua sanguinea vasa accipiebat, in vaginam ad tres latos pollices demittebatur, quam ulceratam fuisse animadvertimus. Crassities sarcomatis duos latos digitos excedebat. Dissectus polypus verum esse sarcoma ostendit, radicis enim substantia alba et compacta erat, inferior pars mollior, fibrata tamen, et sublivida ob vasorum rubrorum copiam. Fibrae ipsae uterinae protractae sarcomati immiscebantur. Ovarium dextrum ab hydatidum internarum numero amplificatum; tuba sinistra suppurata, ligamenta lata succensa visa sunt.

Etsi polypus et sarcoma uno eodemque nomine accipiantur, quia carnei esse creduntur; multi tamen distinguunt ob diversam utriusque indolem, nam polypus magis accedit ad animalculi, cujus nomen praefert, figuram, et substantiam, mollior, glutinosus est, et solutus, et plerumque sanabilis. Alterum

vero informius, latae radicis, fibratae et refractariae, vicinis connexum vix removeri potest. Hinc vidimus ligaturam tam noxiam fuisse, ut excitata suppuratione mulierem leto dederit. Quapropter amputationem sarcomatis praeferendam esse vincturae docent cl. virorum observationes; nec metuendum esse sanguinis profluvium ex ampliatis vasis, quod sive vasorum retractione, sive glomeribus ex filamentis coërceri potest.

Foeminae quadragenariae post copiosas sanguinis profusiones tumor e vagina descendens obstructionem alvi, et urinae difficultatem excitavit. Hinc foemina nimis in se audax, nemine in consilium vocato, cultro partem tumoris propendentem pugni magnitudine resecavit. Pressio autem, uti sperabat foemina, doloresque non remittebant, imo augebantur accedentibus tanquam parturiturae conatibus, exclusitque e vulva massam insigni pondere et foetore. Chirurgi cujusdam auxilium frustra adhibuit, qui gravitatem morbi considerans cel. virum Abraham Vater advocavit. Hic foemina jam ad omnem eventum praeparata, tumoris collo ligamentum injecit, et sub ligatura abscidit, quo facto intra sesquiannum perfecte convaluit (1).

Non minus facit ad excisionis utilitatem historia a Van Doeveren prolata (2). In parturiente primipara triginta annorum loco capitis foetus corpus quoddam peregrinum praecedebat; nempe extra vaginam pendebat corpus carneum, ingens, glabrum, durumque, membrana quadam vestitum, quod vaginae sarcoma esse detexit auctor, pone ossa pubis ipsi vaginae fortiter adnexum. His cognitis arripuit pediculum sarcomatis, paulatim contorsit, et sic polypum a radice separatum amovere potuit.

Non sine admiratione est artis medicae studiosis historia altera polypi uterini ab Abraham Vater descripta (3). Anno 1737 Matronae sexagenariae post validas totius corporis succussiones a febri epidemica promotas insolitum corpus e pudendo prodiit. Advocatis chirurgis, et obstetricibus, haerent omnes an corpus sit reponendum, an resecandum. Vaterus cum audiisset massam istam gracilem esse, atque oblongam, sanguine infartam, praemisso fotu in locum pristinum esse reponendam duxit, quia cum matricis prolapsus non adesset, matrona ad senium vergeret, viresque a morbo praecedente fractae essent, facta repositione negotium totum naturae commisit potius, quam operationem infeliciter suscipere. Repositam massam circulo cera obducto in locis retinuit. Convaluit aegra, nec quidquam inde mali secutum est.

Congestus.

Congeruntur saepe in utero, vel circa uterum humores tam sanguinei, quam aquei, qui etsi partes, ubi haerent, turgescere faciant, ob mollitudinem

---

(1) Haller, Disput. Chir. tom. III, p. 621.
(2) Specimen Obs. Acad. cap. IX.
(3) Haller, Disput. Chir. tom. III, p. 641.

tamen congestionum potius, quam tumorum nomine veniunt. Propolae uxor multipara, novissime abortum passa decembri mense anni 1782 longo puerperio recubuit ob mala, quae supervenerant, inter quae catameniorum per menses quatuor emansio uterum inflavit, sic ut eam mariti amplexus taederet. Mulierem inspectavi; cervix uteri sana fuit; ejusdem autem corpus ita extensum praecipue a parte anteriori sine inaequalitate, et pondere, sine dolore, et fluore, ut vesicam inflatam tangere crederes. Postquam balneo, uti proposui, aliquoties insedit, quamplurimum sanguinis ex utero prorupit, qui altera vice retentus eodem modo explosus fuit. Huic propolae debito dein tempore menses ad periodum rediere sine malorum levamine, quae a nimia corticis peruviani ingurgitatione nata fuisse credebantur; tenesmo enim premebatur, mucoresque per alvum, et urinas exonerabat. Igitur denuo explorandum fuit, tumoremque magnum, renitentem digitus offendit in parva pelvi inter uterum, et rectum intestinum, non adeo laevigatum, et sinisterius vergentem. Uterus nonnihil in latus dejectus, caeterum sanus erat, neque fluxionem patiens. Crassioris pariter intestini tunicae neque durae, neque ulceratae inventae sunt, sed quousque digitus pervenerat, tubus intestinalis coarctatus, et prope os sacrum compressus deprehendebatur a tumore superincumbente, unde alvi dejectiones molestae et mucosae febricula, et sudore conjunctae. Balneis postmodum opportune administratis, et conii maculati extracto, in arthritidem diuturnam, pervicacem, atque in maciem incidit corporis, per quam absumptis pravis humoribus a tumore libera fuit.

Idem fere contigit lanii uxori, quae decies pepererat, boni habitus, et staturae, festiva, et officiis domesticis occupata abortum excussit augusto anno 1782, atque ad januarium usque sequentis anni bene valuit, cum repente menses defuerunt, abdomen intumuit, ideoque utero habere credita est. Medio aprili guttatim primo sanguis sine molestia, sine gravitate, dein in grumos coactus ex utero fluere coepit, quem suscepit humoris sanguinolenti stillicidium usque ad junium, cum in sanguinis fluxionem desiit. Cervicem uteri tactu exploratam non mutatam invenimus; uterum vero ampliatum, atque in vesicae modum expansum, sed in propria sede locatum. Fractae vires uteri erant resarciendae chalybeatis, quibus a profluvio convaluit.

Mulier procera, virilis habitus duodecim filiorum parens, dum postremum, eumque maturum foetum luci emisisset, tertio puerperii die a febri valida invaditur; quam sanguine ter misso, et purgationibus multis avertere satagerunt medici. His praesidiis sudor universi corporis per multos dies elicitus est, quo deficiente atrox dolor, et febris, et tumor dextrum hypogastrium occupavit, eumque pro colico dolore curaverunt. Mitigato paulum dolore, in ossis ilii concava regione durities quaedam apparuit febricula, et punctionibus ad genu dextrum stipata. Caeterum nullus ex utero fluxus observabatur, qui etiam in propria sede solidior tangenti occurrebat, et pressio

frequens mingendi desiderium provocabat. His malis arcendis usurpatae fuerunt pillulae Becheri, sal Glauberi, et cataplasma ex cicutis; sed exsiccatis jam, uti diximus, uteri fontibus, inguinis tumor magis indolescere, et febris recrudescere coepit cum femoris movendi difficultate, et cibi fastidio. Dum haec sympthomata a lacteae lymphae congestu in pelvis dextrae cellulari textu, circa Fallopii ligamentum, et femoris flexores oriri compertum esset, balnea, et unctiones ex mercurio juxta artis leges praeceptae fuerunt, quibus faventibus febris, et dolor, et tumor magis intendebantur, et tussis, distentio nervorum cum siti, et sincope simul infestabant. Demum post menses duos abscessus tres aperti sunt, inguinis nempe, femoris, et perinaei, prius copiosum pus album, dein subviride fundentes ad librae circiter pondus quotidie. Interim jactatio corporis, et pallor, alvus soluta, tormina et leypothimia dies noctesque turbabant: angebant etiam animum puris foetor, nervorum turbae, morbi diuturnitas, atque infantis recens enixi interitus. Quibus omnibus obventum est cortice peruviano, vino generoso, pulmentis ex oryza, ex farina subacta, ovisque. Ita puerpera febricula, vagis doloribus, et suppurationibus femore adhuc tumente agitata ad medium decembrem anni 1783 pervenit.

Anni sequentis 1784 initio amphimerina, doloribus, macie continenter urgentibus, distensione nervorum, et sincope ita conflictabatur, ut fere animam agere videretur. Nec satis; febres enim accessere cum horripilatione, abscessus in femore duo movebantur cum pervigilio, corporis aestu, moestitia. Tenesmus postea, et vomitus, et anxietas novos in femoris posteriora abscessus praenuntiabant, quibus omnibus late patefactis rediit appetitus, hilaritas, et partium affectarum ad naturalem statum restitutio. Pillulis Plumeri curationi finis impositus fuit; menstruae purgationes accesserunt, atque ita a junio 1783 ad septembrem insequentis anni eam mulier recepit valetudinem, quam adhuc longaeva integram conservat.

Puella unde viginti annorum convulsionibus obnoxia utero laborabat, et septimo gestationis mense Brephotrophium ingressa est, ubi identidem distensionibus, capitis gravedine, debilitate corporis conflictabatur adeo, ut labefactatis cruribus gradiendo labaret, pedem dextrum post se traheret, nec semel prolabendi periculum vitaverit. Nono autem mense praeter debilitatem, et quemdam torporem artus inferiores tumescere coeperunt, et 13 novembris 1785 primo partu marem exanimem emisit, cui epidermis secedebat. Ventris tormina, quae primum partum fere sequuntur, initio mitiora, deinde sensim aucta, fotu, clysmatibusque sedata sunt. Verum sexto puerperii die febris quotidiana ingruit, quae mox transiit in tertianam intermittentem, capitis gravedine, et vertigine copulatam, cui peruviano cortice, et valerianae sylvestris radice cum nitro medebatur. Hisce pharmacis ad calendas decembres continuatis febris aliam indolem induit; quotidie enim bis invadebat cum frigore, vultus pallore, gravitate capitis, et sinistri pectoris dolore, cui succedebat calor paroxysmo ad quinque horas protracto.

Decima decembris die febris unica fuit, sed frigore longius excurrente; hinc cortici febrifugo, et valerianae sufficiebatur camphora cum nuce aromatica, haustus fermentans Riverii, vesicatoria, non neglectis clysmatibus. Persistente autem febris vigore 19 decembris femur dextrum primo dolore, dein totus artus intumescere coepit, et perdurante etiamnum febri puerpera algida lochia emanserunt, abdomen attollebatur cum profundo lumbi dextri dolore. Haec tamen sympthomata, obtentis sale Glauberi copiosis evacuationibus, remissiora in dies fuere, nisi quod oedema artum inferiorem sinistrum obsederat. Solis tamen purgationibus alvi salis ope febris discussa fuit ad decembris finem, et oedema imminutum.

Kalendis januarii 1786 mulieri, quamvis tunc apiretica quater alvum deposuerit, sinistrum femur magis quam antea cum poplitis rigiditate intumuerat, dum dextrum femur desidebat. Supervenerunt etiam ventris tormina assidua, quae fomentis, clysteribus, haustuque ex electuario Diascordeo tandem sedata sunt. Tunc intermissus salis Glauberiani usus denuo revocatus est, quia fluente alvo observabatur, mulierem a doloribus esse immunem. Interea artus dexter fere in integrum restituebatur; sinister indolescebat cum pede, alvo laxa permanente. Ita factum est, ut pulsu, facie, artubus sensim ad bonum habitum redactis, mulier quinta martii die sana discesserit. Et artubus quidem tumefactis primum cataplasma Goulardi, tum ex sapone officinali solo, dein admixto sale ammoniaco, interdum farinas calefactas ex secali, lupinis, et hordeo injecimus. Postremo placuit Cyrilli unguentum plantis pedum apponere, quod dolorem et vesiculas excitavit, ex quibus disruptis aliquandiu sanies manavit, quo effectum est, ut artus penitus exsiccarentur.

Plurima a devio lacte mala procedunt, quod vel post abortum, vel post partum naturalem, aut post foetus, vel secundarum extractionem in hanc, vel illam partem irruit, inflammationes et dolores concitat. Etsi nonnunquam delirium, amentiam, coecitatem, si caput petit, inducat, et claudicationem si ad coxas defluat; saepius tamen in uteri ligamentis consistit. Ibi dolorem, vel tumorem, aut tensionem instar chordae facit juxta renes ad femur propagatam, et noctu exasperatam, quae congestio si non discutitur, in suppurationem vertitur. Porro discutiunt congestiones puerperarum venae sectio, hirudines, calomel, ipecuacanha, epithemata, balnea. Juvant interdum potiones, quae sudorem proliciunt, sales neutri, et vesicatoria. Verum ubi dolores ad inguen, ad femur, ad os sacrum pertinaciter vexant, etiam si menses fluant, et a puerperio longe distet mulier, illinire cum mercurio salubre fuit.

Controversum est an a lacteae limphae aberratione memoratae congestiones oriantur; an ab humore, qui nunquam in lac convertitur; an a causis externe advenientibus, ut frigore, victu pleniore, aliisve stimulis promoveantur stases inflammatoriae in puerperis. Uterum edito foetu paulatim contrahi constat; proinde omnes consentiunt, humores in ampliatis uteri vasis con-

tentos, sanguinem nempe et lympham, quae prius ad uterum ferebantur, ad mammas sive per venas bibulas, sive inverso motu repelli, unde vasis mammae serosis, glandulisque repletis turgescunt ubera. Quod si mammae flaccescunt, et lac imminuitur, et si febris simul et tumor in aliqua corporis parte appareat, tunc quamplurimi sive congestionem sive tumorem ab lacte aberrante suscitatum esse proclamant. Verum non omnes hisce argumentis assentiuntur; et tumorem, qui in puerperis abscessus facit, non esse laticem lacteum deviantem, sed alium omnino diversum contendunt. Nam gestationis tempore aquei humores majori copia secernuntur, et in corporis caveas, et in telae cellularis areolas non raro effunduntur. Accedit, quod cl. Marabellus Ticinensis Professor experimentis comparatis anno 1796 institutis probavit humores stagnantes in puerperarum, et virorum demortuorum caveis non esse verum lac, sed humorem a morbosa conditione vitiatum, qui puri quodammodo affinis est.

Quod hujusmodi corrupti latices etiam ante partum in caveis subsistant, ex sequenti observatione patebit. Sectionem puerperae propter lympham in abdomine stagnantem defunctae 30 decembris 1786 in schedis meis reperio; non morbi historiam. Sed cum repentinum fuisse interitum suadeat eadem causa, quae in ea, quam mox subjiciam, reperta est, ideo hanc etiam ad comparationem profero. Kalendis januarii anno 1787 cadaver sectum est. Thoracis viscera sana; pulmo dexter adhaerens, sinister non item. Aqua multa in pericardii bursa reperta. Abdomine reserato primum puris pauxillum sese obtulit circa umbilici anulum, intra cujus hiatum omenti portio intercepta omphalocelen constituerat non strangulatam. Intestina aëre distenta; hepar sanum, vesicula bile farta. Plurima flavescens lympha abdomen inundabat, quae copiosius collecta videbatur in sinu ossis ilii dextri, ubi de quodam dolore ante partum querimoniam faciebat. Praeterea ejusdem lateris tuba sanguine tota suffusa, et livescens cernebatur. Uterus extra pallens, intus mediocriter rubens, crassus, nullibi laceratus, aut inflammatus apparuit.

Mulieri juvenilis aetatis, pingui, bene valenti, jam alias enixae, die 15 augusti 1789 effluxerunt amnii aquae, dolores quieverunt. Die autem 17 mensis a meridie infantem naturali, et facili partu exclusit, quem sponte secuta est placenta. Paulo post de oppressione conquesta duabus post partum horis repente extinguitur. Abdomen praetumidum erat ob aërem in ejus cavea, et intestinorum gyris, in vasis sanguineis, et uriniferis, et sub viscerum communi tunica magna copia conclusum. In utero nihil praeter placentae frustulum. Tubae, et renes emphysematici; seri nihil effusi. Vasa exanguia sic, ut haemorrhagia extinctam credidisses. In pectore pulmones sani, vasa item fere vacua. In utraque cavea multum sanguinei seri, quod una cum aëre oppressionis et mortis causa censebatur.

Abscessus quoque serosos in foeminis non gravidis praecipue sterilibus circa uterum observare licuit. Mulierem improlem ischuria tenuit superioribus annis, a fervore, uti ipsa ajebat, suscitata, quae potionibus diluentibus,

et lotio educto sanata est. Glandula postea sat magna in dextra mammilla intumuit, quam panacea Thomsonii sustulit post biennium reversura, cui eadem panacea remedio fuit. Annos complures bene vixit, licet menstrua inordinate fluere coeperunt, et fervor quidam cum sicca tussi ferina ipsam exagitare; quapropter medicus aquam putealem cum nitro tribus continenter aestatibus affatim bibendam dedit. Mense augusto anni 1787 male habuit, abdomen aegrotavit, dolorque in dextro hypocondrio pressionem non ferens excruciabat, qui modo umbilicum, modo pudenda funiculorum instar distendebat. Excussa urina urethram sibi retrahi, et erecto corpore quasi globum deorsum pendere sentiebat. Inter haec cum sese explorandi fecisset copiam, in anteriori superiorique vaginae loco inflationem offendi, non adeo duram, fere globosam, protensam, et pressione dolentem, in ea praecipue regione, quae pungentium acicularum sensum habebat, ideoque lecto insidere inflexa anterius spina, aut sine fulcimento non poterat. Tumorem itaque lymphaticum inter vesicam et uterum coactum fuisse conjectavi, vesicae vero proximiorem; nam uterus ex omni parte sanus reperiebatur, et urinae concoctae, limpidae naturali copia excernebantur.

Die 18 octobris clinicus Professor Ticinensis advocatus fuit, qui cum attente excepisset singula phoenomena, quae praecesserunt, decernere ausus non est, num mala a spasmo, ab humoribus collectis, an a catameniorum suppressione orta fuissent; proposuit tamen balneum medii corporis ex decocto raparum, ipsamque raparum medullam incoctam hypogastrio cataplasmatis instar apponendam, insuper extractum taraxaci cum valeriana sylvestri sumendum. Postquam diebus octo hisce pharmacis usa esset, doloribus denuo ad inguen dextrum correpta, et a stomachi aegritudine oppressa, in deliquium incidit, noctemque insomnem transegit. Tunc revera videbatur malum ad inguen declinasse, ubi durities cum dolore totum abdomen invadente, et fluidum cum murmure versus pubem, aut versus profundum inguinis defluens, tanquam marsupio inclusum percipiebatur tam a tangente chirurgo, quam ab ipsamet aegrotante. Hoc rerum statu perdurante denuo post mensem explorata est vaginae regio, tumorque sese obtulit inter uteri cervicem et vesicae medius, qui durior quam antea, minus tamen dolens sine fluidi vestigio apparebat, et digito sursum propelli versus lineam albam poterat, ubi ex profundo sub globi forma sese efferebat. His cognitis, perpensaque aegritudinis difficultate, medicus praebuit pillulas ex styrace, cinnabari factitia, castoreo russico, et succo densato taraxaci conflatas, quibus dolores, abdominis tensio, pondus fluidique murmur aliquandiu quieverunt. Post sesquimensem punctiones quaedam in hypogastrio ortae sunt, dein dolores, vel acuti, vel mordaces in toto hypogastrio, et ad pubem etiam sub menstruationis periodo. Itaque per totam hyemem cruciata expalluit, viresque amisit, donec adventante vere disruptus tumor magnam lymphae vim per vaginam explosit, qua per complures dies evacuata, eam valetudinem nacta est, quam integram usque ad annum 1816 servavit, obiitque improlis.

Infoecunda mulier altera fluorem virulentum a marito suscepit, eumque quinquennio fovit, donec elapso marito, et ad trigesimum vitae annum perducta unctionibus ex mercurio curationem inchoavit, a qua desistere coëgit remittens febris in ipso curae statu suborta. Dum febris ardebat, inflatio quaedam, et dolor hypogastrium dextrum invasit, qui depulsa febre tametsi hydrargirosis efficacius renovaretur, biennio constanter mulierem divexarunt, posteaque intensiores facti tam in inguine quam in femore cum ponderis sensu rei domesticae negotia interdixerunt. Cum accersitus essem, ut inspicerem, et opinionem meam proferrem, inflationem convexam prope uteri orificium dexterius, et in vaginam propendentem deprehendi, quae a superiori pelvi descendere, fluidaque materia distenta esse videbatur. Inter haec, qui ejus curam gerebat, mercurium pleniori dosi illinebat, quapropter sympthomata eo usque aucta fuere, ut molestis pulsationibus in pelvi locum darent. Ablegato mercurio, extracta antiscorbutica suffecta sunt cum emolumento, adeo ut post duas hebdomadas dum erecta stabat mulier, laceratus tumor lympham turbidam, ferventem dimiserit, et purgare perrexerit, donec sanitas redierit.

Praeter serosos, purulenti quoque abscessus, et fere strumosi, quandoque a lue venerea latente provenientes in mulieribus observantur. Postquam enim menstrua immodice eruperunt, plerumque accidit ut circa uterum aliquid subsistat, et in abscessum, aut in duritiem postea convertatur. Quod in matricis cervice indurescit, aut in ejus osculo citius ob aëris accessum in malignam naturam abit. Quod autem in uteri parenchymate, aut in ejus superficie concrescit, tardius, aut nunquam malignum fit.

Calanticarum venditrici menorrhagias pluries passae, in antica uteri parte durities nata est sine ejusdem cervicis, quantum tactu discerni potuit, laesione. Haec durities supra ossis pubis marginem paulo mobilis, et interdiu pressa sine dolore existebat, qui tamen noctu fere periodice invadebat. Haemorrhagia ferri scobe sublata fuit; durities ad suppurationem ducta; et pertuso vaginae pariete expurgata est.

Non eundem exitum in altera foemina conjugata, sed cachectica habuit praecedens metrorrhagia. In hac duriusculus globus abdomen tenuit et pelvim superiorem, ut eam praegnantem facile existimares, nisi quod globi superficies erat inaequalis, et lapideo renixu. Huic globo jungebatur amphimerina febris, et corporis imbecillitas, quibus egregie subventum est decocto corticis peruviani et martis tinctura. Tumor vero eandem servans magnitudinem, et positum, et renixum, ab anno 1794 ad hunc 1819 satis beatam mulieri siuit vitam transigere.

Hospita aetatis florens, ter maximo labore enixa in graves sanguinis profusiones incidit, quae diuturniores fuerunt ob pravum vitae genus, rusticos labores, et insolationem. Hinc uteri inferius segmentum prope cervicem induruit cum ipsa cervice, quae durities etiam paulo supra pubem manibus occurrebat moderato stipata dolore, qui noctu molestior, lumbos, et femora

pervadens cardialgiam, et dyspnaeam concitabat. Huic foeminae diluculo succos taraxaci, nasturtii, fumariae cum acetato lixivii, vespere autem electuarium Martiale Poterii sumere jussimus, interpositis clysteribus modo solventibus modo anodynis; deinde cicutam adhibuimus, cujus ope per resolutionem curatio peracta fuit.

Panificis uxori praegnanti abscessus lacteus circa uteri regionem congerebatur, qui dolorum ad lumbos, pressionum, et tenesmi per totum noni mensis stadium causa fuit. Duodecima post partum non difficilem die vexabant acrius dolores ad pubem, ad os sacrum, ad femur dextrum; uteri segmentum posticum tumefactum, dolensque albescentis liquoris copiam emittebat. Anxietatem et spasmum sedare non poterant fomenta, balnea, enemata, opium, imo potius haec praesidia abscessus ipsius ruptionem ursisse visa sunt, qui ingentem vim albidae, et caseosae materiae effudit. Hoc profluvium saluti fuit.

Taurinensis mulier vigesimum agens annum, hucusque infoecunda, ut ad numeros saltandi artem edisceret, Mediolanum profecta est anno 1788. Ibi tum pedibus, tum in palaestra venerea haud dubie sese exercendo adeo incaluit, ut viscerum abdominalium inflammationem sibi acciverit, febri, doloribus, inflatione stipatam: Medicorum plerique uterum incensum esse existimabant, ideoque sanguis copiose detractus fuit e brachio, ex haemorrhoidibus, simul fomenta, balneationes, potus refrigerantes adhibiti. Quae praesidia quamvis aegritudinem mitigaverint, per intervalla tamen exasperabatur, atque praeter tormina, et hypogastrii tensionem, excretiones moleste fiebant, pondusque inter excernendum deorsum tendens quam maxime affligebat.

Post menses duos, ex quo morbus invaluerat, accersitus ut foeminam inspicerem, uterum sane non vitiatum reperii, sed infra ejus collum, aut potius inter id collum, et rectum intestinum tumorem medium, duriusculum, qui per intestini viam exploratus apparuit esse corpus durum, globosum, dolensque, idem intestinum et ejus capacitatem comprimens. Tertio aegritudinis mense ad finem vergente tumor cum sympthomatibus auctus est, doloresque ferociores, et magis pungentes extitere, unde cum tumore uterus etiam subsedit. Itaque mulier ob vim morbi viribus destituta, et ob pharmacorum inertiam medio januario 1788 periit.

Aperto vix abdomine ingens puris copia prosiluit. Stomachus et intestina fracida, ex livido cinerea; omentum corruptum, quod cum ilio intestino, vesica, et utero ita conglutinatum erat, ut corpus unum, durum, et inaequale constitueret. His partibus a mutua adhaesione separatis, durior alia congeries inter rectum intestinum, uterum et vaginam conspiciebatur, cujus superficies, qua abdominis cavum spectabat, duobus foraminibus elypticis pertusa, per quos in abdominis caveam pus transfusum fuit. Huic proximus observabatur abscessus alter denso pure plenus. Horum abscessuum uterque concludebatur a substantia recens et praeter ordinem coagmentata, crassiori, solida, subrufa, quae tamen vicinis partibus nullum damnum intulerat. Illud postremo notandum quod toto morbi tempore uterus nihil expurgaverit.

Exeunte aprili 1797 mulier uti alias feliciter peperit, consuetoque tempore menstrua redierunt; sed lacte turgere mammae, et abdomen insolito more perrexerunt. Nam praeter ventris volumen majus, dolor in hypogastrio, et molestus inter dejiciendum sensus percipiebatur. Post quatuor dein menses refrigerato inopinanter corpore lac e mammis recessit, venter indoluit, subcruentus humor e vagina stillavit cum iisdem conatibus qui foetus expulsionem promovere solent. His pressionibus inferiora versus abdominis tormina increverunt, et febris cum rigore supervenit, et dura intus moles ab regionibus hypogastrica, iliaca, lumbarique dextra ventrem attollens usque ad hepatis sedem, quam molem extra uterum esse manifeste apparebat, tum a tumoris positu, tum quia uterus sanguinem purum continuo plorabat.

Cum varia auxilia frustra adhibita fuissent, mulier adhuc febriens balneo immissa fuit, quorum lenitate pungens dolor, et sanguinis fluor imminutus, alvusque aperta est. Dein continuata lavatione corpus agile redditum est, ut insidere lecto, et in latus cubare jam posset. Ita tum balneolis quotidie usurpatis, tum sapone hispano, calomelano, et peruviano cortice assumptis purgationes menstruae in ordinem redactae sunt, et quinto mense, postquam curationibus submissa fuit, lectum deseruit superstite usque ad hunc diem duritia nullo pacto affligente.

Illustris foemina annos decem et septem matrimonio juncta partum difficilem et unicum habuit, quem fluor albus continuus secutus est. Menstrua primum aegre, dein immoderate dimanabant, quibus jungebantur dolores initio mitiores, deinde atrociores cum vomitu, uterique inflatione, donec grumosus sanguis per uteri orificium sibi viam panderet, cujus iterata jactura oedema artuum inferiorum accivit, opportuna postmodum rusticatione feliciter discussum. Verum difficilis menstruatio, et uteri inflatio mulierem vexare non desinebant, quae res explorationis necessitatem probavit. Vesica urinae, et vagina secundum naturam, uteri vero segmentum anticum in utriculi pleni modum distentum erat, eaque distentio, si abdomen comprimeretur, augebatur. Erat vero tumor iste globosus, aequalis, laevigatus, non dolens, non secus ac si intra uteri caveam congestus fuisset humor, quamvis ejus ostium sublimius quidem, sed naturali figura, et retrorsum conversum esset.

Steatoma.

Mulierem annos natam duos supra quadraginta, et infoecundam rheuma febriculosum invaserat, doloribus artum dextrum inferiorem infestantibus ad instar ischiadis, quae omnia sedata sunt auxiliis, quae inflammationibus medentur. Haud multo post menstrua profuse manare, iisque siccatis, abdomen paulatim intumescere coepit, ut illam primum conceptum habuisse creditum sit. Sed frustranea partus expectatione duos annos tumente abdomine satis pacatos transegit. Medio augusto anni 1801 ad speciem colicae inflantis doloribus circa umbilicum et epigastrium correpta fuit, quibus superveniens

febris remittens cum vagis ad caput doloribus, faucium ariditate, aliisque rheumatis notis copiosum quinta die elicuit sudorem, et ab undecima ad sextodecimam alvum biliosam reddidit. In hoc stadio ciborum erat fastidium, sitis ardens, urina parca, pulsus exiguus.

Duo artis periti ad eam invisendam rogati, tuber quoddam in abdomine, et suboscurum expansi humoris inditium recognoverunt. Porro in pelvi inferiori globus sphaericus, gravis, aequalis, sed renitens deprehendebatur foetus maturi caput exaequans, quae moles mulieri in infimo ventre locata femorum torporem, vagos lumborum dolores, mejendi frequentiam excitabat. Haec sympthomata dissidia inter medentes movebant, alii schirrum adesse, alii polypum, aut hydrometram existimantes. Uteri osculum clausum erat, nec unquam ploravit. Demum a mense septembris anni 1801, in quo torqueri coepit, atrocibus torminibus, subinde recurrentibus, et vigilia emaciata finem vivendi fecit anno 1803.

Initio curationis, et ante consuetas purgationes misso largiter sanguine, opium utiliter exhibitum dein plena hydrargirosis instituta fuit, per quam discusso tumore uterus ad naturalem exiguitatem et soliditatem rediit. Hoc praesidii genus multoties postea cum fructu usurpavimus in uteri, ejusque cervicis congestionibus.

Ovarium.

Prae aliis, quae utero proximae sunt, partibus aegrotant saepissime ovaria, sic enim Ruyschius vocem corrigendam, et dicendum esse censet, *hydropem* ovariorum, et non ovarii, quia singula ova, aut perplura a morbo extenduntur, vel resolvuntur (1). Praeter hydropem a Ruyschio memoratum, ovaria saepe steatomate, interdum schyrro obsidentur (2). Abscessibus quoque pure, aut ichore sanguinolento plenis, materia sebo simili, hydatidibus, tumoribus praegrandibus, et pilorum glomeribus referta visa sunt (3). Hinc solerter, ut solet, Morgagnus causam indagando cur tot, tantisque vitiis foeminarum nostrarum ovaria affecta sint, non immerito potiorem causam in varios animi affectus rejicit, qui ad humorum cursum retardandum, vel perturbandum multum valent. His addenda sunt sanguinis ad uterum confluxus, et multifariam aberrantis; uteri gravidi moles, item nisus in difficili partu, quibus ovaria a foetu colliduntur, vel ad pelvis ossa apprimuntur.

A discrepantibus causis mole augeri posse ovaria asserit Johannes Henricus Rospingerus (4), quod confirmat observatione virginis duorum et viginti annorum, cui ob menstrui fluxus " suppressionem insignis dolor tractorius

(1) Ruysch. Obs. anat. obs. 17.
(2) Haller, Opusc. Pathol. obs. 51, 52.
(3) Morgagni, De Sed. et caus. Morb. ep. XXXIX, n. 37, 38, 39.
(4) Acta Helvetica, vol. II, p. 268.

" increscens in regione hypogastrica sinistra obortus est, et extendente sese
" paulatim abdomine impraegnationis illicitae suspicionem apud plurimos mo-
" vit. In Nosocomium delata abdomine duro, tenso, et anterius prominente
" conqueri coepit de difficultate pedibus insistendi, praecipue sinistro. Deinde
" febricula, sudoribus nocturnis, narium haemorrhagiis absumpta obiit.

" Dissecto abdomine liquor flavescens, foetidus scaturiit; superficies peri-
" tonaei multis vesiculis flavescentibus, gelatinosis scatebat. Ovarium sinistrum
" magnitudine caput humanum superabat, durum, renitens, pondere X li-
" brarum, tot distinctis lobis materia flavescente, fere adiposa repletis, inae-
" quale redditum. Vasa sanguifera omnia ampliora quam usuvenit; uterus
" sanus. „

Exemplum oppido rarum sanati hydropis ovariorum habetur in Diario Italico (1). Mulieri triginta trium annorum in regione iliaca dextra assurgebat exiguus tumor, qui ad ovi anserini magnitudinem auctus sursum, et ad latera propelli poterat. Ter genuit, postquam tuberculum illud apparuit, atque dum lac praebebat postremo ex tribus, quos genuerat, puello, sponte operationem expostulavit; nam sub graviditatum periodo abscedebat, vacuumque resurgebat post aliquot menses grandius syncope ad multas horas fere quotidie stipatum. Cum tumor, ut initio dictum fuit, mobilis, et fluidi conclusi inditium esset, ab assistente fixus retinebatur, dum interea medicus ad tres latos pollices lineam albam ad peritonaeum usque incideret. Deinde peritonaeo pariter inciso tumorem punctim aperuit, ex quo septem libras humoris subobscuri et viscidi collegit. Post punctionem cystim ad se traxit cum omenti portione eidem sacco adhaerenti; quod postquam solutum fuit, magis magisque cystim attrahendo ligamentum ovarii ad se adduxit, a quo ovarium diligenter separavit, duasque arteriolas in hac operatione vulneratas fidibus constrinxit, repositoque ligamento cystim, sive ovarium caute extraxit quatuor unciarum pondere. Vulnus abdominis institis glutinantibus conjunxit, et mulier trium hebdomadarum spatio sine gravi sympthomate persanata fuit.

Matrona quaedam a pueritia bronchocele laborans aqua marina restituta fuit. Grandior facta insipienti marito in matrimonium juncta est licet animo repugnante. Semel feliciter peperit; lochia et lac parca fuere. Tempore puerperii in dextro inguine tumorem exorientem animadvertit; qui dum a nobis spectabatur jam volumine auctus, mobilis erat, ut qui attolli et deprimi poterat, sed renitens ad modum sarcomatis, et ab anteriori ossis innominati dextri spina, et a toto ejus margine ad hepar pertingebat. Extra gibbosus, intus sinuatus videbatur, et ad incerta intervalla augeri, vel minui, insuper instantibus catameniis extrorsum magis produci, iisque cessantibus versus dorsi spinam relabi, laxumque cum utero nexum habere.

---

(1) Annali Universali di Medicina, vol. XXVIII.

Die 2 februarii anni 1784 medicus ejus curam gerens haec exposuit: Matronae regionem iliacam dextram iudoluisse quarto mense, ex quo primum uterum gestabat; idque taedii per totam graviditatem illam afflixisse; a partu duntaxat tumorem in iliaca regione conspexisse; mense majo sequentis anni propinatam fuisse cicutam cum sapone; mense augusto matronam aquas Lucenses potasse; impluvio subfuisse; aegram reducem ad cicutae usum rediisse; toto curationis tempore a mariti amplexibus abstinuisse; se denique totam mali culpam in lacte devio reposuisse.

Hisce prolixa oratione prolatis, argumenta duo dilucidanda obtulerat; alterum, ut mulier a virili thalamo excluderetur, ne forte ob connubium irritatus tumor augeretur, neve uterus compressus, si forsitan compleretur, praecocius conceptum excuteret. Alterum ut cicutae usus, cujus efficacia ipsi probata erat, non intermitteretur..

Tumor, cujus figuram et mobilitatem supra descripsimus, septimestris foetus caput adaequabat, videbaturque ex pelvis fundo exsurgere, et in interiori sinuata ossis ilii superficie considere, qui sine dolore duriusculus, sub mensium fluxu augebatur anterius provolutus; eodem fluxu cessante imminutus retrorsum recedebat. Matrona quantum ex brevi inspectione licuit judicare a fermento scrophularum, haemorrhoidibus, et ab hepatalgia immunis fuit, non a pathematibus. De causa et sede tumoris nulla ambiguitas; sed considerandi erant effectus, quos illa moles in uterum exercere poterat sive illum obliquando, sive praegnantem comprimendo. Et ad obliquitatem quod attinet, haec non adeo erat pertimescenda, quin obstetrix eidem obviam ire non potuerit, modumque docent obstetricii scriptores, quomodo chirurgus se gerere debeat in hujus visceris obliquitate. Majus erat periculum, ne ob tumoris viciniam uterus sese explicare nequiret, neve foetus compressus praemature extruderetur. Hos pravos effectus fuisse contemnendos confirmabat nos Merklinii observatio (1). Ille enim haud absimilem tumorem primiparae supervenisse vidit, quae tamen postea foetum maturum ter edidit.

Cum igitur vanus esset abortandi timor, excludendae erant rationes, ob quas a nuptiali toro matronam excludere medicus satagebat. Quamvis vaginae, et uteri vitia et alii graviores morbi possint a viri contactu foeminam absolvere, in nostra matrona haec vitia prorsus desiderabantur. Nam praeter quod genitalia hujus foeminae bene constituta erant, biennio antea cum socio toro libenter uteretur, salus ejusdem infirmata non fuit. Itaque ableganda erat irritamenti suspicio, quod a maris conjunctione derivare poterat. Vanus item metus infaustae foecunditatis, quia foecundatus uterus tantam attrahit humorum vim, quanta tumori molliendo sat fuisset, et per partus expurgationes etiam demoliendo, siquidem ex lactei humoris congestu natus esse censebatur. Hinc concludebamus aegritudinem inveteratam balneis et stillicidio et cicutis obluctantem vix ab alio praesidio resolvi posse; a pharmacis esse abstinendum; malumque ad multos annos sine gravi noxa perferri posse.

(1) Vide Theophili Boneti Sepulchretum.

In diversas sententias abierunt collegae; praevaluit tamen eorum opinio, qui conjuges a toro separandos, insistendumque medicamentis, addita calomelani dosi existimaverunt. Tumor autem omnem medicationem respuens increvit postea sic, ut punctionibus molestus, ineunte aestate ab iisdem consulentibus schyrrosus judicaretur; qui tamen, nescio qua ratione, eandem medicinam, et thermas Lucenses denuo adhibendas proposuerunt. His praesidiis magis magisque invaluit aegritudo, ut celerrime thermas deserere, et redux lecto contineri, et aerumnosam vitam biennio protractam amittere debuerit.

Mulier procera, bonique habitus, sed sterilis ex represso cum marito coitu, quia ex improviso importunus aliquis supervenerat, quidquam sibi in dextera lumbi regione lacerari percepit, quam ob lacerationem, sive distentionem ovarium dextrum in tumorem excrevit, quo postea magis adaucto, ascites supervenit. A Doctore Josepho Rapicio terdecies aqua educta fuit ad libras circiter octoginta quavis vice. Abdomen, quod prius sola ovarii congestione tumebat, post aquarum alluvionem tuberculis fere scrophulosis totum scatebat. Exinanita periit 20 aprilis 1822. Cadaveris secandi opportunitatem neglexit Rapicius. Quod generationis negotio per placida silentia noctis incumbendum sit, nec temere sine gravi damno abrumpenda incoepta hominis rudimenta praeclaro exemplo comprobat Fr. Lallemand clinices chirurgicae Agathopoli professor clarissimus (1). Mulier 35 annorum postquam conjugale officium explevisset, irruente in cubiculum ex improviso propinquo quodam, vehementer una cum marito turbata et commota fuit. Ex illo momento jugiter aegrotans mulier, et irrequieta toto sex mensium intervallo, et cruciata inter dirissimos dolores et gemitus expiravit.

Secto abdomine capillaria vasa viscerum digerentium ampliata erant, et distenta, ut fere inflammata dici potuissent. Uterus duplo major supra pubem elatus continebat substantiam mollem, veluti carneam, reticulatam, subrubram, cavitate coeca in cystim conformatam. Ligamento lato, et ovario sinistri lateris adhaerebat corpus spongiosum ad colon inflexum, et uterum protensum. Hoc corpus rubrum, facile lacerandum, pseudo membranam ab inflammatione natam mentiebatur; sed propius contemplata placentae structuram praeseferebat. In pelvis fundo vesicam aqua plenam, fere seximestrem non corruptum foetum continentem reperit. Ex quo manifestum est, coitum illum foecundum fuisse, atque ob animi commotionem, tubam, quae prius erecta fuit, concidisse, ovumque in peritonaei caveam decidisse, quod per tubam exceptum in matricis caveam deferri debuerat, et graviditatem extra uterinam protulisse.

Non absonum erit judicare, mulierculas, quae aestu procreandi aguntur, et quae opportunitate carent, unde licite foecundentur, incalescere sic, ut

---

(1) Observations Pathologiques sur la Génération. Paris, 1825.

sanguis copiosius irruat in vasa matricis, et ejus appendicum, qui eas stimulando quodammodo succendit, ibique cum albo humore subsistendo vel fibras conglutinat, vel lympha exhalata concrescit, unde dura exoriuntur tubercula; vel aqua in spatia cellulosa effusa colligitur in hydropem et hydatides. Quae venereus aestus in feminali procreat incommoda, eadem fere a subito terrore proficisci possunt in tenellis virgunculis. Puellae urbicae, nescio quam ob causam, exterrefactae, coeterum bene valenti, ingens struma, sic enim indicare licet tumorem incognitae indolis, in abdomine oborta est, quae octo mensium periodo paulatim increscens non dubiam parentibus et vicinis graviditatis suspicionem injecit, nisi quod puella praeter mores illibatos candide asseverabat, se virum nunquam cognovisse. Haud multo post febricula emaciata periit.

Anatomico examini subjectum cadaver obtulit ingentem massam totum abdomen occupantem ex gelatina, et foliolis cellulosis conflatam, quae inter laminas mesorecti, mesocoli, omenti, et alarum uteri prodigiose vegetans in modum enormem distenderat abdomen. Concisa haec substantia raphani mollis quodammodo texturam praeseferebat. Sanguis perpaucus in canalibus; uterus virgineus; item vagina cum hymene; ovaria, et tubae in eandem massam resolutae.

Hydropis ovarii mentionem quoque fecit H. Callisen (1), qui in quadraginta annorum virgine punctionem instituit dextri lateris, eduxitque triginta libras liquoris clari, tenuis, non coagulabilis. Aegrota eo pondere liberata paucis post diebus sine incommodo negotiis suis vacare, quin imo equitare poterat. Sed intra duas hebdomadas abdomen iterum intumescere coepit, ut brevi iterum lympham ad libras viginti educere necesse fuerit, quae minus pellucida erat ob mucum tenacem eidem innatantem. Ter denuo ob renascentem hydropem perforato abdomine ad libras multas lympha profluxit, sed fere gelatinosa, et sanguinolenta, postremo etiam purulenta, quae foeminae vitam abscidit. Secto abdomine patuit, qui hydrops peritonaei credebatur, esse ovarii dextri, quod in saccum valde expansum a minori pelvi ad diaphragma porrigebatur. Nunc, quoniam de serosis, et purulentis abscessibus, quae circa uterum, et extra pelvim fiunt, locuti sumus, oportet, ut quid medici senserint de externis abscescibus in puerperis obvenientibus, quos congestiones lacteas, phlegmasiam albam dolentem, et cruritidem appellant, breviter exponamus. Plurimi etenim medicorum operam posuerunt, ut investigarent causas et indolem congestionum phlegmaticarum, quae unum alterumve crus in puerperis obsident.

Mauricaeus, qui forsitan primus de hoc oedemate verba fecit, refluis in artum inferiorem lochiis culpam tribuit. Puzos existimavit lacteum laticem deponi interdum in artubus inferioribus, quamvis ipse quoque observaverit

---

(1) Collectanea Soc. Med. Hav. vol. II, art. 14.

lactantes foeminas ab eadem aegritudine immunes non esse. Fere eadem quae Puzos scriptis mandavit Levret. Nec multum ab his dissentit Astruc, qui utrorumque opinionem amplectens, lympham stagnantem considerat ut causam oedematis puerperarum, quae tenacior et pigrior reddatur ob lactis admixtionem. Verum cum supra posuerimus, lac non esse, quod artus inferiores intendit, et cum latex in pelvi, et in alterutra pubis regione subsistat cum febri et dolore, recentiorum amplectimur sententiam, qui vel ob pressionem capitis foetus, vel ob distractionem inter pariendum ligamentorum, et musculorum, venas pelvis internae, et lymphatica vasa inflammari, obstrui, turgere ob impeditam circuitionem haud abs re existimant. Quapropter in graviori inflammatione purulenti abscessus oriuntur in inguine, in pubis regione, in cruribus, femoribusque, praecipue si venarum aliquae, et lymphaticarum concrescunt, et obcaecantur.

Incipit aegritudo post decimam, ad decimam quintam a partu diem cum dolore ad alterutrum inguen, febrique vehementi; mox inguen tumet, tum vulvae labium, descenditque inflatio a regione interiori femoris ad crus, pedemque, quae rapide distenduntur, inflanturque dolenter, exquisite calent sine rubore, tumor ubique aequalis est, solidior tamen, quam oedema vulgare. Inguinis dolorem ut plurimum praecedit lumbago, aut infimi ventris tormina, quae ab inguine ad poplitem, et suram porriguntur. Pressa non cedit phlegmasia, neque scarificata aquam depluit. Tumor laevigatus, lucidus, pallidusque se ostendit, nodosque in glandularum regione digitus reperit. Carolus White observavit congestum jam factum fuisse viginti quatuor post partum horis; et contra post quinque hebdomadas eundem supervenisse vidit.

Pars quae primum intumuit, decrescit prima; et febris in nonnullis puerperis duas vel tres hebdomadas detinet, in aliis trahit ad sex, et octo hebdomadas, cum hecticae febris sympthomatibus. Postquam aegritudo per unam, vel alteram hebdomadam constitit, infrequens non est, ut vespertino tempore artus sanus oedemate afficiatur. Quaecumque sit puerperae conditio, eidem malum non parcit. Animadvertendum tamen est id latus praecipue a phlegmasia corripi, in quod foemina parturiens incumbit, quod latus plerumque sinistrum est a foeminis in Anglia praedilectum, dum pariturae sunt. Abortientes nunquam, et reliquas puerperas semel tantum invadit phlegmasia, neque in comperto est adhuc, an praeter inferiores ascendat quoque ad artus superiores.

Doctor Smith primiparas huic malo magis obnoxias esse vidit, eas praecipue, in quibus parturiendi labor tardior et difficilior fuerit. Hinc ipse quoque proximiorem causam ponit in lymphae congestu intra vasa absorbentia, quae lympha cum sit viscida punctionibus educi non potest, quemadmodum in anasarcate fit, in quo mere aqueus est humor. Hanc opinionem firmat Hevvsoni experimento, qui observavit lympham ex inciso lymphatico canali stillantem eo fere temporis spatio, quo sanguis, coagulari in albi fungi

speciem, spatula facile removendum. Causam vero remotam, quam alii quoque admittunt, supponit esse pressionem, quam caput foetus super lymphatica exercet, unde lymphae cursus intercipitur, canales distrahuntur, inflammantur, et forte disrumpuntur, quae ob vitia artus magis magisque turgescit.

Initio morbi, quia subest inflammatio, sanguis mittendus est, sive venam tundendo, sive hirudines parti affectae admovendo; item administranda sunt lenientia, clysteres, opiata, fotus anodyni, tum vesicatoria cruribus apponenda, quae salutaribus plerumque effectibus conjunguntur, sive lympham evacuando, vasa stimulando, sive febrim mitigando. Angli pulverem James praescribunt a granis duobus ad tres quotidie sumendam ter, vel quater, cui superdanda est sequens potio:

Aquae cinnamomi simpl. ℥ x
Spiritus nitri dulcif. guttas xx
Tincturae Thebaicae guttas vj
Salis Glauber. ℈ j
Syrupi violar. ℥ j.

Potiones dictae salsae, et acidulae valde commendantur. Ad lochia quod attinet, non tam copia, quam eorum indoles consideranda est; nam si pallida, aut nigricantia prodeunt, verendum est, ne pars putrilaginis in sanguinem redeat: proinde injicienda sunt in vaginam mollia, antiseptica, quibus febris vel mitigatur, vel tollitur; atque hunc lavationis usum valde commendat White, qui hac administratione haud paucas puerperas se servasse autumat. Si pressio in vasa pelvis considerari debet, uti causa phlegmasiae extremorum in puerperis, mirari certe subit, cur mulieres illae cruritide non afficiantur, quibus foetus in pelvi impactus vel forcipe, vel capite minuto educitur; mihi enim nunquam in hisce defatigatis mulieribus phlegmasiam albam observare contigit.

Decrescente paulatim dolore et tumore, vinum, et cibi solidioris pauxillum concedunt Angli. Carolus White porrigit etiam cum emolumento aliquot calomelani doses; et si aegritudo febris hecticae typum assumit, et puerpera langueat, myrrham prae cortice peruviano laudat. Huic D. Griffits adjungit salem absynthii, et aquam spirituosam cinnamomi cum syrupo et decocto. Hujus apozematis dosim capiat aegrota sexta quaque hora; neque pigeat defricare saepius artum, et oleo calido delinire. Denique depulsa penitus febri et dolore, efficax erit peruvianus cortex cum marte; balneum aquae salsae, vel egelidae; embroche ex spiritu vini camphorato, aut ex aceto distillato; eritque opportunum devincire crus fascia, vel caliga, vel ocrea. Iter velociter facere, et alia exercitia, quae limphae secretionem accelerant, nocumento erunt.

Art. XIII.

Hydrothorax.

Recte et sapienter admodum notaverunt Medici Uratislavienses ex Riverii sententia " Pectoris hydropem cognitu difficilem esse, a Medicorum vulgo " non describi, et plerumque non agnosci, nec nisi post dissecta cadavera ex " hoc morbo defunctorum innotescere, quamvis ubivis satis frequens sit (1). „ Id ferme confirmat Morgagnus asserens, hydropis thoracis indicia nulla esse adeo peculiaria, ut non aliquando Medici vel peritissimi in eo dignoscendo decipiantur (2).

Praesumunt autem Uratislavienses cognosci posse hydropem ex signis, quae praecedunt, et subsequuntur seri effusionem; uti sunt molestia quaedam, et angustia circa praecordia; crebra, et difficilis spiratio ex improviso aegrum opprimens; cordis palpitatio, vel tremor cum pulsu intermittente, inaequali; interdum deliquia, et adaucta serosa colluvie pondus cum dorsi dolore septum transversum deprimens; tussis sicca nihil exprimens; ob consensum inter thoracem et genitalia intumescit scrotum, deinde malleoli, crura et abdomen. His phoenomenis supervenit interdum febris, brachiorum dolor, et paralysis, aegrique facillime frigent; urinae copiosae, et naturales excernuntur. Pauciora signa exhibet Morgagnus quae ferme pathognomonica credita sunt, videlicet pedum tumor, faucium siccitas, pulsus humilitas, tussis fere irrita nihil nisi catharralem materiem educens; spiratio noctu difficilior (3).

Gravissimus hic morbus difficillime curationem suscipit, tum quia colluvies serosa in thorace congesta vix evacuari potest; tum quia viscerum vitia aegerrime tolluntur, ut nova congestio praecaveri nequeat. Et primum a fonte chirurgico petenda esse auxilia opinantur multi; praecipue a fonticulis, et vesicatoriis, quibus materia serosa vel avertitur a thorace, vel per communicantem cellulosam ad partes exteriores derivatur. Sectionem thoracis formidant fere omnes Practici, neque experimentum praesens est, in quo id auxilii genus salutare fuit. Sanguinis detractio noxia fuit, imo lethalis in duobus aegris a Morgagno relatis (4).

Ab externis ad interna progrediendum esse monent Medici Uratislavienses; et primo laudant purgantia, quibus stagnantes lymphas exturbare credunt. Seliguntur prae primis mercurius dulcificatus, radix Jalappae, electuarium leniens, tinctura sacra, quae et alia similia medicamenta parca dosi, et iteratis vicibus exhibenda sunt; nam validior purgatio aegros de medio tollit. Post purgantia in usum veniunt diuretica, quae mucores resolvunt, cujus

---

(1) Hist. Morb. Uratisl. Dissert. de hydrophe pectoris, p. 431, edente Haller.
(2) Morgagni, De Sed. et Caus. Morb. ep. XVI, n. 25.
(3) L. c. n. 9, 11.
(4) L. c. n. 35.

census sunt gummi resinae, radices pimpinellae, apii, petroselini, raphani, et plantae omnes antiscorbuticae dictae.

Diureticis succedunt commode diaphoretica in iis praecipue, quorum habitus perspirabilis est, et sponte ad sudores inclinant, atque aegrorum aetas vegetior sit. Seliguntur decocta ex ligno guajaco, junipero, sassafras, scordio, carduo benedicto, scabiosa, ex floribus sambuci, etc. Verum haec omnia, uti et pectoralia, non sine aliqua haesitatione sunt usurpanda, cum ab antiquioribus Medicis vix indicata legantur. Non dissimulandum esse ducunt Medici Uratislavienses, quod multoties hoc malum tam rebelle sit, *ut aegri non tantum non curentur, sed ne quidem sympthomata eorum mitigentur.*

Hydrothorax lethalis.

Franciscum Cantù ex oppido Saronni duorum et triginta annorum repentinus moeror, et profusus ex longiori itinere imber augusto mense anni 1775 obruerunt, ex quo eam contraxit latentis mali labem, quam ad trimestre toleranter tulit haudquaquam emaciato corpore, cum avide assumpta concoqueret, et concocta rite excerneret. At sensim sensimque cum tussi, pectoris gravitate, et humeri sinistri dolore anhelatio supervenit. Tum costae sinistri lateris inter inspirandum plus solito attollebantur; difficilis in oppositum latus erat decubitus, tussis sicca, pulsus languens, deficiens. Malum autem magis prodiderant pectoris pondus continuo ingravescens, faciei pallor, orisque livor, cordis, musculorumque in dextero latere palpitatio, spiratio sublimis, et aucta anxietas. Non aderat febris, non manum, pedumve phlegmatia, non alterius brachii stupor.

Cum ergo de hydrothoracis praesentia haud dubium esset, singulique Medicorum, qui ad deliberandum convenerant, fluidum evacuandum esse censuissent; nona, postquam curandum se dedit, die, quinque aquae subcruentae librae cum unciis quatuor per sectionem thoracis eductae fuerunt. Eadem nocte, cum prius frequens adesset praefocatio, crebra animi defectio, et anxietas angebant. Mane diluculo diei undecimi librae novem ejusdem aquae ex vulnere exceptae fuerunt, quae permanentium sympthomatum causa credebantur. Sed vacuefacto pectore confestim leipothimia aegrum invasit, qua inter alternas musculorum contractiones quinta noctis hora occubuit.

Pectus sinistrum pleuram ad tres lineas crassam, et leviter inflammatam habebat, pulmonis autem vix quidquam reliquum erat. Namque tuberis conici pars firmiter ad supremum thoracem erat agglutinata; multaeque hinc inde inhaerentes hydatides nucis juglandis magnitudine, membrana tenuissima cinctae, vesicularum aërearum servabant vestigia; atque in tota pleurae superficie inaequalia macerati pulmonis fragmenta conspiciebantur. Eadem cavea pectoris sinistri continebat adhuc lympham subruffam, inodoram, absumpti parenchymatis flocculis onustam. Cor in dexterum latus erat propulsum; arteria pulmonalis inter crassescentes membranas, duratasque bronchiales glandulas condebatur. Reliqua recte erant constituta.

Praegnans mulier annorum triginta septem neque pleuriticis, neque serosis morbis antea subjecta die 12 decembris 1785 primam Medici opem imploravit, utpote ob leucophlegmatiam aegre spiritum trahens. Pulsus minimus erat, tussis et anxietas noctu praecipue gravis, et continuo increscens leucophlegmatia mulierem a lecti usu abduxit. In hoc statu pulsus frequens erat, et depressus; sputa striis sanguineis remixta, urinae fuscae, cordis regio pulsabat plus aequo. Mente sana aegrotantis, linguaque pura, foetus in utero revolvebatur; sed ad ignem continuo mulier calefieri cupiebat, a quo vel remota, vel sese erigere tentans, animo linquebatur. Duobus ante partum diebus febris remiserat paulisper, tussis mitior, spiratio liberior, sputa pura, urina parcior, turbida, subobscura observabatur. Tamen per noctem vehementer opprimebatur cum frigido sudore, carpi, et digiti livebant; lingua sordescebat, dum primi ad partum dolores accesserunt. Hucusque imperata fuerunt praeparata ex scylla, decoctum ligni juniperi; tum apozemata ex nitri spiritu, et aqua foeniculi, postremo ex aqua cinnamomi et spiritu fuliginis.

Die vigesima nona decembris haec mulier decimum luci dedit foetum, quorum tres sequioris, septem potioris sexus fuere. Partum, qui caeteroquin facilis fuit, praecesserunt breves leypothimiae, et enormis copia lymphae viridescentis; lochia fuere modica. Pulsus iterum febrim indicabat; urina ut prius subobscura apparuit cum sputo sincero, et spiritu minus gravi. Nox calendarum januarii 1786 a molesta tussi turbata fuit, licet urina multa, limpidior, et modica sitis esset. Postridie febris a lacte, ut solet, cum frigore ingressa, moderata processit parum tumentibus mammis, et evacuationibus per alvum, vesicam, et uterum de more conservatis. Illud tamen angebat, quod nonnisi erecto trunco considebat; quod tussis per alteram noctem, et oedema increbuisset; quod cordis vibratio sinisterius ad aurem usque pervenisset; quod demum evanescentibus lacte, lochiis, et urinis, pulsus jam exiguus deprimeretur, foemina subinde deliraret, et animo deficeret. His vexata malis ad medium januarium pervenit laevo brachio, uti semper, magis dextero tumente, vagisque doloribus per brachia, et crura discurrentibus. Postea tussis, et dyspnoea, et praefocatio majorem in modum auctae sunt cum abdominis, vultusque inflatione, pulsuque tactum refugiente. Sub januarii finem non mali praesagii accidit mutatio; nam lotio abundantius fluente, pulsuque sese erigente, et pulsatione cordis remittente, magis composita cubabat puerpera; tussis mitigabatur; et sputum ad maturitatem accedebat. Verum praeconceptam spem abruperunt mox pulsus concitatior, gravior spiritus, et quidam veluti tremor in sanguinis massa perceptus. Denique suppressis urinis, liventibus labiis, gravissima dyspnoea animam interclusit die secunda februarii. Thorace primum adaperto in utraque cavea lymphae plurimum repertum fuit sic tamen, ut in dextra turbidior esset, et pulmonem ejus lateris magis comprimeret; in sinistra limpidior appareret. Uterque pulmo vel absorpta, vel stagnante lympha onustus, ut eadem undique ex

dissecto parenchymate diffluerct. Pericardium inane fuit; cor amplum, ejus auricula dextera, et cava vena utraque sanguine distenta. Hinc forte palpitationis culpa; nam compressis sanguineis pulmonum vasis minus sanguinis in eos irruere poterat, quia cavarum venarum sanguis nec in auriculam dexteram, nec in ventriculum ejusdem lateris, nec ab eo in pulmonarem arteriam libere transmeandi via patebat.

Abdomen quoque scatebat aqua limpida, inodora, non admodum viscera afficiente. Bilis pauca, dilute flava. Quaesitum est, an hydrothorax per funiculum, vel vaginam vasorum rubrorum traducat aquam in spatia cellulosa brachiorum? Nonnunquam enim ex quo latere hydrothorax est, ex eo brachium magis intumescit. In hoc cadavere cellulosa tela, quae vasa et nervos brachiales comitatur, nullo plane modo intumuerat; sed is textus cellulosus qui juxta jugulum, et supra scalenum musculum diffunditur, et cum adiposo brachii textu nexum et continuitatem habet, is certe lympha infartus esse cernebatur. In alio autem cadavere ex hydrothorace defuncto contrario modo se res habuit.

Mulier cum ultimum graviditatis mensem attigisset 27 martii 1785 aliqua spirandi afficitur molestia; ideo secatur vena, et sanguis crusta tectus observatur. Eodem die sanguinis sputum, leypothimia, livor labiorum apparuerunt, ut jam jam mors instare videretur. Denuo tamen erectis viribus sputa modico et florido sanguine tincta ejiciebat mulier, cujus pulsus erat obscurus, profundus, non discretis ictibus. Sub vesperam mittitur iterum sanguis, et sub dextera mamma affigitur vesicatorium, ad dolorem compescendum, qui ab eadem mamma secundum sternum ad jugulum ascendebat. Nox placida fuit; sed altera, quae insecuta est, admodum gravis, utpote tussi, sputis sanguineis, anxietate summa turbata. Pulsus minimus, celer, rithmus confusus. Dies pacatior fuit, licet aegra in lecto prona sedere cogeretur. Ingruentibus vero partus doloribus 30 martii omnia pejora facta sunt; tunc enim praeter leypothimiam, anxietatem summam, lateris dolor intensior erat, pulsus tactum fugiebat, brevique syncope oppressa interiit pariens. Utero jam ad partum parato sedulus obstetrix pedibus eduxit foetum semivivum, cujus aquae virides turbidae male olebant.

Discisso postridie thorace, in ejus cavea dextra lympha turbida quindecim unciarum pondo reperta est. Pleura, pulmones, vasa rubra ex utroque latere sana, mollia videlicet, non inflammata, nec laesa nisi quantum aquae vis intulerat pressionis. Cor peramplum, ventriculus cum dextera auricula multum expansus; hepar item grandius; reliqua secundum naturam. Ex hac inspectione non difficile videtur explicatu, quae causa fuerit sputi sanguinei; cava enim vena copiosiorem ex abdomine sanguinem in auriculam dexteram invexit, et ab hac in contiguum ventriculum, qui deinde sanguis per cognominem arteriam in pulmones irrupit; sed cum dexter pulmo sese explicare satis non posset ob lymphae moram, et collisum, sanguis in socias venas, et ideo in sinistram auriculam transire non potuit nisi parcius, quo

factum est, ut congregatus in dextero pulmone sanguis per dilatatos arteriarum fines erumperet, et cum sputo commisceretur.

Mulier triginta et amplius annorum, quae mares quatuor, puellas duas in lucem emiserat, mane diei 24 jan. 1785 alvi profluvio, et lateris dolore adoritur cum copiosi sanguinis exspuitione, aliisque doloribus partum promoventibus, quos gravis anxietas, et pulsus minutissimus praegravabat. Vena tamen brachii protinus secta est, et sinapismus lateri affixus. Postridie puellula exorta haud multo post denata est. Partus nequicquam mulierem sublevavit; etenim deficientibus lochiis sputa sanguinea abundabant; abdomen inflabatur; lateris dolor cruciabat; pulsus ex debili contrahebatur. Pertusa fuit vena brachii dextri, et latus dolens cucurbitula cruentatum. Vespere incalescente febri detractus est sanguis e vena pedis. Caeterum fomenta multa calida abdomini superdata sunt, et polygalae decoctum cum oxymelle porrectum. Adaucto anhelitu, sputo, et excretionibus suppressis, vultuque livente moritur 27 januarii.

In ejus cadavere pulmo dexter sanus. Cavea autem sinistra pectoris continebat serum purulentum, mucosis flocculis refertum, quorum alii innatabant, alii mediastino, pericardio, pulmoni, pleurae inhaerebant. Pulmo iste sinister justo mollior, et contra vertebras compressus erat; cor sanguine repletum, et in primis posterior ventriculus. Abdominis viscera nullam contraxerant labem. Nullum neque in hac foemina brachiorum oedema observatum est.

Mulier annorum 34 bronchocele affecta, caeterum boni habitus, et quinquies enixa, die 14 decembris anni 1784 febri, tussi vehemente, cephalaea affligebatur, quibus accessit dolor lateris dexteri cum anxietate, pulsu debili, sputis globosis et viscidis. Haec sympthomata una cum leucophlegmatia usque ad diem 17 januarii 1785 perseverarunt, quo die, cum sextum se utero habere cognovisset, in gravidarum diversorio excepta fuit. Vix ibi locata fuit, cum hypocondrii sinistri dolor, dyspnoea nocturna, vomitus viridium, et pituitosorum, faucium ariditas priora sympthomata exasperarunt. Die secunda februarii prolem geminam sequioris sexus partu effudit, post quae aucta sensim anxietate, aphona, et stertens occubuit die quinta ejusdem mensis.

Cadaver hydrothoracem obtulit ex dextero latere, pulmones sanos. Ventriculi fundus magna ex parte erosus erat, et muco tenaci obductus qua parte lienem attingebat. Similem eventum, ut puto, habuit uxor cujusdam Doctoris Villae cognomine, quae, uti ab eo accepi, postquam leucophlegmatica esset reddita, peperit recte, postea vomitu pertinaci pituitosorum interempta est.

Hydrothorax sanatus.

Die undecima februarii 1785 multipara plebea annorum sex supra quadraginta in Brephotrophium excepta est, et curaturae medicae commissa ob leucophlegmatiam, et scabiem qua premebatur. Vultus flavescebat; aderat tussis sicca, anhelitus, pulsus tardus. Inciditur vena; imponuntur brachiis vesicatoria; exhibetur oxymel, tartari cremor, et apozema ex aperientibus. Horum adjumento primis diebus mitiora fuere mali phoenomena; sed mox ingruentibus crebris leypothimiis; et febri cum pulsu duriori, et molestiori tussi, et sputo cruento, et capitis gravedine, necessitudinem injecit venam denuo aperiendi. Sanguis eductus uterque pellicula tenaci tectus apparuit, nisi quod postremo missus sero viridante abundabat. Ita capite leviori reddito, excreatione faciliori, spiratione commodiori facta, pulsuque molliori noctem pacatam habuit. Haec commoda non diu perduraverunt; etenim post biduum febris denuo invalescebat cum pulsu et tussi vehementiori, quam gravabant sputa sanguine striata, abdominisque tormina. Postmodum mulier facta apyretica expuebat alba, spirabat leniter, excretiones ad naturae normam perficiebantur. Demum decimo octavo a curatura die decimum foetum masculum progenuit feliciter, lochiisque juxta statuta fruebatur.

Tertia a partu die puerperam invasit febris, et tussis, et cephalalgia, quae per transpirationem intra biduum soluta sunt. Non ita reliqua sympthomata, praecipue dyspnoea, luteusque faciei color, quibus etiam, postquam per sudorem, et per alvum multa excreverat, superaddita sunt denuo febris cum rubore vultus, anxietas, inspiratio profunda, sitis, pulsusque contractus. In hoc stadio undecimo a partu die deficientibus urinis intumuerunt surae, et laevum brachium; inhorruit interdum puerpera; graviter spirabat; urinae pauxillum prodibat sero lactis simile cum albo sedimento. Demum collapsis licet viribus, signisque omnibus pejora portendentibus, sudor unus, copiosus, universalis per quinque continenter dies conservatus emolumento fuit; nam protinus excreatio copiosior, febris et anxietas remissiora fuerunt, urinae multae, coctae, pulsus explicatus, adeo ut puerpera decimo octavo die apyrexica fuerit, noctesque placidas transigeret, dum interea brachii tumor decresceret in dies, omniaque ad bonam valetudinem vergerent, et sic trigesima a partu die domum abierit.

Si signa attente spectemus, videlicet brachii sinistri oedema, tussim primo siccam, et pertinacem, dein pituitosam, et sanguineam; anxietatem praecordiorum; cervicem in cubando erectam, pulsus anomalias, de hydrothorace non videtur esse ambigendum. Multae etiam videntur fuisse viae, per quas judicatio facta fuit; nempe per excreationem, per urinas, et per sudoris profusionem. Ad curaturam usurpata fuerunt decocta ex herbis pectoralibus, oxymel scylliticum, Kermes minerale, postremo vesicatoria, et spiritus fuliginis.

Mulier annorum viginti octo, primipara, nonumque mensem attingens in

Nosocomium inducta est 11 novembris 1785 a febri, leucophlegmatia, tussi, capitisque dolore male habens. Sanguis e brachio detractus est, oxymel cum nitro, et bechicis propinatum. Die tertio, ex quo decumbebat, doloribus uteri repente agitata, circa meridiem puellulam, et tribus post horis marem progenuit. Aliquandiu a partu sensuum expers fuit, quos postea recuperavit superstile pulsu exiguo, motibus convulsivis, et musculorum brachii tremore. Cum sanior mens rediisset, de capitis abdominisque, et pectoris dextri doloribus, et de ardore faucium conquesta, sputa leviter sanguine striata rejecit. Noctem erecto corpore, anxia, tussiens, cruenta expuens transegit; et dum lochia abundabant, caput et venter dolebant; fauces ardebant; pulsus emollitus non resistebat.

Nox item subsequens anhelosa fuit; per alvum, et uterum expurgavit; urinam multam reddidit; reliqua signa mitiora. Sed quinta puerperii die pejora; anhelitus quippe crebrior, pulsus profundior, urinae parciores factae. Ardor a faucibus per oesophagum ad stomachum descenderat. Increscens oedema, siccatis lochiis, artus inferiores, abdomen, dorsum, brachia, magisque dexterum obsederat: cubatio molestissima. Octava puerperii sub exilissimo pulsu evacuavit multa; jamque capite libero, redeuntibus lochiis, desidente oedemate in dextrum latus reclinari potuit. Ita alternante valetudine eo demum res rediit, ut pulsu elatiori urinae copiosae, et aqueae fluerent; artus detumescerent; sputaque alba facili spiritu ferrentur; cutis in rugas contraheretur; somnus placidus subiret; et post dies triginta duos incolumis abiret.

Principio morbi diluentia cum nitro, et oxymelle propinata sunt, dein Kermes minerale, et polygalae decoctum, et oxymel majori dosi. Declinante morbo suffectum est decoctum ligni sassafras, et spiritus fuliginis: vesicatoria pectori, brachiis, et tibiis pluries injecta fuerunt. Radicem scillae in pectoris hydrope semper obfuisse notavit cl. Lentin (1).

Mulier parvae staturae saepius abortum passa, temperamenti caeterum robusti, in hac postrema graviditate leucophlegmatia afficitur, quam dispellere conatus est Medicus decocto aperienti officinali, et pillulis ex radice scyllae. Verum intermisso illarum usu intumuerunt denuo crura, et abdomen cum tussi, spirandi difficultate, et dorsi primum, dein lateris dexteri dolore. Pulsus, lingua, exscreatio nil inflammatoriae indolis subesse indicabant. Igitur dolori embamma ex sinapi impositum; potus ex aperientibus cum oxymelle datus. Interim sub tussis, et doloris molestiis infantem praematurum exclusit octavo graviditatis mense, omniaque exinde sympthomata remissiora fuere usque ad quartum a partu diem, in quo lac copiosum ad mammas ferri coepit. Diem quintam excepit febris cum horrore et aestu, pulsu elato, duro, capite gravedinoso, cuti sicca, lingua parum arida, mam-

(1) Comment. de Rebus in scientia naturali et med. gestis, vol. XXVI, p. 419.

mis et lochiis deficientibus. Octavo die pulsus mollis, minus frequens, caput modice gravatum, et sub molli abdomine lochia parciora. Nono fere eadem, nisi quod vultus puerperae flavescere incipiebat. Tunc omissis fomentis, nitro et aperientibus, ad decoctum corticis peruviani ventum est, quo utebamur etiam admixto cortice, licet sequentibus diebus febris interdum vehementior rediret, mammaeque flaccescerent usque ad partus diem quartum et decimum, in quo ob profusam urinae, et faecum copiam febris desiit. Non multos post dies panem postulavit, cui detumescente corpore, et esuriente stomacho vinum adjectum est, et trigesima a partu die sospes fuit.

Ex historiis, quas modo protulimus, quilibet artis Magister judicare poterit, utrum ex allatis phoenomenis signa pathognomonica hydrothoracis erui queant; dein an sanguinis detractio, ubi nulla gravis subsit viscerum labes, quandoque conferat ad erigendas vitae vires, et ad lymphae cursum promovendum. Denique an ducere oporteat, ubi natura vergit, nempe per alvum, per urinas, aut per sudorem, et exspuitionem; vulgus enim medicorum non explorat naturae conatus, sed pro libidine ducit, quo morbus ire recusat.

Art. XIV.

MORTES

Ab abscessu.

Quemadmodum innumeris propemodum morbis obruuntur foeminae; ita vario, pro diversa earum vitae conditione, mortis genere occiduntur, ab iis praecipue affectionibus, quae saepe numero graves, et occultae sexus organis incumbunt. Juvenca annos nata unum supra viginti ut primum dolores ad pariendum instare cognovit, Modoëtia ad hanc urbem iter pedibus confecit, quo in itinere cum saepius ob urgentes dolores consistere cogeretur, amnii aquae inter incedendum defluebant. Sub vesperam diei 15 jan. 1787 ad Brephotrophium pervenit. Mane diei 16 cognitis iis, quae praecesserant, doloribusque remittentibus febrire coepit; ideoque venam brachii secare, et abdomen fovere jussimus. Ea nocte non sine magno labore infantem edidit, et luteam materiem cum lumbrico evomuit. Postridie sic se habebat, ut post partum assolent puerperae. At insequente nocte febris cum horrore, et ventris torminibus eam prehendit, sub quibus uterus parum contractus, imo dolitans, lochia parcissima, sitis multa aegrae statum infirmabant, ut iterum sanguinem mittere, ventrem fovere, clysteres intus dare oportuerit, tussimque licet modicam oleo cum syrupo compescere. Haec praesidia usque ad diem mensis vigesimum continuata sunt, in quo licet alvus fluidior fuerit, febris tamen et abdomen non imminuebantur, imo venter magis tumidus, durusque efficiebatur, et viribus fractis stomachus dolore, et pondere quodam angebatur. Quae sympthomata cum vermium in intestinis hospitan-

tium metum injecissent, non intermissi sunt potus, et clysteres ex camphora, theriaca, ex succis acescentibus, aliaque iis expellendis dicata. Quamvis abdominis et alvi mollities, quae per hoc regimen obtinebatur, essent bonae notae; tamen pulsus parvitas, et insolitus genis suffusus rubor in deterius ire omnia portendebant. Sympthoma vero fuit ferale dolor acutissimus sub meridie primum exortus versus dexterum hypocondrium cum immani agitatione conjunctus, ut nullibi consistere neque in lecto posset. Hanc anxietatem suscepit pallor, prostratio, mors die 23 mensis.

Secto abdomine ingens lymphae ex flavo rubescentis copia profluxit, quae sicuti ob inflationis vehementiam ex omnium viscerum superficie exsudaverat, sic etiam floccos aut gelatinae, aut lactis concreti deposuerat. Uterus crassus, pallidulus sine notis inflammatoriis repertus est. Tubae dexterae fimbria in abscessum pure plenum abierat, et ovarium laevum ex perrupto abscessu in ulcus sordidum permutatum fuit. Intestina cinerei coloris, flaccida; omentum fere corruptum, et dextrorsum prope costas postremas spurias peritonaeo agglutinatum. Ita patuit interitus causam fuisse inflammationem a suscepto itinere natam.

A lochiorum profluvio.

Mulier annorum viginti, sanae constitutionis, puellulam bene valentem, quam mox secuta est sponte placenta, primo partu edidit hora prima cum dimidia post meridiem diei 16 julii anno 1788. Hora circiter tertia pomeridiana cum expirationes aliquot longiores edidisset, repente obiit. In sindone praeter lochia fluida grumos sanguinis ad duas circiter libras coacervatos observavimus.

Viscera capitis, pectoris, et imi ventris sana examini nostro sese obtulerunt sine fluidi in caveis effusione; vacuitas tamen insignis erat inter pulmones et pleuras. Abdomen fere depressum, non livens. Vasa majora fere inania; intestina nonnihil macerata, cinerea; uterus adeo contractus, ut sub linea horizontali pelvis superioris in caveam imae pelvis se receperit. Ejus parietes duos latos digitos crassi erant; interior area lochiis humida.

Ex iis, quae superius notavimus, dubium esse non potest, quin puerpera asphyxia perierit; nam praecox placentae expulsio uterum vacuum relinquens, subitanea, quae exinde nata est contractio, immanem sanguinis vim intra pauca minuta expressit, qui juxta naturae ordinem intra longius intervallum debuerat evacuari. Hinc ob uterum repente decrescentem vacuitas orta in abdomine; hinc etiam vacuitas in thoracis caveis, vasorumque inanitas ob nimiam sanguinis jacturam, per quam intercepta respiratione asphyxia, mors secuta est.

A vomica.

Muliercula primo utero gravis in Nosocomium illata est 22 novembris anno 1785 febriens, et tussiens, difficulter spirans, et sanguinea sputa exscreans. Secta vena brachii, datisque pectoralibus febris intermisit, meliusque habuit usque ad decimam januarii 1786. Tunc enim pectoris angustia, et leypothimia correpta gravioris mali inditia praesetulit. Etenim modo stertebat, modo tussiebat cum faucium sibilo, et accedente febri cum rigore, doloribus abdominis, paucique sanguinis ex utero fluxu, sputa viscida et purulenta promuit, unde vomicam ruptam esse existimabamus. Tandem instantibus partus doloribus mulier haec triginta annorum puellam mortuam, secundasque corruptas exclusit 23 januarii. Sed eodem tempore quo haec fiebant, et lochia abundabant, mulieri incessit syncope pallentibus labiis, et spuma os obstruente, quam secuta est febris, et tussis aspera cum rauco sono, et tenesmus, et puris exscreatio. Quarta puerperii die, cum importune se e lecto proriperet, animo defecit; dein aucta febri expalluit, et stertit. Plurimum noctu sudavit, postmodum alsit. Suppresso ferme sputo pulsus crebrius micabat, vultus flavescebat, et die secunda februarii vivere desiit.

Reseratum est pectus, in quo cor cum vasis majoribus sanum apparuit. Exemptis cum trachea pulmonibus cavea thoracis dextera angustior sinistra visa est ob dorsi spinam scoliosi affectam, quae arcuate in dexteram caveam prominebat. Pulmo uterque multa lympha praegravatus, quae per cellulas diffusa una cum aëre copiose erumpebat, ubicumque pulmo vulnerabatur. Magis autem subsistebat lympha in utriusque pulmonis tubere, quod ad primas costas spectat, et in his pulmonem dextrum magis affectum cernebamus, utpote subrubrum, et fere exsanguem. Ex ejus parenchymate tum supra, tum infra, tum ex interiori substantia bronchiis proximiore passim humor purulentus levi pressione prosiliebat, qui non ex cystide aliqua, aut abscessu exprimebatur, sed ex totius visceris raritate. Pulmo sinister parum hujusmodi puris habuit. Bronchia, et adstantes glandulae non vitiata; neque abdominis viscera. Bilis pauca, aquea; pancreas ita pallidum, ut aqua dilutum videretur. Uterus contractus non succensus; glandulae mesenterii mole non auctae, sed soliditate fere lapideae.

A metrorrhagia.

Mulier, quae ante multos annos bis pepererat, nunc tertia vice gravida ultimos menses inter aerumnas transegit, et diu febri conflictata, cortice peruviano ejus vim infringere sategit, donec nocte quadam septembri mense 1784, dum ad lecti crepidinem consideret, erumpentis e genitalibus laticis sensit impetum, quem cum sanguinem esse cognovisset, tanta affici coepit maestitia, ut et copia defluentis sanguinis, et animi deliquio jam jam e vita discessura videretur. Haec mentis et corporis imbecillitas, et syncopes

absterruerunt obstetricem, ne partum arte manuali promoveret, satiusque existimavit foeminae exhaustae injectionibus, et fomentis ex frigido aceto, et gelida potione ex mali medici succo opitulari. Dum hisce praesidiis sanguinis fluor cohibitus fuisse apparebat, dirae adoriuntur convulsiones cum pallore, frigore, vomitu, et vacuis mammis febris ingrata adfuit, simul noctis vigilia, et capitis gravedo, et nigri humoris e vagina fluxus; quae febris cum magis incalesceret, postremam quinto die sanguinis effusionem, et sexto mortem ipsam intulit.

Uterus peritonaeo contiguus, amplus, flaccidus, exsanguis repertus est, scilicet nec guttam rubri humoris secando dedit. Ejus crassities dimidii pollicis; liquor amnii coloris maxime fusci; foetus pedes in anticam partem conversi; inferius vero caput facie ossibus pubis obversa. Placentae margines segmento matricis inferiori inhaerebant; centrum autem placentae a vasis uteri solutum directe matricis orificio respondebat. Hoc orificium duorum digitorum capax erat; hinc partu artefacto matrem recuperandi spes non inanis fuisset. Quapropter quoties id infortunium supervenit, ut placenta partim, vel tota ab utero secedat, toties manibus extrahendum esse foetum sedulo admonemus, et, si licuerit, ardenti studio jubemus.

A gangraena hepatis.

Mulieri leucophlegmaticae spirandi difficultate, et crurum oedemate multum conflictatae pillulis e scylla medebatur, quae cum alvum nimis solutam tenerent, roborantia in subsidium vocata sunt. Nocte quadam (septembri 1784) facili et maturo partu foetum exclusit, et paulo post expiravit. Caussam repentinae mortis quaesituri pectus aperuimus, in quo pulmo dexter sanus toti caveae adhaerens; sinister pariter mollis, sed in modico latice fluitans. Ex abdomine secto erupit primo flatus, tum serum fusci coloris. Hepar mole maximum, atrum, flaccidum, nigrum in toto parenchymate, non aliter ac si sphacaelo corruptum fuisset; bilis paucissima, cystis lutea. Ventriculus macula ex gangraena notatus, eo praecipue loco, quo lobus anterior hepatis stomacho incumbit. Reliqua sana.

Gravidae a gangraena.

Comitissa N. annum aetatis trigesimum quintum attingens sextum utero gerebat, jamque partus appropinquabat. Tres priores foetus ob pravum capitis positum pedibus in lucem protracti sunt vivi. Quartus ab ipsa matre mortuus, quintus naturali partu editus fuit. Binis ante pariendi terminum mensibus alvo magis soluta, et anorexia laborabat, foetumque vehementius, quam solebat, palpitare animadverterat. His notionibus a familiaribus exceptis, matronam menorrhagia fuisse correptam noctu diei 21 aprilis anno 1787, et levibus ad partum praeparandum doloribus conjuncta nuntiaverunt. Qua-

propter hora sexta matutina diei 22 advocatus inveni Matronam languentem, carpum utrumque sine pulsatione, brachia perfrigerata, vultum collapsum, absque sanguinis stillicidio, absque consuetis ad pariendum conatibus. Lamentabatur autem Matrona de femoris dextri dolore, quem jam antea pertulerat, praecipue vero de pondere, et quadam adstrictione, et angore circa epigastrium. Caeterum nec aegre spirabat, nec lingua erat hebetata, nec convellebatur. At jactatio, et anxietas quaedam, et animae veluti interclusio praesto aderant, si in alterutrum latus reclinabatur.

Rebus ita male compositis, et quia ratio nulla prohibebat aliquid agere, ubi inertia naturae quodammodo auxilium poscebat, statutum fuit membranas perrumpere, quo fluentibus aquis utero sese contrahendi, et dolores ciendi facultas daretur. Res ita, uti optabatur, cessit: per horae dimidium conatus aliqui ad parturiendum advenere; uteri ostium laxabatur; caput foetus simul deprimebatur; cum supini cubitus pertaesa mulier in sinistrum latus vix revolvebatur, quae jam ad pristinam positionem redierat ob imminentis suffocationis sensum. Tum parientis vires languere magis, et magis eadem pallescere, et frigescere, et opprimi, et se jam jam mori exclamabat. Nec mora intra horae dimidium, et intra horas quatuor, ex quo vocatus fueram, placide exspiravit. Foetus mortuus statim inverso capite eductus fuit, quem sponte aliquot sanguinis grumi, et placenta secuti sunt. Hoc involucrum, uti et foetus nihil praeseferebant, quod uteri labem designare posset. Judicare tamen licet Matronam, cujus cadaveris secandi facultas data non fuit, a gangraena sive ventriculi, sive alterius visceris, quod in epigastrio est, occubuisse, uti in alia puerpera videre contigit.

Puerperae a gangraena.

Illustris mulier altera vice uterum gestans postrema prope partum hebdomada cholera morbo adoritur, jugi nempe vomitu materiae subobscurae, dejectionibus alvi itidem fuscis, doloribus ad epigastrii regionem perquam molestis, cum adstrictione, et agitatione praecipue nocturna, ob quam geminatis doloribus anxias noctes trahebat. Tandem primo diluculo cujusdam diei mense junio anni 1789 ejecit foetum mortuum, sejuncta cuticula livescentem, quem insecuta est placenta pariter livens, et corrupta cum modico lochiorum fluxu. Haec lochia mox fluere desinunt; abdomen cum aëris sono attollitur; pulsus fit celer; vomitus instat cum totius corporis sudoribus; postera die mors ingruit.

Cadaver obtulit gangraenam tenuium intestinorum, superficiei internae matricis, et corruptionem membranae deciduae; caetera sana.

Puerperae a gangraena uteri.

Mulier annorum 37 sex continenter filios pepererat sine damno, nisi quod

a postremo partu vaginae prolapsum cum albo fluore passa fuerat, ob id praecipue, quod famulando victum sibi suisque conquirere cogeretur. Post quatuor demum annos septimum concepit, simulque quotidiana febri, tussi, spiritu angustiori conflictari coepit; donec septimo circiter mense languidi dolores non partum, sed aquarum viridium, foetentium cursum promoverunt. Ita os uteri post aquarum defluvium triginta sex horarum spatio nondum, ut oportebat, hiabat, videbaturque uterus ob putorem vim suam expellendi amisisse, propterea que foetus, qui ob positionis vitium pedibus evulsus est, putridi glutinis causa, quo ejus membra obducebantur, obsistebat chirurgi trahentis conatibus.

Placentam, quae sponte dilapsa, ingens horror, et tremor sine lochiis, tum molesta tussis, et aestus subsecutus est. Qui horror, et calor se mutuo suscipiebant cum tussi, anxietate, pulsu vacuo, celeri. His etiam adjunctus est dolor ad pectus, et inguen dexterum; sordidata fuit lingua; ejiciebantur aliquot ex utero grumi, et vermes ex ano; vomitus instabat aquosorum, et foetentium; mammae laxatae pendebant. Abdomen denique distendebatur cum dolore, et inter anxietatem summam, pallorem, et angorem successit aphonia, sopor, mors quinto post partum die.

Patefacto abdomine fluidi fere lactei, quo intestina et hepar macerabantur, magna copia profluxit, cujus pars in pelliculam concreta, viscera obducebat. Hoc fluidum abdominis nec igne, nec aceto coagulari potuit; sed inter haec tentamenta male olere incipiebat. Hepar magnum, pallidum, bilis pauca. Lien itidem magnus. Pulmones sani. Cor amplissimum, flaccidum, ponderis unciarum XIV, scrupulorum VI: ejus ventriculi ampli, tenues. Uterus mediocriter contractus, intus fuscus, gangraena foetens. Tubarum extrema orificia multum laticis purulenti hauserant; fimbria utraque livida.

A gangraena ob uteri obliquitatem.

Foemina innupta prope quadragenaria, staturae erectae, mensibus ante partum multis febri intermittenti lassata, decima februarii die 1784 aquas Amnii dimisit viridescentes, quin uterus plenius ad partum dispositus esset. Caput foetus a longe sese ostentabat in sinistrum ossis ilii sinum impactum. Abdomen in anteriorem partem veluti cacuminatum protuberabat; dolores admodum lenes fuere. Postero die, parata prius via ope manus dexterae, ut foetus statio dignosceretur, caput instabile in magna pelvi, pedes in anteriora ventris latitare sunt deprehensi, quos manus labore victa arripere non potuit; sed prona in ventrem muliere alius post alium laeva manu prehensus est, atque veluti ex marsupio extracti, in quo latitabant. Pedes secutus est truncus, non caput, quod dilacerata cervice remansit, et foemina lecto tradita paulo post ob ingentes cruciatus animam efflavit.

Reserato abdomine uterus primum in conspectum venit trans umbilicum protensus, sed obliquato ejus corpore, ut fundus sinisterius, cervix vero a

dextris magis propenderet. Uteri longitudo a supremo pube ad fundum aequabat pollices transversos octo; ambitus pollices sexdecim, lineas quatuor parisienses. Superficies autem anterior matricis in duo veluti loculamenta, aut sacculos, superiorem nempe, et inferiorem dispertita videbatur per sulcum profundiorem ipsam uteri superficiem transverse secantem, e regione fere fundi vesicae. Superioris loculamenti paries anterior inflammatus, inferius autem loculamentum lividum totum praecipue a dextris cernebatur. Ob eam uteri obliquitatem ejus ligamenta breviora alia, alia longiora reddita sunt, vel propter inaequale fundi incrementum, vel quia uterus obliquatus fuit propter nimiam ab origine ligamenti sinistri brevitatem; quare, dum crescebat uterus, ad laevam fuit attractus. Tubae dextrae longitudo erat pollicum transversorum septem; teretis ligamenti dextri pollicum quinque, linearum trium. Tubae sinistrae longitudo pollicum quinque, linearum trium; teretis ligamenti sinistri pollicum trium, linearum sex parisiensium. Uteri crassities in fundo linearum novem; versus angulos inter tubarum origines lin. duodecim. Placenta quae dextrae parti matricis inhaerebat, maximam partem soluta inventa est, et spatium inter matricem et secundas lochiis atris refertum. In inferiori loculamento caput foetus, facie ossi ilium dextero impacta, tempus aliud ad os sacrum, aliud pubi obversum habebat. Calvaria ob ossium sincipitis firmitatem nihil omnino compressa videbatur, ut proinde transire nequiverit. Ambitus capitis pollicum duodecim: ab uno ad aliud tempus erat pollicum quatuor; a fronte ad occiput sex parisiensium.

Quot, quaeso, gravidae, et puerperae a latente intus, et incognita labe decidunt, quarum interitus culpam in obstetrices, et Medicos nimis festinanter, et temere rejicit ignarum vulgus? Etenim, quae in utero serpit, gangraena ab exercitatis obstetricibus dignosci forsitan poterit, tum ab amnii aquis foetidis et virescentibus, a secundarum putredine, a lochiorum prava indole; tum ab aliis signis typhoideae febri propriis. At quae viscera attingit gangraena non solum pernosci, sed vix divinari potest. Utraque tamen, quia labes recondita est, et viscera penitus labefactata sunt, consensu Medicorum jure immedicabilis censetur.

Art. XV.

MIXTA

Fistula intestino vesicalis.

Quamvis non tam facile iis fidendum esse admoneat Lambsma (1) qui se alienigenā dejecisse contendunt, quia fraus saepe subesse potest; tamen non infrequentes sunt viae non naturales per quas alvi purgamenta, aliave corpora

(1) Ventris fluxus multiplex, cap. 13. Amstaeledami, 1756.

excernuntur, uti notat Stalpartius (1). Foeminae gravidae ob recentium fructuum immodicum esum tumor cum summo dolore supra umbilicum apparuit, quo rupto bene magna cocti puris copia cum levamine effluxit, flatusque subinde cum stridore et foetore eruperunt; postmodum etiam faeces per eandem aperturam prodibant. Quod factum est per abscessum, intestina et omentum cum peritonaeo connectentem, unde non in ventris cavum, sed foris per fistulam excrementa ejiciebantur. Nec solum per abscessum alienigena evacuantur; sed per ipsam alvum ea exonerari visa sunt, quae ante aliquot menses sumpta fuerant. Sic Stalpartius refert (2) Civem Hagiensem varios cerasorum nucleos mense januario ejecisse, quos praecedentis anni aestate deglutiverat, et in cellulis intestini coli per sex menses haud dubie delituerunt. Idem confirmat Lambsma (3). Mulier diu torminibus excruciata primo globum concretum dein plurima ossa prunorum, quae jam ante annum deglutiverat, ano excrevit. Heterogenea illa corpora interdum crusta in calculi formam vestiuntur. Puellae sex annis ventris dolore afflictae ossiculum pruni crusta calculosa inductum alvo excessit. Ossiculum cerasi, quod diu faucibus inhaeserat sensim tartareo quasi involucro obductum vidit Thomas Bartholinus. Itaque si ossa fructuum devorata sunt, aut medicamenta, quae ex multa terra constant, copiose assumpta; mirum non est calculos in intestinis nasci, atque varia inde genera morborum oriri. Ergo si quando ex inflammatione pus in extimo ventre oritur, ubi primum id apparuit, incidendum est. Nonnunquam id malum vesicam perforat, tunc micturo spiritus per naturalia aeque, ac per anum emittitur, et pars faecum, purisque cum urina effluit, uti ex sequenti historia patebit.

Cum ad innuptam quinquaginta annorum foeminam saepius arthritide vexatam advocatus essem, illius Medicus exposuit: se ejus curam gessisse ab anno exeunte 1784 usque ad vigesimam octobris anni 1785 diem ob hypogastrii dolorem, qui identidem agitabat, et ob urinam malam, quae modo turbata, foetensque cum tenesmo; modo tenuis, et alba emittebatur, si vehementiori dolore afficiebatur foemina: praeterea vaginam flatus explodere solitam nullo alio defluente humore; faeces vero alvinas difficulter et graciles egeri veluti si per angustum tubum compellerentur.

Cum ex hisce signis, licet evidentibus, non satis constare de morbi indole, nec de sede Medico visum esset, exoptarunt consanguinei, ut ego diligentius singula perscrutarer, quae ad diagnosim pertinere possent. Primo igitur rectum intestinum perlustravi, in quo omnia, quousque digitus penetrare potuit, recte se habebant, si quemdam versus uteri cervicem levem quidem dolorem excipias. Vagina, ut oportebat, angusta, et longa, et laevis erat, nec nisi sub urethra quidquam tumidi, et pleni, tactum non ferens

---

(1) Obs. rarior. cent. I, obs. 58, 59, 60.
(2) L. c. obs. 64.
(3) L. c. cap. XI.

percipiebatur. Cathetere alius pridem Medicus indaginem susceperat, quin aegritudinis statum cognoverit.

Rem subobscuram illustravit foemina ipsa coram Medico subjungens: se aliquot abhinc annis a dolore in epigastrii regione turbatam fuisse, atque post quemdam conatum ad umbilicum descendisse, dein eundem cruciatum in malam disenteriam conversum fuisse; ab hac liberata, tormina dein cum crebra mingendi cupiditate hypogastrium occupasse; demum alvi difficultate laborasse, et cum faecibus cruenta vel mucosa dejecisse; menstruas purgationes jam diu emansisse, nihilque amplius ex utero profluxisse. Quibus dictis adjungebat hypogastrii dolorem versus pubem, urethram, ejusque orificium sese extendere, neque ultra sive ad renes, sive ad femora esse protensum, qui si forte mitigabatur, aut desistebat, se cibum sine fastidio sumere, atque spatiari posse.

Audita hac narratione, statim mecum cogitavi materiam arthriticam ab epigastrio ad umbilicum et hypogastrium delatam, in plica, seu septo peritonaei, quod rectum a vesica dividit, substitisse, et in cellulari textu eas partes ambiente inflammationem concitasse, natumque exinde abscessum, intestinum, vaginam et vesicam perforasse. Et profecto cruciatus, tenesmus, foetor stercoreus, qui urinae furfurosae emissionem comitabantur, flatus item, qui ex ea parte explosi dicebantur, nullum dubium de intestini recti cum vesica communicatione relinquebant. Verum ex recto intestino non ejiciebatur materies illa fluida, et graveolens, quae per urethram ferebatur. Quod ideo eveniebat, quia forsitan altius intestinum perforatum erat. Nam cum dysenteria ex crassi intestini ut plurimum succensione orta, tunicam mucosam exulceret cum luminis ejusdem angustia, facile intelligitur quomodo intestinum inflammatum vesicae urinariae agglutinari, et supra locum angustatum disrumpi possit, et in vesicae cavum liquidiores faeces, flatus, saniemque delabi sinat.

Dubium erat an recte faeces ex crasso intestino in vesicam, an contorte transirent; nam sub intensiori dolore urinae albae fere sine hypostasi secedebant. Quapropter videbatur inter crassi intestini et vesicae confinia sinum aut marsupium aliquod interpositum fuisse, in quo faeces retinebantur, dum ejus ostium ab acerbiori dolore contrahebatur, quo vero relaxato, contenta in vesicam delapsa eandem ad expulsionem sollicitabant. Varia deinde valetudine usa est haec foemina saepiusque ei vulva crepitavit. Die 27 martii anni 1786 iterum accersitus foeminam malo oppressam inveni, relatumque fuit duodecim posterioribus diebus stercora intestini viam relegisse, urinis vix foedatis; sed magno molimine expressis; quam ob causam dolores in hypogastrii regione incrementum coepisse; indeque alvi dejectiones substitisse, clysteresque, qui alvum reserare debebant, solo sanguine et muco permixtos fuisse rejectos.

Post haec venter magis indoluit, intumuitque cum duritie per totam lineam abdominis tendineam, accessit febris cum urinae parcimonia, dejectio fluida, flavescens, puriformis, torminosa, anxietas, vomituritio, quae omnia suspicio-

rem movebant stercora in abdominis cavum penetrasse. Tandem abdomine magis magisque distento, pulsu molli, vacuo, anhelitu, languore oppressa foemina, dum acutam et flebilem vocem edidisset, pauco stercore e naribus elapso clausis maxillis expiravit 7 maij.

Sensus vulvae molestus.

Robusta Matrona binos infantes sat feliciter in lucem protulit, quamvis tam ante, quam post conjugium menstrua parca, et incertis temporibus procederent. Cum foetare desiisset, paulo licentius veneri litabat; nam maritum amplexatura vel stabat, vel a postica admittebat, quo fiebat, ut cum uterus magis urgeretur, aliqua ejus oris particula, quam designare nunquam potuit, tam exquisite sentiret, ut eam sibi quasi suggillari existimaret. Sed praeter suggillationem molestia quaedam non illico, sed aliquot a concubitu horis exoriebatur, quae a puncto dolente sinistrorsum ad nervum pudendarum, ad ischiaticum, ejusque propagines ad malleolum externum usque diffundebatur. Quae molestia dum primis temporibus intra horae spatium solvebatur, deinceps producto paroxysmo ad complures horas et dies extendebatur, in quibus vulva male affecta concubitum ferre non poterat. Exemplo sit conjugatis, ut unusquisque vas suum in honore conservare sciat juxta Pauli consilium.

Fungus cervicis uteri.

Si qui proprio abutuntur corpore gravibus, et anomalis subjacent aegritudinibus; aeque difficilioribus malis obviam eunt eae virgunculae, sive impuberes, sive vix puberes, quae in tenellula illa aetate hymenaeo invito plerumque animo junguntur. Puellula annorum quatuordecim viro concredita sanguinem amittebat, quoties cum ipso congrediebatur. Cum primum utero habuit, in sanguinis fluxionem incidit, et sexto mense abortum fecit. Iterum utero concepit, conceptumque revolutis mensibus edidit; sed ad quemvis deinceps mariti amplexum plus minus sanguinis stillabat. Nicaeam ligusticam profecta lauta mensa, et calefacientibus assueta, pinguiorem habitum adepta est quidem, sed menorrhagiis identidem, scilicet per sesquiannum, erat septima septembris dies 1801, in qua haec annotavi, deprimebatur, ut fere exsanguis, pallida, languidula esset. In hoc statu uteri orificium annulo fungoso, extanti cingebatur, qui non solum attactu, sed etiam erecto corpore rivulos sanguinis tenuioris demittebat veluti ab expressa spongia manantes.

Farrago medicamentorum antehac sumptorum prorsus inefficax fuit. In hoc periculo nil aliud suadere licuit, nisi ut subinde turundas pulvere exsiccante onustas ad uterum admoveret, quod effectu non caruit; nam per integrum mensem a sanguinis jactura immunis fuit, et ejus loco multum serosi laticis effluxit; et licet menstrualis ordo non fuerit turbatus, tamen

fungus magis magisque indurescebat praesertim intestinum versus, spretisque reliquis, si qui erant, auxiliis, eum sibi habitum comparavit, ut plures annos sine gravi molestia supervixerit.

Erunt fortasse, qui praesument fungosam illam excrescentiam fuisse excidendam; sed praeterquam quod ad id efficiendum nondum propositum erat idoneum instrumentum, dubia movebantur gravia de sanationibus, quas a resectione cervicis uteri se obtinuisse gloriabatur Göttingensis Osiander.

Carcinoma a febre.

Foemina triginta annorum virum non passa, dum in claustro famulabatur, a febre, quam scarlatinam vocant, male habuit, eaque superata, continua menorrhagia affecta est, quam ars fraenare non valuit. Segmentum uteri inferius, ejusque osculum, tum dextrorsum in hypogastrio particulam dolentem induruisse tactu recognovimus. Jamque eo malum processerat, ut corporis habitum luteum, marcidum cum ciborum fastidio contraxerit famula, atque invitis cicutis mortem oppetierit anno 1802.

Mastodynia strumosa.

Ludovicus Mercatus inter mammarum affectiones, praeter jam vulgo notas, memorat duritiem quamdam, quam in glandulis mammarum secundum naturam existere putat; sive novam glandulosi tumoris generationem aut dolentem, aut dolore carentem; sive fluxionem citra inflammationem, quemadmodum tonsillis, et columellae accidit (1). Hic tumor longe a cancri natura distat, atque ad scrophulam vergit, quemadmodum Celsus recognovit, inquiens: nascuntur (strumae) maxime in cervice, sed etiam in alis, et inguinibus, et in lateribus. In mammis quoque foeminarum se reperisse chirurgus Meges author est (2). Caeterum longo spatio sine molestia detinent. Rodericus a Castro (3) mammis scrophulas adnasci in foeminis pluribus exemplis ipsi compertum esse tradit, quae in eodem statu pluribus annis sine ulla exacerbatione persistunt.

Affluente igitur ad mammas eodem humore, qui colli, uterum, inguinisque glandulas infarcit, vel posito eodem solidorum vitio, ut aliis placet, necesse est, ut intumescant mammarum nodi, et scrophulae suboriantur. Fortassis hocce vitium in primigenia glandulae mammillaris structura, quae dici potest conglomerata, situm est; nam durescentes hujusmodi nodi a prima jam pubertate percipiuntur, dum mamma in orbem explicatur. Tunc utraque ut plurimum scatet tuberculis non dolentibus, quae veluti a centro

---

(1) De Mulier. Affection. lib. I, cap. 17.
(2) Med. lib. V, cap. 28, 7, de Struma, edit. Comini.
(3) De Morb. Mulier. lib. I, cap. 19.

communi per mammulae ambitum disperguntur non secus, ac in puerperis dum colostrum influit. Hujusmodi tubercula in nubilibus obvia nec cutim, nec pinguedinem inficiunt, quae naturalem colorem, levitatem, et mollitiem servant. Interdum vero compressa, aut irritata aliquo afficiuntur dolore, qui tamen lenientibus mature appositis sopitur.

Tres praeter alias memoria teneo puellas, quarum prima sicci temperamenti, et bene menstruata mammulas inaequales, nodosas habebat, atque in sinistra tubercula aliquot indolescentia. Haec anno, postquam illam observavi, marito juncta feliciter puerperium superavit. Altera pinguior, et leucorrhaea affecta, tuberculis alternatim dolentibus, in mammis affligebatur. Post primum partum lac ea copia affluxit, ut ipsa nutricis munere functa sit. Postrema praeter mammarum nodos, etiamnum coelebs, eum corporis habitum nacta est, qualem diathesi scrophulosa laborantes praeseferunt.

MONITUM

Art. II, *pag.* 15, *lin. ult. Bregmata lata.* Hoc nomine non intelliguntur ossa sincipitis; sed spatia illa membranea, et cedentia in foetu, anterius suturam coronalem inter, et sagittalem, retrorsum sagittalem inter et lambdoideam comprehensa, quae vulgo *fontanelle* dicuntur. Hoc spatium quo amplius est, et magis cedit, eo facilius foetus caput minuitur volumine, et paulo compressum expedite arctiores vias pertransit.

CAPUT XVII.

PUERILIA

Omnes morbos omni aetate, et tempore, et loco fieri prodidit Hippocrates (1). Vix enim in lucem venit infans, cum plus minus exitialibus statim morbis tenetur. Quamobrem Romani ante octavum diem pueris nomina imponere nolebant, quia ea aetate neque vita, neque sanitas satis tuta erat. Postquam enim maximo labore in lucem prodeunt puelli, aëri, quem primo inspirant, frigidiori certe quam tepida aqua, cui prius innatabant, assuescere necesse habent, a quo saepe laeduntur ita, ut vagire, et sugere nequeant. Alii autem morbi cum ipsa prole in utero congenerantur, de quibus in prima Exercitationum parte aliqua verba fecimus; nunc alia quaedam, quae deturpant, vel jugulant tenerum infantem exponere pergimus.

---

(1) Aph. Sect. III, aph. 3. Morbi alii ad alia tempora bene vel male se habent, et quaedam aetates ad tempora alia, et loca, et aliud victus genus. Vide etiam ejusdem Sectionis aph. 24, 25.

Art. I.

ANATOMICA

Urachus humanus.

Urachus in foetu quinque mensium componitur ex quatuor filamentis, qui prope umbilicum conjuncti sunt, deinde sensim divergunt descendendo, atque bini super vesicae latera disjiciuntur; tertius partem anteriorem vesicae ad cervicem usque legit; quartus ad vesicae posteriora disperditur. Singula filamenta vaginam cellulosam a peritonaeo accipiunt, et inferne fibris vesicae muscularibus miscentur. Quo magis adolescit foetus, eo magis ea filamenta compinguntur, ut non solum difficulter sejungantur, sed in provectiori aetate cum uracho fere evanescant.

Usus itaque urachi in foetu ille videtur esse, ut firmet vesicam, et in sede fixa sustineat, quia in foetu extra pelvim collocata est; et fortassis ideo arctior in foetu pelvis est, quo partus expeditior sit. Cum vero inter carneas fibras fundi vesicae intercapedines extent, inter quas interior membrana urgetur, et in tumorem quandoque attollitur; ita si haec membrana laxatur, et a fibrarum contractione propellatur sic, ut in aliqua parte hiet, per eum meatum, non per urachum urina defluere potest.

Uteri cervix.

Iterato mihi observare contigit in tenerioribus puellulis uteri cervici inesse caveam multo ampliorem, quam in ipsius matricis corpore, hancque caveam muco translucido opleri. Orificium externum cervicis seu vaginale, rotundum et rugosum apparet, neque ita solidum ut in adultiori virgine, quod naturae indicat solertiam, quae mollitudine partium, et mucoris praesentia leviter distendit et humectat, ne parietes hujus canalis se mutuo conjungant, et cohaereant. Interdum adeo abundat hoc albumen, ut leucorrhaeam simulet, et si abdomen comprimas, plurimum ejusmodi mucoris ex naturalibus prosilire videbis.

Embryon.

Foetus ante partum extincti fauces viridi materia cum muco obstruebantur, quae et per oesophagum, et per tracheam diffundebatur usque ad bronchia. Lingua ab eadem materia infecta plus quam oesophagus virebat. Idem color virescens minus satur erat in ventriculo, in quo mucus abundabat. Meconium pauca quantitate in solo recto intestino haerebat. In gibba hepatis superficie vesicula atro sanguine plena, pulmones mergebantur. Hymen a quatuor particulis magis extantibus compositum erat; quae cum totidem rugosis columnis iisdem particulis adnexis ostium claudebant. Hae columnae

per vaginae longitudinem decurrebant usque ad matricis orificium, ubi in transversas rugas mutabantur. Uteri osculum calamum scriptorium recipiebat; caeterum muco infartum, uti et superior vaginae portio. Osculi margo a quibusdam extantibus papillis inaequalis reddebatur, et uteri cavea minor erat illa, quae in cervice existebat.

Foetus partu laborioso natus sine vita, aquas amnii virides habuit, placentam cum funiculo fracidam, hepatis superficiem gibbam inflammatam. Stomachus perpendicularis erat, quod non a mole hepatis, ut voluit Portal, sed a cibi inopia evenit; etenim cum primum alimenta capit, paulatim in transversum distenditur. Capsulae renales latae ita, ut fere dimidium renis contegerent. Oesophagus, et trachea humore viridi farta, qui tamen ad stomachum, et bronchia non pervenerat.

In sex mensium foetu humor crystallinus sphaericus reperiebatur ita, ut aqueum supleret, qui parcissimus fuit. Cerebrum molle veluti lactis coagulum: cortex cinereus deficiebat. Thyrreoidea glandula ruberrima, solida. Ungues tenuissimi, sine laceratione, sine sanguine separabiles. Epidermis a cute ambusta secedebat. Abdominis viscera supremam regionem tenebant. Vesica urinaria ad umbilicum pertinebat: colon sursum ita corrugatum, ut coecum cum appendicula sub cystide fellea esset. Meconium in recto, et in flexu ultimo coli, quod utrique ilium ossi insternebatur. Ventriculo et jejuno inerant lymphae viscidae cum albis ramentis. Bilis pauca, insipida, dilutissima.

Quadraginta dierum embryo perfectus erat quoad singula membra. Oculis semicirculus niger, veluti lunae decrescentis inerat. Funiculus umbilicalis ex tribus diaphanis vasis conflatus, et tortuosus. Placenta omnino, ut ajunt, vascularis; ejus parenchyma aquae innatabat, emittens alba filamenta non secus ac testis diu maceratus. Chorion qua parte utero adhaerebat, ob crassitiem morbidum, maculis quibusdam liventibus notatum. Costae in alborum arcuum formam constitutae; ossa cylindrica nucleum album in diaphysi habebant.

Pulmones.

1. Foetus maturus, sed in utero praemortuus, natus est ex muliere primipara, venerea labe infecta. Infans praeterquam quod nulla vitae signa dederat, caput habebat quassatum, compressum, et cuticula a corpore toto secedebat. Post biduum aliquas putrefactionis notas offerebat cadaverulum; cuticula enim magis laxata separabatur sponte a subjecta cute; abdominis musculi livescebant; caveae thoracis et abdominis lympha subobscura, rubella scatebant. Pulmones tamen, quantum observare licuit, sani erant, neque sanguine infarti cernebantur. Igitur frustula ex utroque pulmone concisa, aquae sive frigidae, sive calidae immersa, statim fundum petierunt. Frustula autem reliqui pulmonis, qui siphone aërem acceperat, singula supernatarunt.

Putredo igitur non statim pulmones inficit, etiamsi diebus aliquot mors antecesserit.

2. Puerulus abortivo partu exclusus sexto gestationis mense duabus dumtaxat horis debilem vitam protraxit. Ejus pulmones non erant floridi, aut dilute rosei, ut in iis qui diu respiraverunt, neque tamen sanguine praegravati, aut putrescentes. Frustula omnia ex parenchymate consecta et aquae injecta submergebantur. Insufflato per tracheam aëre, visus est primum penetrare in extimas pulmonis cellulas, et cum id absque violentia fieret, accidit, ut ob inaequalem aëris distributionem frustula noviter excisa alia natarent, alia subsiderent.

Ergo si pulmones foetus, qui vixerat, fundum petunt, ideo non probatur, foetum non respirasse; quia languide respirando infans horas aliquot vivere potest, quin aër totum pulmonem pervadat. Hinc argumentum non valet ad criminis arguendas Matres, quorum filii, licet vivi enixi fuerint, ob debilitatem, et alia incommoda pereunt paucis a nativitate horis.

3. Puellula, quae maturo partu toto corpore livens in lucem prodiit, priusquam respiraret, vulvae propius applicata fuit absque funiculi recisione, ibique retenta, donec spiritum duceret, et vagiret. Postea tametsi aërem hauserit, nec vagivit, nec lac sumpsit, et quinto die obiit. Hujus dexter pulmo dissectus natavit; sinister subsedit.

Argumento id est in debilibus infantibus non aequabiliter aërem penetrare; ad respirationem non utrumque pulmonem requiri; item primam respirationem esse pulmonis dextri in neonato, ut probavit Portal (1).

4. Puellus praemature natus, debilisque triduo supervixit. Pulmo ejus dexter coloris rosei supernatavit. Sinister pulmo ater, sanguine gravis demersus est, praesertim fragmenta ex lobo posteriori detracta. At quae ex lobo anteriori abscindebantur, innatabant; erant enim punctis floridioribus, in quae aër irrepserat, distincta.

Hinc deducitur 1.° Aërem facilius penetrare in pulmonem dextrum tum ob bronchii brevitatem, et amplitudinem prae sinistro; tum ob ejus directionem quasi rectam. 2.° Quod ad respirationis officium non totus pulmo requiratur, sed aliqua tantum pars, aut lobulus, ut patet etiam ex iis, quibus ob phthysim, vel empyema pulmones fere consumpti fuerunt. 3.° Quod aër non irruat in pulmones neonati eo impetu, quo a physicis creditur, quod nempe pulmones violenter afficiat, et simul distendat.

5. Puella praematura, ut videbatur, aut saltem imbecilli corpusculo nata nunquam ubera suxit, vomuit viridia, et quinto ab ortu die obiit. Hujus pulmones erant maximam partem atro colore praediti, hinc inde punctis et areis laete rubentibus interstincti. Hinc utriusque pulmonis particula, quae plus sanguinis retinebat, mergebatur; alia, quae plus aëris acceperat, innatabat.

Ex hoc experimento iterum liquet aërem non aequabiliter in pulmones irruere, nec singulas cellulas aut aeque, aut eodem tempore distendere.

---

(1) Mém. de l'Acad. des Sciences, 1769.

6. Puerulus praematuro partu enixus respiravit, et demissa, flebilique voce vagiebat; sed eodem die post sex circiter vitae horas respirare desiit. Postridie examinavimus pulmones: uterque sanguine turgebat, uterque punctis hinc inde magis obscuris in superficie notabatur. Pulmo sinister totus subsidit; totus item dexter mersus est, excepta ea particula in gibba ejus superficie, quae costas supremas contingit.

Respiravit itaque, et vagivit paulisper, licet parcissimo aëre uteretur. Ergo tantillo aëris vivitur?

7. Septimestris foetus foemineus in lucem editus vitam ad duas horas duxit, dein animam efflavit. Hujus pulmones non videbantur aërem recepisse, neque enim atri, neque rosei erant, et vesiculae aëreae potius compressae, venaeque sanguine turgere videbantur. Ligato sejunctim unoquoque pulmonum vase sanguifero, et expresso aëre tracheali, tubulo aër insuflatus est, et ecce primum dexter, tum sinister pulmo aëre turgescere, et pallescere visus est, tum concidere protinus ac sufflare destitimus. Id iterum tentavimus in foetu, qui nondum aërem vitalem hauserat, et eventus experimenti idem fuit.

Hinc statuendum, vasa pulmonum esse collapsa et corrugata, ubi foetus non respiravit; quando vero respirat, explicari ab illabente aëre paulatim rugas, et vasa tum sanguinea, tum aërea; nec solum dilatari ramos, et ramulos bronchiorum, sed etiam sanguineorum. Nam quousque in utero manet foetus, ea sanguinis copia per pulmones transit, quae illos graviores reddit, et subsidere cogit. At dum infans lucem aspicit, et funiculus ligatur, tum obstructa sanguini via, qua extra corpus ferebatur, major adhuc copia sanguinis in pulmones irruit, quam copiam non reciperet pulmo, nisi aër subiret, et nisi vasa ita essent comparata, ut facili negotio ab aëre queant distendi, et produci. Quod jam confirmatum est ab anatomicis (1) qui vasa rugosa observarunt in foetuum pulmonibus.

8. Foetus jam pridem extinctus ex Matris utero extractus est. Inhumatum hunc servavi decem et octo diebus ab 12 ad 29 martii, ut quantam posset putredinem conciperet. Ultimo die foetum horride foetentem dissecui. Aperto thorace pulmones rosei coloris, veluti in iis, qui spiritum hauserunt, conspecti sunt. Dexter pulmo in frustula concisus natavit, et inter incidendum aër vesiculis contentus crepitabat sicut in emphysemate. Sinister pulmo itidem roseus, strias tamen quasdam habebat coloris violacei, et atri, quas aër non subivit; attamen totus pulmo e pectore extractus natare visus est. Contra thymus experimenti causa in eandem aquam projectus extemplo subsidit.

Hinc fallax esse judicium dicendum est iis in casibus, in quibus pronunciandum est, an foetus exhumati vitali aura potiti fuerint; an eadem ca-

---

(1) Vide Morg. De Sedibus, ep. XIX, n. 45. — Haller, Op. Minora. De Respiratione.

ruerint. Si enim natare pulmonem viderint, et si in eo putredinis signa non recognoverint, foetum respirasse exclamabunt, quod observationi adversatur. Perspicitur etiam quod pulmonum, vel potius sanguinis roseus color ab aëris praesentia pendet, qui color in foetus pulmonibus ante respirationem extincti livens aut ater esse solet. Nec idem livescens color sanguinis copiae, quae pulmonem infarcit, et praegravat, accenseri debet, si physicis credimus, sed aëris vitalis defectui, quem non nati haurire non poterant.

Art. II.

MORBIDA

Percussio.

Notum est vulgo infantes nonnullos incaute admodum custodiri, duriusque a nutricibus et ancillis haberi. Ita etiam matres quandoque propriam prolem inclementer tractant. Cujusmodi una satis mihi cognita infantem bimulum, erat enim valde irrequietus et iracundus, saepius et graviter in caput percutere solebat, qui postea in soporem incidit, et tandem in mortem. Aperto capite nil inventum est mali praeter singulos cerebri ventriculos nimium a stagnante lympha distentos.

Hanc observationem excipit altera ejusdem ac prior naturae, sed a causa omnino diversa profecta. Vir quidam lateris dolorem cineris calidi applicatione fugavit. Haud multo post gravi cephalaea prehenditur. Mittitur sanguis; sopitus vagatur oculis; ammissa loquela fatui instar brachia incerta attollit; inflammationis notae sunt dubiae. Noctu quam vehementi delirio agitatus cecidit in occiput, ex qua concussione commotus mane loquelam recuperavit. Post biduum extincta iterum voce, et convulsionibus tonicis exagitatus occubuit. In defuncti capite ventriculos cerebri superiores aqua limpida repletos deprehendimus.

Eclampsis.

Infans dierum quatuor convellitur; riget maxilla inferior; manus, et pedes livent. Vesicatorium cervici, scrobiculo cordis cataplasma aromaticum imponitur; intus sal volatile succini propinatur. Dum livor manuum evanescit, succedunt aphthae in oris cavo, et gastrocnemii musculi obrigescunt, quibus, totique pedi cataplasma aromaticum superdatur. Interim genae molliusculae fiunt, et lactatus facilior. Sub usu salis volatilis modica febris octavo die excitatur, livor imminuitur. Nono die iterum convellitur; adhibetur cataplasma, et haustus ex spiritu cornu cervi. Duodecimo die bis convellitur: decimo quinto, iisdem praesidiis continuatis, genae molliores redditae, pedesque minus liventes, et cruris musculi emolliebantur sic, ut in dies convalesceret infans, et vigesima morbi die nutriendus daretur agricolae anno 1783.

Infanti luminibus orbato, et lactenti, cum bis eodem die eclampsia affectus esset, illico vesicatorium superdatum, et sal volatile succini ad grana duo exhibitum fuit. Hic lac optime hauriebat, neque genae rigebant. Sexto die rediit eclampsis, cauterium cervici inuritur. Postridie, etsi melius habere visus sit, et lac capere non desierit, viridia tamen copiose dejecit, et octavo die mortuus est.

Cerebrum in hoc infante mollitum, et ob aquae copiam diffluens inventum est. Lymphae item limpidae copia in singulis ventriculis: sanguinis fere nihil.

In viro ex adustione demortuo, qui fere quotidiana agitabatur epilepsia, cerebrum solidius, et tenax fuit; at ventriculi, et praecipue superiores multa lympha distenti. Aliud nullum in cerebro vitium.

Jam pridem notaverat Willis (1) saepe abundare serum in cerebri ventriculis apud pueros convulsioni obnoxios. Buchave eclampsis causam in maeconio non rite expurgato, et in lactis aut nimia copia, aut crassiore indole locandam esse censuit, unde dolores primum suboriuntur, et vomitus, et macies, postremo eclampsia cum viridium dejectione. Damnat hic auctor oleosa; laudat absorbentia cum oleo tartari per deliquium, et rheum; item salia alcalina, ovi luteum, saponem. Ipse Buchave maximo cum fructu praescripsisse ait emulsionis ex seminibus officinalibus uncias sex, salis tartari alcalici unciam dimidiam, cujus guttas viginti, ter, vel quater per diem infanti porrigere jussit. Mandavit simul nutrici, ut eandem dosim ipsa caperet, et victum ex carnibus institueret. Postea ad roborandos infantes confecit pillulas granorum duorum ex offae Helmontii partibus novem, fellis bubuli parte una, et radicis ari in pulverem redactae ea quantitate, quae sufficeret ad singula haec permiscenda. Harum pillularum duas, tresve, bis, vel ter quotidie cum lacte exhibebat, qua medicina abdominis viscera ad naturalia officia restituebantur.

Haec Buchavii affectio eadem esse videtur, quam Brendelius in Programmate de spasmo maxillae inferioris in infantibus descripsit, et vulgavit (2). Afficit Gottingae declinante potissimum in ver hyeme, et si quos prehendit, superesse vix sinit. Tres anniculos infantes sic leto datos vidit Brendelius. Post graphicam sympthomatum descriptionem causam Brendelius in nervis quinti paris, et propiora cum illis commercia habentibus inquirit; sed undenam isthuc impetum faciat morbus, non satis patet. Suspicatur autem et ipse ex primis viis repetendum esse impetum propter consensum sympathici maximi, et medii cum nervis partium superiorum; tum etiam ex vitio hepatis, bilisque: nam faeces maeconio similes, virides, foetentesque prodeunt. Pusionem servavit sponte subortis per totum corpus ulcusculis. Vesicatoria non profuerunt.

---

(1) De Morbis Convulsivis confer. — Haller, Elem. Physiol. tom. IV, p. 327.
(2) Gottingae 7 maji 1757.

Michaël Underwood (1) Auctorum divisionem imitatus, convulsionem in Idiopathicam et Sympathicam distribuit, quae differentia aegre admodum a Medicis discernitur, quia causae plurimae, variaeque nervos distendere possunt; scilicet quaecunque stimulando agunt. Bene vero agit, dum convulsionum sedes in cerebro est, praecipiendo hirudines, et vesicatoria; tum sic dicta antispasmodica, uti succinum, castoreum, hyosciamum; olea rutae, succini; oxydum zinci, anthelmintica, prout his opus est; demum cauteria si malum pervicax sit.

Sed prae omnibus optime ad Hippocratis mentem de Infantum convulsionibus disseruit Brachet D. M. Lugdunensis (2). Hic omissis variis scriptorum nominibus, et significationibus retinuit vocem *Convulsio*, spasmus Hippocratis, quae denotat quamcumque nervorum distensionem sine spuma in ore, excepto tetano. Eclampsis igitur tenellos pusiones invadit, videturque esse congestio aliqua sanguinis, aut lymphae in cerebro. Causae generales convulsionum sic ab authore enumerantur: teneritudo infantis et mollities; organorum explicatio rapida, tum haereditaria praedispositio, terror, casus, insolatio, aurium et intestinorum vermes, devoratio crudorum, venenatorum, cicutae aquaticae, purgantium, dentitio, maeconii retentio, abscessus in aliqua parte, corpora item heterogenea intrusa, aut infixa, haemorrhagia, nutricis ira, calculi renum, et vesicae, contorsio articuli, eruptiones cutaneae, frigus, motus rotationis vehementis, masturbatio, suppressio exanthematum, scrophula nimiae sensilitati conjuncta, syphilis nativa, esca intermittentis febris.

Hisce praemissis descendit cl. Brachet ad investigandam causam convulsionis proximam, quam eruit 1.° ex Morgagno ab inflammatione, vel irritatione menyngum, estque Arachnitis. 2.° ex Lallemand, uti abscessus, serum, aliaeque causae fibras medullares proritantes, estque irritatio cerebralis. Hasce causas irritantes in physicas et morales interstinguit auctor, quae postremae ab animi passionibus, et spiritus contentione derivant. Hinc concludit causam unicam convulsionum esse *irritationem*, a quocunque demum stimulo fiat, seu a qualicunque encephali laesione procedat.

Inchoanda est curatio a placantibus remediis; quamobrem Brachet exhibet flores sublimatos zinci cum extracto hyosciami nigri veluti sedans pharmacum, ubi nulla sit organi laesio. Deinde praescribit calomelani grana xij, et digitalis purpureae grana IV in partes sex dividenda, quarum priores duas singula hora dimidia capere jubet, reliquas binis unamquamque horis. Cataplasma ex sinapi cruribus, et pedibus imponit jugiter; interdum vesicatoria cervici vel femori, aut cauteria inurit, et si ex signis praenosci potest congestio in cerebro sanguinea, hirudines temporibus affigit; balneo etiam dimidium infantis corpus demergit, praecipue si is hilarior, robustus sit, et sanguineus.

(1) Traité des Maladies des Enfans, chap. des Convulsions.
(2) Mémoire sur le causes des Convulsions, ec. chez les enfans. 8.° Paris, 1824.

Postquam hunc curationis ordinem descripsit, aliquas subjicit animadversiones circa usum et virtutes medicamentorum, quae in convulsionum periodo usurpari solent. Praemonuit jam Brachet se oxydum zinci commendasse ad sedandam irritationem, non vero ad tollendum morbum, qui alia exigit auxilia. Opium utiliter usurpari potest si prudenter, neque adsit congestus cerebralis. Succinum, moschus, castoreum et similia, etsi aliqua virtute antispasmodica polleant, tamen concitant potius, et adhibenda sunt, ubi ex morbo vires fractae sunt. Hyosciamus niger prae aliis vegetabilibus vi stupefaciendi donatis palmam meretur, aliorum enim torpentium dubius, vel noxius usus est. Alcali volatile propitium est auxilium praecipue, quando cerebri irritationem ad cutem revellere potis est. Aethereae substantiae, fluida alcohoolica, et alia stimulantia in chronicis potius, quam in acutis convulsionibus usurpari debent.

Restat, ut singularem Auctoris animadversionem in medium proferam (1) scilicet, quod vermes (lumbrici) hospites sint innocui, et pacifici, qui ut plurimum non vexant, quamdiu sani sunt et vegeti; at dum infirmantur, nocere possunt, et gravia inferre pericula, vel ob irritationem mucosae intestinalis, vel propter volutationes inordinatas, vel propter intimiorem adhaesionem parietibus intestinorum; demum ob evacuationem excrementorum, aliorumque humorum vitiatorum.

Hydroa.

Hydroam in quinque pusionibus vidi exeunte julio, et ineunte augusto anni 1784, et haec a lactentibus infantibus in nutrices transfundebatur. Sunt autem hydroae pustulae miliares (2) limpido sero repletae, basi paulum rubente, quae postremo in pus abeunt. Exoriebantur primo in manuum dorso, deinde conscendebant sensim brachia, vultum, pectus, abdomen fere absque febri. Pruriebant non secus ac scabies, et dum serum purulentum apparebat, disruptae ulcusculum subrubrum, planum relinquebant, quo siccato epidermis in squamulas furfurosas decedebat. Pustulae autem erant confertae, saepe cohaerentes praecipue in facie, ubi erythrematis speciem nanciscebantur.

Curatio peracta fuit lotionibus ex lactis sero, ex aqua puteali, cui sambuci flores et folia incocta fuerint, unctionibus oleosis; tum pthisanis mulcentibus et catharcticis. In adultis morbi periodus longior fuit; nam altera ex nutricibus, quae medio julio aegrotare coepit nonnisi septembris initio expurgata fuit, succrescentibus identidem novis hydrois pure plenis, et prurientibus.

---

(1) L. c. p. 224, Sect. secundae.
(2) Sauvages, Nosol. Meth. cl. I, ord. 2, 10.

Dejectio viridium.

Per fervidam aestatem in Brephotrophiis praecipue alvi profluvio modo cruento, modo cineraceo, modo viridante pusiones male habent. Initio morbus fere sine febri est; tum febri associatus ciet tormina, dejiciuntur cruenta, aut mucosa, aut aquosa, dein viridia et saniosa, aut permixta, quibus tormina intenduntur, squallor et macies corpus occupat; labuntur vires, caligant oculi, et mors praesto est. Quae vomitum movent, quae fermento aërem excludunt, cortex cinchonae, cascarillae, mali medici succus, et quae dysenteriae opponuntur, huic malo non opitulabantur. Aliquos servavit simaroubae cortex, miva sambuci, acidum vitrioli, tum percolatus hordei cremor, et oryzae, aqua furfuris per inferiora infusa, et vesicatoria brachiis, tibiisve admota. Hanc aegritudinem Celsus sic descripsit (1). Dejectionibus quoque (medicinae locus non est) si febris accessit; si inflammatio jocinoris, aut praecordiorum, aut ventris; si immodica sitis. Si alvus varia; si cum dolore est, etiam mortis periculum subest. Isque morbus maxime pueros absumit usque ad annum decimum.

In denatorum visceribus haec visa sunt. Stomachus persaepe vacuus, albidus, ampliatus interdum, interdum punctis rubris intus notatus. Hepar, et renes solito duriores absque tuberculis; quandoque haec viscera pallida, aut exanguia, et cinerea fuere. Semel jecur ulcerosum fuit in sede, et in ambitu. Lien vix morbidus conspectus est. Bilis pauca flavescens, saepe viridis; nonnunquam viscida, obscura instar olei nucum juglandis, quo colore proximum intestinum afficiebatur. In paucis subcrocea, et fluida fuit.

Tenuia intestina continebant passim ramenta viridis materiae, fere herbaceae, quae interdum viridis in duodeno, lutea in jejuno, subviridis in ileo observabatur. Multa etiam muci copia in duodeno lutea, in jejuno viridis, mixti coloris in ileo subinde reperiebatur.

Crassis intestinis non dubia inflammationis inerant vestigia; rubor enim mucosae tunicae non raro a coeco ad rectum usque propagabatur, quae, si ad suppurationem vergebat, cineraceum mucum viridi limo commixtum continebat, qui in vermiformi quoque appendicula reperiebatur, cujus orificium multo latius patebat. Visae sunt etiam in toto coli tractu areolae rubentes, ulceratae, aucta interioris membranae crassities, sanioso muco conspersae. Rectum intestinum praeter phlogosim tuberculis quibusdam prominentibus obsitum erat; nonnunquam prolabebatur cum mesocolo, tunc ex aucta inflammatione magis durescebant membranae.

Glandulae mesentericae, et mesocoli intestinis proximae violaceo colore infectae mole non auctae; in aliis tamen auctae, et lividae observatae sunt, praecipue in mesocolo. In abdominis cavo vix serum, aut lympha effundebatur; non raro autem sanies spissa, et albescens reperta est ab exhalante glutinoso humore nata.

---

(1) Med. lib. II, cap. 8, n. 25.

Steatoma.

Morbi natura ignoratur plerumque in lactentibus, et fallacibus signis decepti Medici mortem alienae causae tribuunt, quam deinde autopsia, ubi opportunitas facta est, declarat. In puello seximestri ob pulmonis abscessum denato, tubercula aliquot dura in diaphragmate observata sunt, quorum alia in ejus superficie thoracica sub pleura; alia sub peritonaeo in superficie abdominali; alia demum super hepatis gibbam faciem erant locata. Erant quippe nuclei duri, ovales, albi, nil cartilaginei, nil molliculi, nihil spongiosi habentes.

Haud dissimilia tubercula in alio puero reperta sunt, qui facie subtumida aegre spirabat. In hoc vultus nigrescebat, digitorum apices livebant; mox spiratio sibilans facta, et stertens, eum veluti praefocatum sustulit. Duo tubercula dura visa sunt in hoc cadaverulo in anteriori cavae venae descendentis facie sub ejus extima tunica, quae non solum cavam venam, sed etiam substantem arteriam pulmonis dextri comprimebat, et bronchium itidem dextrum, atque cum duobus aliis latioribus, et figurae inordinatae, quae subtus erant, communionem habebant; scilicet inter azygon venam, et radicem pulmonis, et oesophagum, ita ut cum superioribus cavam venam, bronchium, et arteriam quodammodo sub praelo ponerent. Pulmo ejus lateris vomicis purulentis scatebat; sinister non videbatur labem pertulisse.

Art. III.

Sclerosis.

Singularis haec aegritudo, quae recens natos corripit, et quae vulgo durities cellularis membranae, vel carnium nuncupatur, multorum ingenia exercuit, qui et causas, et medendi eidem rationem sedulo studio quaesiverunt, et investigarunt. Inter initia artuum inferiorum integumenta tumescunt, et rigent; pedes inflati livescunt, et frigent, qui tumor et rigor sensim ad abdomen, et thoracem ascendit, et ad brachia. Durities sine oedemate est, et rubor sine erythemate. Crescente morbo cutis frigore indurata veluti musculis accreta haeret; corpus totum flavescit; puellus irrequietus est; sugere nescit; stridet interdum, et vomit; imbecillis est, et sitit; languide et flebiliter vagit; pulsus vix percipitur. Rigentes artus immobiles fiunt; spiratio intercipitur; vultus contractus senium praecox praesefert; vox clangens deficit; convellitur quandoque, et stupet infans, demum tranquillus moritur.

Si artus dumtaxat inferiores rigent, puer salvari potest; at si partes superiores invadit, praecipue brachia et genas, de puero actum est. Frigus quo partes induratae percelluntur, calefacientibus superdatis aegerrime discutitur. Aggreditur autem infantes quavis anni tempestate, praesertim vero hiberna,

magisque morbo obnoxii sunt imbecilles, infirmae valetudinis, et qui praemature in lucem producuntur; hos primis ab ortu diebus invadit, quin affectus haereditarius, aut epidemicus dici possit. Vix a nobis observatus fuit ante annum 1780, in quo aliqua, quamvis caecutientes ad morbum pertinentia adnotavimus. In Anglia minus serpit, testante Michaële Underwood, quam in aliis Europae regionibus.

1. Puellus ex juvene et robusta matre primo partu genitus die undecima januarii anno 1780, propter tempestatis inclementiam ab obstetrice, uti moris est ubique, non fuit ablutus. Postridie rigescere coepit, suxit tamen, fluidumque lac rejecit. Mox pedum plantae subfuscae, surae rigidae, vox acuta, tenuis, interdum rauca, lingua subtumida, labia liventia facta sunt, oculi velati apparuerunt. Tertio die propinato emetico pauxillum vomuit; rigiditas crevit. Quarto prasina rejecit; rigor abdomen, brachia, thoracem, vultum occupavit. Voce deficiente labia extra vertebantur, lingua crassescente, et flavente corpore, restinguebantur excretiones; septima demum a nativitate die expiravit infans.

Cadaverulum totum flavum et durum fuit. Pulmo dexter nimio sanguine turgebat; sinister duriusculus et atro colore infectus. Hepar valde fuscum; bilis fere nulla; intestina leviter flava.

2. Puella secundo, ut videbatur, a nativitate die exposita mense itidem januario artus omnes, vultumque induratos habebat, vomebat viridantia, oculos aperiebat, caeterum immobilis erat, et ipsamet nocte aphona obiit. Pulmo dexter livebat adeo, ut in gangraenam abiisse videretur, et aquae injectus totus mergebatur; sinister vero minus ater natabat. Hepar sanum, bilis multa porracea; ventriculus aëre distentus. Tela adiposa naturali durior, grana item adiposa magis compacta.

3. Puerulus duodecim dierum induratus in Brephotrophium illatus 18 decembris 1786, qui sugendo nutricis papillas mordebat, haud diu supervixit, sanguinis quippe vomitu suffocatus interiit. Artuum inferiorum cellularis textus multa lympha non fluxili distentus erat. In vasis sanguiferis nulla coagula. Pulmonis dextri superior lobus sanguine atro repletus; sinister totus vehementer rubebat, ut intuenti inflammatus videretur. Hepar lividum, bilis pauca, flava; intestina vacua.

4. Alter pusio primo partu ex robusta muliere in Nosocomio natus, sed difficulter, et infirmae constitutionis, secunda die induruit, evomuit, obiitque vomendo rigidus. Artus inferiores duri absque lymphae in cellulis adiposae effusione. Stagnabat vero lympha in abdominis cavo, per quam intestina, et omentum leviter macerata conspiciebantur. Hepar durum, vinosi, saturi coloris, bilis pauca, viridis. Pulmo dexter sanus; sinister sanguine turgens.

5. Puellus ob rigorem corporis extinctus, et medio februarii anni 1787 sectus exhibuit cellularem textum artuum inferiorum dilatatum, et auctum, in cujus cellulis lympha lutea partim fluida, partim concreta stagnabat. Musculi non rigentes pallebant: glandulae inguinales albidae, mole naturali;

vesica urinaria lotio distenta. Intestinis hinc inde subrubra nubecula suffundebatur. Hepar amplum, coloris purpurei; bilis fluens, faecibus vini similis. In thorace nihil morbidi conspectum est.

6. In alio puerulo, mox postquam exceptus fuit in hospitio Cathariniano vomitu sanguinis mortuo utriusque cruris cellularis membrana admodum turgida, multaque lympha distenta fuit praesertim in latere exteriori. Rectum intestinum cum dimidio coli arcu gangraena affectum, et aëre plenum. Jecur vinosi coloris saturi, bilis pauca faeculenta. Ventriculus viscidam pituitam continebat. Pulmones ambo multo sanguine infarti, nondum quippe satis ab aëre explicati.

7. Puerulus ex Vallesaxina die 4 novembris 1789 ad Brephotrophium delatus totus rigebat, et die septima ejusdem mensis denatus est. Corpus ex rubro livebat; cellularis textus rigebat pauxillum seri continens; carnes non mutatae apparebant. Pulmo dexter plenus, sinister minus, utpote magis ab aëre explicatus. In thoracis cavea lymphae parum; cor exsangue, rugosum, cedens, non durum; jecur secundum naturam, bilis nulla.

8. Pueri gemino partu nati in hospitio Cathariniano die vigesima octobris multo amnii liquore circumdati post duos dies obriguerunt; deinde debiliores facti intra duas hebdomadas interierunt. In his nullum in cellulari textu vitium, nulla lymphae coagulatio. Hepar in altero sanum, in altero fuscum, bilis in utroque pauca.

9. Pusio ex rigiditate mortuus 17 novembris, cui moschi grana undecim data fuerunt, et artus oleo volatili illiniti, parum seri fluidi in cellulari habebat. Jecur amplum, fuscum, durum. Pulmo dexter sanus, sinister nigricans, fere totus sanguine repletus, ut videretur aër nondum sibi viam per bronchiales tubulos fecisse.

10. Puella quinque dierum in Brephotrophium excepta est cum animae asperitate, aphonia, et crurum duritie. Huic quotidie propinatum fuit apozema ex aqua foeniculi cum spiritus salis ammoniaci guttis duodecim. Tibiis farinae calefactae cum pauxillo camphorae injectae sanitati restituerunt infantem viginti dierum spatio anno 1788.

Postquam denuo occasio oblata fuit accuratius inspiciendi corpora ex rigiditate denatorum, nova extispicia perfeci, quae non sinunt dubitare de vera morbi sede, et de causis non fictis eundem producentibus. Encephalon non raro in rigidis infantibus affectum est. Detractis a calvaria integumentis saepiuscule bregmatis ossa a multo sanguine compenetrata cernuntur, atque suppositae menynges, ambitusque cerebri eodem liquore imbutae; medulla vero cerebri colorem et firmitatem naturalem conservat. Sinus venosi fusco sanguine repleti; uti et flexuosi venarum plexus, qui varolii pontem, et cerebellum, et medullae oblungatae initia praecingunt.

Thoracis viscera magis plerumque sanguine oppressa visa sunt; etenim cum pulmones in hac affectione nondum, vel non satis dilatati sint, evenit, ut in parenchymate coagula sanguinis dura, nigricantia, non cedentia sub-

sistant; quae ex pulmone frustillatim concisa submerguntur. Evenit etiam ut alteruter pulmo magis altero a sanguine compenetratus sit, et prae aliis lobus major alterutrius pulmonis, cujus substantia jecori compacto similis, ponderosior facta subsidet. Accidit etiam ut pulmo praecipue dexter, qui aërem hausit, mollior in aliqua parte, reliqui autem lobuli, iique plurimi, quos aër non subiit, duri et subnigri remaneant. Ubi dexter pulmo minus quiescentis sanguinis continet, sinister magis gravatur, fitque ponderosior, niger, renitens; attamen si aërem sufflaveris videbis vesiculas aëreas sese explicare, sanguinem moveri, et progredi, et roseum pro fusco subire colorem, exceptis aliquot in superficie nigricantibus punctis, quae a sanguine non penitus dissoluto subsistunt. Sed haec non solum in praematuris, sed etiam in maturis foetibus observata sunt, videlicet ambo pulmones nigrescere, et magis plerumque sinistrum, in quos si aër leviter impelleretur, sanguis immobilis stabat; at si fortius sanguis in motum ciebatur, protinus livor evanescebat, et pulmonum vesiculae belle rubebant. In parenchymate tamen nucleus fere semper subsistebat duriusculus, quia vascularis substantia non penitus a rubente fluido exonerata fuerat. Evenit interdum, ut si supremos pulmonis dextri lobulos excipias, reliquum visceris ita a sanguine praegravatum sit, ut aëri locum non cedat. Quapropter bronchia nequeunt extendi, pulmoque frustillatim concisus nigrum sanguinem copiose dimittit.

Cor, et ejus vasa ab hoc vitio immunia non sunt, ita tamen ut quo magis sanguine stagnante onusti sunt pulmones, eo minus cor ab eodem obruatur. Ita cor interdum et pericardium tanquam sana conspiciuntur, dum ex opposito saepius cor mole auctum inter pulmones sublimatum apparet, colore exrubro fuscum, vasis coronariis turgidis, auriculis cum ventriculis sanguine saturatis et lividis, ut reapse succensum fuisse diceres. In cordis caveis multum cruoris nigricantis non concreti invenitur: auricula dextra raro inanis, saepius vero nigro sanguine impleta. Eodem sanguine non concreto ventriculus aorticus distenditur: vix unquam pericardium effusam lympham continet. Generatim in hac affectione turgescit venosum systema, scilicet jugulares venae, coronariae, cava utraque, portarum, ambae saphenae, crurales, tibiales praeter modum sanguine atro inflatae sunt.

Sanguis reses in abdomine quoque reperitur, et inter viscera jecur praecipue laeditur, quod ex mera sanguinis subatri massa compositum dixeris; nam cruore tumidum et expansum, aspectu subnigrum, et durum invenitur. Dum copiosior sanguis in pulmonibus stasim fecit, cor et hepar minus gravantur, et pallidiora sunt. Cum jecur ad aliquam succensionem paratum videtur, intestina eodem modo afficiuntur, et lympha vel pura, vel subruffa in cavo abdominis effunditur, vel in peritonaei cellulis consistit.

Cognitis laesionibus viscerum in tribus corporis cavitatum contentorum, quae ad scleroseos pathologiam pertinent, obvium erit quaerere, quas ob res sanguis insigni adeo copia subsistat in praecipuis visceribus. Si spectare voluerimus vasorum conditionem, quae valde turgida, et livida conspiciun-

tur, facile nobis erit conjicere stadium inflammatorium subesse. Si ad insolita sympthomata, quae scleroticis obveniunt, animum animadvertimus, amplexabimur fortasse sententiam cel. Extispicis Galli, qui organa respirationis, et circuitus sanguinei jam ab ipso ortu maxime vitiata se deprehendisse existimat; sed si haec admittimus, fateri necesse foret, quod vel omnes interirent, vel quod superstites infirmam traducerent vitam, et nemo ex toto convalesceret. Cum in qualibet anni tempestate infantes sclerosi affici possint, et potior eorum numerus hyberno tempore detineatur, non sine ratione praecipuam causam in frigore reponemus, a quo compresso thorace, pulmones adstricti pauxillum aëris hauriunt unde dilatari, ut oportet, et explicari nequeunt. Huic causae addo obstetricum imperitiam, quae festinanter nimis ante primam infantis inspirationem funiculum ligare, et praecidere satagunt, unde sanguis in umbilicali vena coacervatus in cavam venam et in sinum cordis dextrum praecipitanter ruens, inde in ventriculum et arteriam pulmonis, in minimis ejus lobulis et venis consistere cogitur, et fortassis in spatiis cellulosis ejusdem visceris. Idem fere in praematuro infante accidit, cujus respirationis organa tenerrima ab aëre atmospherico acerbe percelluntur, unde nonnisi paucissimus aër tubulos subire potest, et residi sanguini motum imprimere nequit.

Mense decembri anni 1823 infans maturus illatus est in hospitium Catharinianum tam rigidus, et perfrigidus, ut neque lac sumere, neque vagire posset. Sine mora hirudines cruribus affiguntur, quae mox attenuata incaluerunt, cutisque in colorem proprium mutata est; sed malum ipso remedio potentius viginti quatuor horarum spatio puerum sustulit. Ejus pulmones inspecti sanguine turgebant, magis vero sinister, qui et durior fuit. Dexteri vero superior dumtaxat lobulus aërem coepit, quamobrem uterque pulmo mergebatur. Auricula cordis dextera a sanguine nigricante et coacto distracta, uti et congener ventriculus, et utraque cava vena, quae in eandem auriculam sese exonerant. Ex hoc colligitur sanguinis circuitum, si quidem supererat, turbatum, et interceptum fuisse, quia arteria pulmonis non poterat sanguinem a cavis acceptum in pulmones transfundere, quoniam ipsi eodem latice gravati nunquam ad proprias functiones obeundas a tam exiguo aëre, qui supremum lobulum subiit, impelli poterant; hinc reliquus sanguis in auricula et ventriculo accumulari cogebatur, eoque magis quia deficiente ad motionem impulsu per ovale foramen eidem transire non concedebatur. Et reapse tam auricula et ventriculus aorticus, quam canalis arteriosus, et aorta fere sanguine vacua observata sunt. Coronariae venae, ut solent in his morbis, valde conspicuae a quiescente sanguine nigricabant, dum cordis minimi ordinis vasa injecto sanguine laete rubebant. Vasorum autem tunicae tam in interiori, quam exteriori superficie nihil a naturali conditione mutatae cernebantur. Foramen ovale omni studio examinatum nullum structurae vitium, nec figurae praesetulit, ejusque valvula aeque tenuis et translucida observabatur. Multum sanguinis in grumosa filamenta congesti inerat canali

venoso, et venae umbilicali absque succensionis vestigio. Artuum inferiorum cellularis membrana minutatim consecta parum lymphae decoloris dimisit.

In duobus aliis immaturis pusionibus (qui soli postremo semestrio anni 1823 perierunt) nullam opem tulerunt hirudines et balnea, qui toto corpore rigebant, et mox vivere desierunt. In his fere eadem quae in superiori extispicio observata sunt; nempe pulmones duros, nigrantes, sanguine fartos, et sub aqua demersos. In dextero, qui pauxillum respiravit, cellulae aëreae in extremo solum limbo superioris lobuli conspicuae erant: reliquum parenchymatis sanguine obstructum. Auricula et ventriculus dexter a sanguine nigricante non fluido distendebantur, cujus portio etiam evacuato sinu in auriculae cellulas ad modum echymosis transiisse cernebatur.

Quantum igitur nobis observare licuit, nullibi mancam organorum vitalium structuram deprehendimus in infantibus ex sclerosi demortuis. Neque aegritudini formandae pars tribui debet communicationi, quae inter duas cordis auriculas intercedit, et inter pulmonalem arteriam, et aortam, quia in illa tenellula aetate, in qua sclerosis vagatur, nec Botalli foramen, nec canalis arteriosus glutinata, et obturata inveniuntur, quod obturamentum, donec sanguinis circuitus in toto corpore aequabiliter perficiatur, praesertim inter cor, et pulmones, lente admodum obtinetur.

Jam quod circuitus sanguineus non tam prompte nec integre absolvatur, videlicet quod aër non irruat simul in omnes pulmonis lobulos, et cellulas, sed quasdam solum gradatim subeat, in anatomicis explicatum est. Quilibet autem artis cultor confirmare per se poterit, quod aër atmosphericus, qui in pulmonis parenchyma penetrare tentat, nonnisi tarde vias aëreas explanare potis est, sive ob sanguinis stativi compressionem, sive ob vasorum aëreorum minimi ordinis nativam plicaturam et contractionem.

Verum hisce demonstrationibus non satisfactum esse arbitrabitur fortasse aliquis, qui sympthomata in sclerosi occurrentia periodo inflammatoriae tribuat, eo quod plurimum sanguinis congregati in vasis subsistat. Verum non omnis sanguinis congestio inflammationem parit, aut ab ea excitatur. Nulla enim fit succensio absque *calorici* evolutione; neque *caloricum* extricatur nisi sanguis rapido, et vehementi motu, a quacunque causa, per canales transvehatur. Caloricum igitur necessario calefacit partes, quas proxime attingit, easdem inflat, et distendit, majoremque affluentiam rubicundi laticis advocat ad partem, ubi rapidior fluidi motio, et ubi affrictus vehementior. Praeterea arteria, quae ad calorici exhalationem conducit, et ad ejus diffusionem, praecipua est, cui noxii calorici effectus imprimuntur. Arteriae etenim inflammatae lumen amplius naturali deprehenditur, tam intuitu spectatae, quam circino dimetitae. Tunica ejus interior valde rubens tumet a minimis vasis sanguine repletis, hinc tangenti digito arteriae durae et temulentae occurrunt. Id fere venarum truncis accidit, nisi quod earum amplitudo major sit quam in arteriis, quod evidentius est in venis viscerum, et membranarum succensarum. Ubi circuitus sanguinis valde remittit, vel languet,

aut omnino quiescit, ubi evenit, dum primi ordinis arteria deligatur, tunc caloricum non amplius extricatur, et pars infra vincturam plus, minusve frigescit, sensumque magis amittit, nam vis nervorum maximam partem a vi circulantis sanguinis mutuatur.

Itaque inflammationibus, et organorum vitalium vitiis ablegatis tanquam scleroseos causis, ad praedisponentes redeundum est, de quibus jam initio verba fecimus. Quod ad frigus attinet, dubitandum non est, quod efficacius retardare, et supprimere valeat sanguinis circuitum. Aër namque frigidus thoracem comprimendo ejusdem dilatationi obsistit; aegrius in pulmones illabitur; et illapsus adstringit cellulas aëreas, et vasorum rubrorum surculos; quapropter sanguis motionis impulsu destitutus in vasis, et visceribus consistere cogitur. Et revera animadversum est, quod potior numerus obrigentium puerorum sese offert ea tempestate, qua frigus magis importunum est, cui rigori magis obnoxii sunt infantes immaturi, et infirmam nacti constitutionem.

Jam superiori loco exposuimus, quod in recens nato pulmones non illico, nec una vice ab illabente aëre pervadantur; videlicet, quod aër atmosfericus non penetret simul singulos lobulos, cum nonnisi gradatim in utriusque pulmonis lobos viam sibi sternat, sanguinem in vasis stantem paulatim propellendo. Hic autem in memoriam revocandum est, quod jam pridem observaverat praecl. Portalius (1); videlicet bronchium dexterum quadrante crassius esse sinistro; hoc vero quinta parte longius, et retrorsum declinatum; dum dexterum in foetu maturo et respirante anterius magis prominet, quam in foetu non respirante. Praeterea dextrum bronchium libere movetur in thoracis cavea, neque ab irrumpente aëre, aut a costarum depressione praepeditur. Contra sinistrum bronchium ab aorta circumclusum minus liberum est, et ab turgente arteria comprimitur, sicque aëris ingressus intercipi potest.

Cum notatum fuerit pulmonem dexterum in iis infantibus, qui recens aërem hauserunt, ex subalbido roseum fieri, sinistro vero ex obscuro densiorem; item frustula ex dextero pulmone exsecta enatare, dum particulae sinistri submerguntur; manifestum est in prima inspiratione, et in subsequentibus, aërem prius invadere pulmonem dexterum, antequam in sinistrum perveniat, quod a dissimili structura, et positu utriusque bronchii efficitur. Dexterum enim crassius, amplius, et laevo rectius est, hinc aër celerius in dextrum bronchium influit, quam in sinistrum, quod tubo longiori angustius est, et obliqua directione decurrit, atque ejus orificium constringitur etiam a plica interioris membranae bronchia dirimente. Aorta praeterea, et tubus arteriosus sanguine distenti laevum bronchium comprimendo liberiorem aëris ingressum remorantur.

---

(1) Mémoir. de l'Acad. des Sciences, 1769.

Igitur si in recens nato, et maturo puello, qui spirare incipit, aër in pulmonem dexterum primo se immittit ob peculiarem ejusdem bronchii structuram, et si non pervadit simul singulos ejusdem pulmonis lobulos, sed aliquos tantum in eminentiori pulmonis radice locatos, quid, quaeso, eveniet, si infans vix, vel omnino non spirat? uti in praecocibus foetibus, et in iis, quibus vix mundo datis imprudens obstetrix funiculum praecidit antequam primam aëris atmospherici particulam hauserint, primumque vagitum emiserint? Constrictis itaque umbilicalibus arteriis cum sanguinis cohibeatur cursus, neque umbilici vena pariter constricta a secundis remeantem sanguinem recipiat; is sanguis, qui in hisce truncis consistit, in auriculam cordis dexteram influere nequit, quia abolito progrediendi impulsu, a rubro latice per venam cavam superiorem adveniente opprimitur, et repellitur, unde retro actus in jecur illabi, ibique congregari, et stasim facere necesse habet.

Pulmones aeque, qui ante respirationem sanguine jam saturi sunt, quia aër nondum eos penetravit, a novo sanguine ab arteriis propriis, et a cava superiori advecto eo magis gravantur, duriores, atrique fiunt, quo minus aëris post ortum eos pervadit; hinc circulo externo inter foetum et placentam abolito, interiorique circuitu coërcito, quia pulmones sanguine gravati functionibus exequendis inepti sunt, necesse erit, ut sanguis majori copia subsistat vel in corde ejusque vasis, vel in pulmonibus, vel in cerebro, et menyngibus sub incensionis specie. Hanc vero legitimam non esse inflammationem produnt phoenomena quaedam inflammationi opposita, uti sunt imbecillitas corporis, rigiditas artuum, textus cellulosi, et musculorum torpor, atque insuperabile artuum frigus.

Haec sympthomata commode ex principiis physicis explicantur. Etenim praecipuum aëris atmospherici elementum, quod vitam dat, et sustinet, est *oxygenum*, quo deficiente aër respirationi ineptus est. Hinc respirationis pabulum dicitur aër atmosphericus, utpote oxygeno praeditus. Illico ab ortu inspirandi necessitudo insequitur, idest aërem in pulmones attrahendi; tum necessitas eundem aërem sive superfluum, sive ineptum, sive incompositum per expirationem expellendi. Hujus aëris attracti actione fluida, quae in pulmonibus cum aëre in communicationem veniunt, quamdam subeunt immutationem, cujusmodi sunt chylus, lympha, sanguis venosus, et pedetentim in arteriosum sanguinem convertuntur. Dum haec sanguinis conversio perficitur, aliae mutationes in aëre inspirato efficiuntur; scilicet aër portionem elementi constituentis oxygenum amittit, videturque aliquid de azoto deserere; aër autem expiratus multum acidi carbonici, et pauxillum seri animalis extrahit. Nec jam dubitant physici, quin oxygenum atmospherae inspiratum a pulmonum vasis absorbeatur, cujus in diversis temperamentis non eadem debet esse quantitas. Ab aëris vitalis absorptione conficitur sanguis arteriosus floridus, spumosus, rutilans, venoso latice levior, et gradibus fere duobus calidior, minus aquosus, magisque concrescibilis.

Physiologi pene omnes contendunt per respirationis functionem omne caloricum evolvi, quod animali naturae necessarium existimatur; idque probare student medico-chymici asserentes oxygenum atmosphericum, dum respirat animal, carbonio et hydrogeno sanguinis venosi commisceri; dein oxygenum multimode prius rarefactum, densius fieri et ferme solidum, a quo ingens caloris vis in pulmonibus gignatur, et per totum corpus diffundatur. Ita pulmones quasi focus aut centrum habebantur, unde corporis calorem emanare, et per singulas ejus partes dispertiri autumabant. Verum confirmatum non est, quod pulmo respirationis tempore tantam caloris vim emanet, quanta temperici corporis conservandae satis esse possit. Etenim si haec functio in solo pulmone fieret, is a tanto caloris aestu exureretur; contra si pulmo mediocrem tantummodo calorici portionem generat, et si haec portio ab aliis corporis partibus absumitur, pulmo ipse congelari deberet. Hisce animadversis, probabilior videtur ea sententia, qua statuitur singulas corporis partes evolvere caloricum singularum temperiei necessarium, singulasque item agere pro ratione sanguinis arteriosi, qui easdem vivificat, et excitat, sive ille agat stimulando, sive ab ipso exhalet *caloricum*, ut dicitur, *liberum*. Nunc autem arteriosus sanguis conficitur ex respirationis officio, et pro ratione virium, et materiei, et perfectionis, qua haec functio peragitur, plus minusve valentes, et perfectae erunt functiones, ad quas absolvendas arteriosus sanguis necessarias res suppeditat.

In quovis animali quo magis respirationis officina extenditur, intensior est calor; nam arteriosus sanguis, cum sit effectus praecipuus ipsius respirationis, principiis actuosis magis saturatus excitat, promovet, accelerat omnium viscerum functiones; verum si respiratio laesa, et perturbata sit, calor animalis minuitur, quia *sanguificatio* non rite conficitur. Ad calefaciendum multum confert bona sanguinis conditio, tum etiam ad respirationis actum, a quo sanguis meliorem indolem sortitur; itaque nexus quidam intercedit inter apparatus respiratorii explicationem, et varium caloris animalis gradum. Caeterum oxygeni actio ignoratur, neque post ejus actionem quid accidat, scimus. Cum autem verisimile sit, quod quaelibet corporis pars emittat caloricum, a quo peculiaris cujusque partis temperies emanat; ita non accidit nisi continuo sanguinis arteriosi appulsu in cujusvis partis contextu, sive reapse sanguis caloricum dimittat, sive partes stimulando ad caloris evolutionem excitet. Ita enim intelligitur, quomodo connexio quaedam actionis in animalibus existere possit inter respirationem, et diversos calorici gradus.

Si igitur quaevis animalia temperatura propria donata sunt, quae atmospherae temperaturam superet, in qua degunt; et si caloricum in animali oeconomia extricatum non aliunde animalibus communicatur; si calor animalium latitudini organi respiratorii par est; congruenter profecto explicata invenies praecipua phoenomena, quae sclerosim comitantur. Etenim cum in sclerosi affectis infantibus respirandi functio circumscripta sit et imperfecta,

sanguis, sicut oportet, oxygeno saturari nequit, et proinde minimam caloris animalis portiunculam dimittet, ex quo torpor, stupor, et gelida rigiditas oritur. Atque satis vulgatum est volatilibus, quibus respirationis organon in latitudinem extenditur, temperaturam inesse mammiferis multo superiorem. In animalibus hibernantibus calor sensim recedit, quo magis respiratio remittit, insequiturque torpidus hiemalis sopor.

Multa auxilia in usum vocata sunt, quibus pusillis hisce puellulis opitulari studuerunt Medici; sed quia curatio ad id unum tendebat, ut durities artuum et frigus dispellerentur, ob id etiam effectu ut plurimum caruerunt. Negandum tamen non est nonnullos pusiones sub morbi initio servatos fuisse, sive farinas calidissimas, sive cataplasmata aromatica superdando, sive apozemata excitantia in os infundendo cum assidua nutricis praesentis diligentia. In hunc modum immaturus infans septimestris die 29 junii editus anno 1822 percuratus fuit. Vix lucem aspiciens vagivit fortiter, tum obmutuit, ut quarto die pene vegetabilis esset. Tamen paululum erectus viribus lac sumpsit, oculos aperuit non querulus, rigentibus adhuc femoribus, et cruribus. Dum ad infantem accessi die 6 augusti cutis tota rubebat, et translucebat, tamquam si eo ipso die natus esset, levabat oculos, excretiones secundum naturam fiebant, artus inferiores frigidi, rigebat cutis, et cellularis textus; non ingemiscebat puer, crura languide attollebat. Hisce signis recreati, artus inferiores linimento volatili camphora actuato perungi jussimus, cui superdatae fuerunt farinae calefactae cum floribus chamaemeli. Sal autem volatile cornu cervi intus propinatum in aqua aromatica vires puero adjecit sic, ut post triduum assidua nutricis sollicitudine veluti incubatus eidem ruri alendus traderetur, et alacriter hodiedum usque pullulavit.

Cum haec praesidia graviori malo tollendo non sufficere experientia cognovissem, eorum remediorum investigationes prosecutus sum in hospitio Cathariniano, quae ad depellendam sclerosim aptiora videbantur. Intra mensis spatium quindecim infantes sclerosi affecti in hospitio suscepti, ex quibus decem jam indurati fuere; quinque a tertio ad quartum diem, postquam illati fuerunt, obriguerunt; tres ex iis lac non hauserunt; novem immaturi intra septimum et octavum mensem nati sunt. His dimidium grani kermes mineralis bis terve quotidie datum est; artus involvebantur farinis cum camphora. Quinque infantes hoc modo persanati sunt, et inter eos praecoces tres, et duo recenter nati. Qui minus aegrotabant quatuor diebus, qui graviore malo oppressi, post hebdomadam sospitati sunt.

Huc usque medendi methodus principiis anatomicis et pathologicis non erat suffulta, quae ab extispiciis jam memoratis deducta sunt, indicaruntque oportere sanguinem stagnantem reddere mobilem, fluidumque, quod obtineri non poterat nisi ejusdem ex aliqua parte detractione. Et quamvis utilius fore visum fuisset ex capite, aut thorace sanguinem mittere, tamen quia metuebam compressionem qualemcunque, aut aëris atmospherici impressionem capiti, aut thoraci noxiam futuram esse, artus inferiores selegi, utpote ad hanc administrationem opportuniores.

Anno 1823 januario mense infantes duo; februario viginti quinque; martio undecim; aprili unus; majo tres; junio unus in Brephotrophio excepti sunt sclerosi aegrotantes; scilicet quadraginta tres, quorum 42 sanati fuerunt, ultimus praecox februario mense obiit. Ex eorum numero viginti novem maturo partu editi sunt; quatuordecim ante statutum tempus exorti sunt. Praecipua curationis ratio in eo consistebat, ut hirudines tres, quatuorve cruribus admoverentur, corpusque totum aquae calidae quotidie non sine frictione immergeretur. Ut plurimum sanguinem semel detrahere satis erat maturis praesertim infantibus, indiciumque desistendi a mittendo sanguine erat calor, qui discusso frigore eas partes illico invadebat. At decem praecocibus bis hirudines admotae fuerunt, terque duobus aliis graviter aegrotantibus.

Altero semestrio anni 1823 infantes sclerotici in hospitio Cathariniano collocati sunt sequentes: mense julio duo; augusto quatuor; septembri novem; octobri duodecim; novembri quatuordecim; decembri unus supra viginti: itaque numerus fuit sexaginta duorum, ex quibus quadraginta praecoci partu nati sunt. Ex hac familia tres sclerosi perierunt, scilicet maturus alter, praecoces alii duo. Ab hoc catalogo consequitur quinquaginta novem scleroticos, hirudinum, balneorum, frictionum ope fuisse conservatos.

Anno 1824 illati sunt primo semestrio viginti sex sclerotici: januario mense decem pueri, et octo puellae, qui eodem mense bene valentes nutricibus agrestibus commissi fuere. Mensibus februario, martio, aprili nullus scleroticorum apparuit. Majo duo potioris, unaque sequioris sexus sanabantur. Junio pueri duo, puellulae tres exceptae sunt: ex pueris unus eodem mense, reliqui sequenti julio sani facti sunt. Ex horum coetu decem et novem ex pondere corporis, et macie non videbantur ad maturitatem perducti fuisse.

Secundo semestrio anni 1824 suscepti sunt mense julio quatuor; augusto tres; septembri tres; octobri novem; novembri sexdecim; decembri quindecim. Igitur ex quinquaginta puerorum familia duo solum denati sunt. Sexdecim ad maturitatem pervenerunt, reliqui acerbi fuerunt. Maturis unica hirudinum applicatio profuit, balneo vero bis quotidie immergebantur. Quatuordecim ex praematuris bis hirudinum ope sanguis missus fuit, uno ter, altero etiam quater. Balinea saepius iterata fuerunt. Duo acerbi defuncti sunt, ut diximus, quorum alter novembri mense femoribus, cruribus, brachiis rigidus triduo supervixit. Alter, qui decembri mense periit, sanus apparuit; sed post quatuor dies febri, tussi, spirandi difficultate conflictari coepit, cui emeticum propinatum fuit. Altero die cum augerentur sympthomata, hirudines ad thoracis latera admotae sunt. Tertia die febri et dyspnoea adauctis, crura obriguerunt, quibus etiam hirudines et balnea applicabantur, quae praesidia quarto quoque et quinto die iterata sunt, quia rigiditas superiora occupaverat. Verum sexto die totius corporis rigor puerum sustulit. Hujus pulmones atro sanguine graviter farti, venosum systema totum stagnante sanguine oppletum inventum est.

Jam ex his, quae huc usque memoravimus, demonstratum est sanguinem in misellis hisce pusionibus inertem, et immobilem esse, a quacunque causa id fiat, unde phaenomena languentis, vel extinctae vitae exoriuntur. Mirabitur vero quispiam, et sciscitabitur, cur congruens et salutaris esse possit sanguinis detractio in puero languente, attonito et rigente? Rationem hujus paradoxi reddent cel. viri Bellinus, Hallerus, Spallanzani.

Solertissimus Laurentius Bellini (1) jam vulgaverat, et axioma constituerat " a quacunque vena mittatur sanguis, per totum spatium temporis, quo " mittitur, quantitatem ejus singulis contractionibus cordis influentem in trun- " cum arteriae, cujus aliquis ramus continuus sit venae, a qua mittitur san- " guis, majorem proportionem habere ad quantitatem eodem tempore in- " fluentem in truncum alterum. „

" Velocitatem sanguinis per totum spatium temporis quo mittitur, in om- " nibus venis, atque arteriis fieri majorem. „

" Velocitatem, qua fluit sanguis postquam missus est, esse quidem majo- " rem velocitate, qua fluit ante missionem; sed esse minorem illa, qua fluit, " dum mittitur. „

Hae propositiones institutis ab magno Hallero experimentis plenius confirmatae fuerunt; scilicet, quod in qualibet circumstantia sanguis currit versus incisionem trunci venosi, vel arteriosi, et velocius, majorique copia a corde versus incisionem dirigitur. Id quod accidit etiam si aliquo temporis spatio sanguis stativus, aut cor avulsum, aut arteriae constrictae fuerint, dummodo venae vulnus infligatur. Illud etiam notatu dignum est, quod sanguis quamvis reses commovetur, et inverso motu ex capillaribus refluit. Ita rubicundi globuli in agmen coacti, et fere coagulati loco moventur, et exsolvuntur, si vas aliquod incidatur, et ad vulneris ostium properant. Verum sauciando venam sanguinis motus non solum in eodem trunco acceleratur, et in lateralibus, sed etiam in ramis arteriosis cum iisdem communicantibus. Extracto corde sanguis tam arteriarum, quam venarum velociter decurrit ad vulneris sedem. Pariter vulnerata vena meseraica sanguis proximarum partium etiam contra circulationis leges properat ad vulnus, et per id evacuatur. Sanguis condensatus aperta vena dissolvitur, ita, ut globuli pristinam figuram recuperantes in motum cieantur, et ad vasis vulnusculum accurrant (2).

Concludendum igitur est, quod unum aut plura vulnuscula, aut foraminula in tubo aliquo sanguineo facta, motionem sanguinis insigniter accelerant; quod sanguis a corde revellitur retrogradiendo, ut per vulnus sese praecipitet; quod in idem vulnus irruunt vicinorum vasorum rivuli, qui in duas exiles columnas distributi, et ad vulneris orificium sibi occurrentes sese invicem repellunt, ut ocyus per vulneris ostium effluant; quod sanguis reses

(1) De Sanguinis missione. Proposit. 1, 2.
(2) Haller, Opera Minora, tom. I, sect. III, exper. 54, 68, 69, 150, 151, 152 et seq.

tam in arteriis, quam in venis velocius movetur, quam in naturali statu, ut primum vas incisum fuerit; quod per vulnus oppositis rivis sibi viam pandit, et contra circulationis leges, quamdiu foramen apertum remanet; demum quod in morbo, de quo agimus, vulnuscula venis cutaneis inflicta sanguinem revellunt a praecipuis visceribus, qui in iisdem immobilis haeret, gravatque; quod vulnuscula sanguinem ad aequilibrium restituunt, eamque facultatem eidem impertiuntur, qua in motum actus caloricum extricare possit animali oeconomiae perquam necessarium.

Solertissimus vir Lazarus Spallanzani (1) in animalibus tam frigidi quam calidi sanguinis Halleri experimenta eodem successu iteravit. Incisa enim, vel excisa aliqua vena, sanguis in duos oppositos rivulos ex vulnere profluit, vel omnino sistitur ejus motus. In binos contrarios rivulos movetur sanguis, etiamsi priusquam vena laedatur, stativus fuerit. In his circumstantiis non solum venulae cum ea, quae laesa est, communicantes, sed etiam arteriae ad eandem venam pertinentes sanguinem ad vulnus propellunt, qui sanguis, si prius iners erat, fit mobilis; et si mobilis fuerat, ejus motus acceleratur. Si vas aliquod ab uno latere amplius sit, quam ab altero, sanguis copiosior versus latus amplioris diametri promovetur, et saepe tam immodice effunditur, ut sanguinem ex opposito latere advenientem repellat. Hoc etiam singulare occurrit, quod si altera, et tertia vice idem vas vulneratur, qui supererat sanguis, et jam quiescebat, incitatus denuo, et per alterum, et tertium foramen effugere festinat. Exciso penitus corde aut aorta, similia sequuntur phoenomena; sanguis enim saepiuscule retrocedit si arteriosus; venosus vero naturalem retinens cursum, eundem cursum accelerat versus vasis laesi orificium. Ita quiescente sanguinis massa, si cor aufertur, sanguis excitatur tam in arteriis, quam in venis contentus, et ad vulnus properat. Hic sanguinis ad vulnus vasis alicujus affluxus juxta Hallerum pendet a proclivitate, qua gaudent globuli rubri, ut ubi majori copia sunt congregati, eo impellantur, et fere attrahantur; vel a facultate, qua praediti creduntur canales sese dilatandi, et constringendi; quam Halleri conjecturam nondum satis experimentis et rationibus suffultam esse existimat Spallanzanus.

CAPUT XVIII.

HERNIOSA

Viscera omnia in abdominis cavo contenta loco moveri et excidere possunt, minus prompte, et frequenter, quae pluribus et brevioribus ligamentis suspenduntur, quam quae paucioribus et laxioribus, aut valde latis praedita

---

(1) Dei Fenomeni della Circolazione, Dissert. IV, § 3, 4, 5, 6. Modena, 1773.

sunt. Hujusmodi relaxatio aut procidentia sive intestinorum, sive omenti, sive hepatis, lienisve, aut stomachi, herniae nomine venit. Sed neque intestinum, neque omentum, nec aliud viscus procidere possunt, idest extra abdominis caveam promoveri, quin peritonaei laminam propellant, quae eandem caveam penitus succingit. Hoc vero peritonaeum non laceratur praeterquam rarissime, sed graduata viscerum impulsione, aut corporis contentione distenditur, et producitur, quemadmodum in ascite, et graviditate fieri videmus, ut nullatenus controverti possit, quod potissimum a vi, et appulsu praedictorum viscerum laxatorum annuli abdominales dehiscant, et patuli fiant; proindeque viscera decidant, eo quod rimae, aut foramina inguinis sponte iisdem viam aperiant. Quod enim annuli inguinales ita laxati sint, ut sponte patefiant, repugnat eorum structura ex fibris tendineis validissimis facta; repugnat item, etiamsi a natura tam ampli essent facti, intestinorum conditio, quae a mesenterio quasi vinculo perpetuo coarctantur, et lumborum vertebris alligantur, ne ultra praefinita abdominis confinia excurrant, neve supposita viscera opprimant (1).

Cum autem singula, quae omnia a peritonaeo sunt, ligamenta extendi et produci possint; tunc si mesenterium debilitatum distrahatur ita, ut intestina super annulos incumbant, et gravitent, sensim eos impellendo aperient, et per eorum canalem prolabentur. Quod haec vincula reapse relaxentur, patet ex Ruyschii observatione (2), qui lienis ligamentum ita laxatum vidit in muliere, ut id viscus in hypogastrium delaberetur; tum ex inspectione agricolarum, qui uliginosos Insubriae campos serunt et metunt, perpetuis febribus, et obstructionibus detentorum, ut ex laxitate hydropici pereant. Ita uteri ligamenta, et ani elevatores vinculorum officio fungentes non raro distrahuntur, et horum viscerum procidentiae locum dant. Quae relaxatio si in parvis istis visceribus accidit, quanto magis frequentior erit in mesenterio duobus laminis composito, inter quas multa cellulosa, glandulae, pinguedo, et vasa interjecta sunt; quod ingens intestinorum volumen sustinet, tantisque concussionibus, et nisibus subjacet, et tussi, vomitu, casu, violentiis aliis vehementer quatitur. Praeter exteriores violentias aliae causae relaxantes ponendae sunt in cibis intestina flatu distendentibus, aut nimium lubricantibus, uti observare licet in rusticis et bajulis, qui leguminibus, brassicis, suillis, castaneis pro toto alimento abutuntur.

Multorum auctorum, et nostris observationibus demonstratur, mesenterium ita ampliari et extendi posse, ut pene totum in scrotum provolvatur, uti videmus in Boneto (3), qui ex Thoma Bartolino sequentia exscripsit: " In " consultatione referebat nobis Joh. Dominicus Sala vidisse se mesenterium " cum intestinis tenuibus omnibus in scrotum delapsum, abdomenque alterum

---

(1) Benevoli, Dissert. ed Osservazioni, Dissert. I. Firenze, 1747, 4.°
(2) Obs. LXII. Lien mole auctus in hypogastrium descenderat quatuor librarum pondere.
(3) Anat. Pract., lib. III, sect. XXIX, obs. 12, 13.

" praesetulisse, qua mole compresso vesicae collo, urinaeque impedito tran-
" situ, necessitatem moriendi aegro esse accitam." Laudatus Bonetus haec subjungit "Dissecto scroto Caroli Ludovici in Nosodochio Genevensi primo
" se obtulit omentum eo devolutum, paucula pinguedine obductum flave-
" scente: hinc intestinum ileum cum annexo mesenterio ad ulnae nostratis
" longitudinem devolutum." — "Quae immanis procidentia si accidit, mul-
" tum negotii facessit in reponenda hernia scroti (1), vel plane impossibilis
" est restitutio, quia alienum sibi domicilium selegit, uti ex Jac. Thevart
" sic retulit Bonetus (2)" — "Aperto cadavere (Joh. le Charron) observa-
" tum est mediam quamdam partem intestinorum, et mesenterii rupto peri-
" tonaeo in scrotum amplissimum, et omni fide majus prolapsam, ut etiam
" inde retrahi nequiret: et ista prolapsio erat illi naturalis, intestinaque tan-
" quam in loco nativo et augebantur in scroto, et nutriebantur."

In hujusmodi veteranis herniis dexteri lateris saepius coecum intestinum cum appendicula, colon dexterum totum, et portio ilei intestini a coeco tracta in infimum scrotum prolapsa a nobis inventa sunt. Tunc crassa intestina ante tenuiora descendunt, et tenuia, quae retro priora defluunt, mutata directione cum crassioribus veluti decussantur. In eo statu mesenterium non solum producitur praeter ordinem, sed etiam corroboratur a fasciis tendineis, quarum aliae fere transversae, aliae in longitudinem porrectae, et oblique se intersecantes in scrotum cum intestinis veniunt. Ex quo difficultas restituendi intestina, sive quod ipsa quodammodo contorta sint; sive quod crassa magis resistant, neque spatium pro iis remanet, ut quae ab lateribus abdominis suspenduntur; sive quod manuum compressio non secundum positum intestinorum dirigi potest; sive denique quod pingue mesenterium pressionis vim eludit. Illud certum est mesenterium, et mesocolon absque ruptione paulatim distrahi, et extendi posse; certum est etiam mesenterium, quod tenui intestino comes it in scrotum, duritiem quamdam concipere, et flexilitatem amittere, sicque liberae restitutioni obstare, cujus causa vulgo annulo nimis constricto tribuitur.

Quod de mesenterio diximus, id de omento quoque dicendum est. Hoc laxatum gravitat super peritonaei productiones, eas lubricando infirmat, dilatat, et procidit. Vidimus saepe tam insignem procidentiam, et tam expansum omentum, ut pondere stomachum, et colon transversum deorsum traheret. Mulier octo supra quinquaginta annos nata, jam quinto et vigesimo ab hinc anno exomphalo laborabat. Namque cum adolescentula aegrotanti amitae adstaret, eamque ubi opus, in lectum reponeret, ingentem forte in abdomine distractionem percepit, immemor an ante, an retrorsum truncus inclinatus esset, quae ramicis umbilicalis origo fuit. Duodecies, postea quam

---

(1) Garengeot, Traité d'Opérat. tom. I, p. 329.
(2) L. c. obs. 14.

viro se conjunxerat, feliciter enixa, postremo evenit, ut prolapsum intestinum restituere, quemadmodum ipsa solebat, nequiret. Hinc bis secta prius vena in nosocomium concessit. Ibi altero, quam advenerat, die incisa, altero ab incisione die mortua est.

Cadaver erat praepingue: ligamentum latum hepatis seu suspensorium inflammatum, aliqua omenti crassioris pars interius umbilico adhaerebat. Omentum mesocolicum crassum, durumque; jejunum ad duas fere spithamas inflammatum; adnexum mesenterium leviter corruptum, et jejunum, ubi inflammatio desierat, coarctatum; reliqua aëre distenta. Videtur proinde ab ligamenti lati jecinoris distentione laxatum peritonaeum omento, tum jejuno viam per umbilici hiatum aperuisse; dein gestationis iteratae pondere, laxato amplius hiatu, viscerà extrorsum fuisse protrusa.

Vir aetatis mediae tumorem in dextero scroto gerebat durum, cylindraceum, tres latos digitos longum, unius et dimidii crassitudine, a quo praeter alvum contractam, et abdominis tensionem vix quidquam incommodi pertulerat, ideoque omentum solum prolapsum fuisse non male judicabant chiriatri. Sed cum abdominis inflationi superveniret deinceps dolor, et vomitio, praeter omentum intestinum quoqué illapsum fuisse suspicabantur, ideoque necessitatem adesse tumorem aperiendi. Quo facto, substantia quaedam admodum compacta, primo intuitu non facile discernenda in conspectum venit, quae cum naturalem sibi sedem acquisivisse videretur, satius duxerunt intercepta viscera inciso annulo liberare. Sed superveniens mors sequentia observanda obtulit.

Omentum oblongatum usque ad testis septum descenderat in durioris cylindri formam convolutum, ad cujus exterius latus vasorum spermaticorum funiculus cernebatur. Ileon intestinum, antequam in coecum desineret, inflectebatur deorsum, superatoque annulo abdominis, recipiebatur ab omento veluti in vaginam convoluto, quod omentum uti ileo intestino praetendebatur, eidem intestino etiam in abdomine agglutinatum erat, ubi altera ilei inflexio, et mesenterii plicatio simul occultabatur. Caeterum epiploon oblique deorsum trahebat ventriculi, colique arcum.

Bajulus quinquagenarius ampla oscheocele sinistri lateris affectus ad Nosocomium perductus fuit 6 die junii 1824 ubi moriendum ei fuit paulo post peractam operationem. Sympthomata, quae in ingressu conclavis notabantur, erant alvus clausa, et rarus singultus; caeterum nec abdominis, nec scroti tensio, nec febris, aut dolor aderant. Explorato herniae sacco conclusae lymphae signa apparuerunt, eductaque per punctionem aqua subrubente, extrema pars omenti in conspectum se dedit. Quod cum mane accidisset persistente singultu, et alvi constipatione, saccus herniosus post meridiem patefactus fuit, in quo crassum intestinum cum omento a multis annis jacebant extra naturalem sedem, in quam compelli nullo pacto potuerunt. Igitur homo intra nichthemerum exspiravit.

Hernia a magna epiploi portione valde pingui duraque constituta erat, cui

colon sinistrum, et portio superior recti intestini cum propriis vinculis mesocolo, et mesorecto subjacebant, non minori pinguedine fartis, atque amplissimo abdominis annulo agglutinatis sine faecum interceptione, quae copiosae utrumque intestinum opplebant. Hic non difficulter cognovimus peritonaeum a vinculis naturalibus solutum a crasso intestino deorsum tractum fuisse, et hypocondrii, et lumbi sinistri regionem deseruisse, atque ob tensionem, et descendendi proclivitatem rectum quoque intestinum extrorsum rapuisse. Haec laminarum peritonaei avulsio nonnisi a nimia contentione, qua bajuli onera extollunt, et succollant, originem capit, ex quo viscerum alicui tanta impellendi vis impertitur, ut laminam abdominis musculos intus convestientem in aliquo puncto labefactet, et protrudat.

Observationes igitur, quas modo adduximus, evidenter demonstrant, nunquam herniam vel intestinorum, vel viscerum existere, nisi prius aliqua peritonaei lamina, productio, aut vinculum laxetur, et diducatur. Alterum argumentum est, quod epiploon, quoties annulum subit, semper crassescit, et non raro indurescit; quamobrem in abdomen restitui non potest, nisi summo vitae periculo; etenim ita restitutum veluti corpus heterogeneum intestina comprimendo inflammat, foecum circulationi obsistit, mortisque inevitabilis causa est. Nos longa experientia docti solemus morbidam epiploi portionem praecidere, vel dispertitis ligaturis jugulare, si crassitudo nimia sit, reliquum reposito intestino naturae committere.

Quamvis etiam Valsalva non per disruptum, sed per laxatum peritonaeum, neque intra ejus processum, sed intra sacculum ab eo laxato efformatum viscera procidisse conspexerit testante Morgagno (1); idque alii viderint, ut Arantius, Hildanus, Barbette, Ruyschius ab eodem Morgagno memorati; tamen rupti interdum peritonaei observationes rarissimas extare Joh. Salzmanni, et Friderici Hoffmanni Patris Sepulchreto inscriptas idem Morgagnus indicat, qui certe voluisset, ut violentae causae, per quas id contigit, prolatae fuissent. Nos ergo ejusdem optatis satisfacturi sequentem observationem adjungimus.

Agricola diutino vomendi impetu fatigatus, contractaque hypogastrocele decessit. In sinistro latere, postquam abdomen fuit reseratum, peritonaeum a musculorum abdominis aversa facie, et ab inguinis rima secesserat, et e directo rimae abdominis amplo patebat hiatu, per quem magna ilei intestini pars inter peritonaei laminam, et musculos abdominis effusa in sinistra hypogastrii sede sub margine circulari cartilagineo ossis ilii coercebatur. Omentum a dextris descendens primo, deinde contortum trans primam lumborum vertebram sinistrorsum tendebat, ut margini, quem hiatus peritonaei constituerat, adnecteretur.

Nescio an huc spectet Celsi locus de interiori membrana abdominis ru-

---

(1) De Sed. et Caus. Morb. ep. XLIII, n. 6, 7.

pta (1), ubi dicit eamdem interdum vel ex ictu aliquo, vel retento diutius spiritu, vel sub gravi fasce, superiore cute integra, rumpi posse tam in viris, quam in foeminis. Quam opinionem amplexus est etiam H. F. ab Aquapendente, subjungens, curari ruptionem peritonaci, si ad mutuum contactum adducta labia glutinentur, quod fieri non potest, nisi divisa prius cute ruptio patefiat. Hoc autem propositum fuit, quia veteres existimabant, singulas hernias nonnisi disrupto peritonaeo accidere posse. Propterea Aquapendens, dum asserit hanc chirurgiam difficilem admodum esse, et subtilissimam, sategit, ut patientes sua sorte contenti vitam traherent imposito cerato constringente, cinguloque desuper deligato. In hac curatione tamen per incisionem vult (2), ut cutis et membranae ad vaginalem usque aut ruptam, aut dilatatam aperiantur; postmodum ut vaginalis consuatur una cum cute, et membranis.

Alteram nunc adjicio observationem lacerati peritonaei, et singularem, utpote ex tribus cellulis herniosis efformatam, quae restituendo intestino non leve obstaculum opponebant. Senex oscheocele jamdiu erat affectus, quam a semetipso reponere solebat, si compositio dici potest empirica compressio. Medio autem martio anni 1778 accidit, ut quod prius cum aliqua facilitate exequebatur, nunc obtinere non posset. Intestinum dum premebatur, strepebat, et ex parte chirurgi manibus obsequebatur, non tamen ex toto recondebatur. Abdomen non tumidum, alvus obediens erat, neque cibum aeger repugnabat. Itaque non gravia adeo urgebant sympthomata, ut ad celotomiam veniendum esset; levioribus tamen morbi signis, vel etiam senectute aeger ad interitum ductus est.

Intestinum ileon una cum coeco, et appendicula in tres sacculos aut bursas devolutum erat, et singula in singulas excepta: prior sub communibus integumentis ab ipsa adiposa membrana constituebatur, quia saccus, ut dicitur, herniosus ruptus erat. Altera bursa amplior, et media ab ipso peritonaeo laxato, seu sacco hernioso effingebatur, cujus ora in falcis modum lacerata, atque sursum directa priorem sacculum ab hoc discreverat. Tertium loculum constituebat ejusdem peritonaei in scrotum deducti plicatura, aut septum, quod medium loculum ab hoc inferiori discriminabat.

Potuit certe omentum in prima observatione peritonaeo agglutinatum concitare vomitum, potuitque ob vomitionis vehementiam idem omentum sic distrahere peritonaei laminam, ut ab rima abdominis, et a musculis violenter avelleretur, sicque viam parare ileo intestino, ut continuatis conatibus et adjuvante abdominis contractione in herniam interciperetur. Suspicandum est in altera, quod rudi tractatione tumoris, incondito saltu, et corporis contentione, quae ab agresti viro expectanda est, peritonaei lamina distracta, et discerpta fuerit.

---

(1) De Med. lib. VII, c. 77.
(2) De Chir. operat. p. 64, edit. Venet.
(3) Pentateuchi, lib. I, c. 25.

Mirabar saepe, quomodo in veterana, et nunquam reposita oscheocele foecum a tenui ad crassum intestinum transitus fieret, quia materiae in varie inflexo tubo, quamvis canalis abdominis nullo modo constrictus esset, imo amplissimus, contra gravitatis vim ascendere coguntur, et iterum defluere, ut ad cloacam perveniant? An a motu peristaltico, si quidem existit, promoventur excrementa? Sed crassum intestinum eo motu praeditum non est, et tenue liberum non est, ut vermiculari agitetur motu. An ab actione diaphragmatis, et musculorum abdominis? Sed in vasto oscheocele scrotum enormiter amplificante musculorum actio eo usque non pertingit. An a sola bile derivat, quidquid commotionis intestinis inest? Quaesiverat revera Morgagnus (1), cur alvus nihilominus responderet in iis herniis, in quibus nec annulus, nec intestinum arctius constrictum est, nec gangraena affectum. Hoc in parvis herniis dumtaxat accidere observavit, atque animadvertit aliquam materiae partem in nonnullis trajectam esse, quae infra constrictionis locum fuerit accumulata; vel etiam supra eum locum, si constrictio minor fuerit; vel denique quod parietis intestinalis particula solummodo interclusa fuerit, ut via satis pervia supersit in tubo, quo faeces utcumque trajicere possint.

Commode etiam fit transitus rei alimentariae, si intestinum aliquod transmotum fuerit intus in abdomine, quod cadaver provectae aetatis viri kelem gerentis nobis obtulit anno 1777, quem manuum ope pertentando incassum restituere conati sumus. Aperto igitur scroti sacco, intestina haud aegre per rimam in abdomen propulsa sunt; nam sic erat ampliata, ut quatuor digiti in conum collecti per eam insinuarentur. Nunc autem praetermissa quae ad vulgarem herniam spectant, et abdomine per longam incisionem adaperto singularem duodeni translationem animadvertimus. Notum est enim ter inflecti duodenum antequam sinistrorsum in jejunum abeat, atque ex sinuata mesocoli plica egrediatur. Contra in hoc viro directe a pyloro duodenum secundum dextrum latus spinae dorsi retro mesenterium, et super musculi psoadis corpus descendebat, ubi ex sinuato margine prodiens in scrotum delabebatur. Circulus iste mesocoli regularis erat, tumidulus, subrotundus, paulo productior, ut spatium inter marginem liberum et duodenum intercederet. Porro in sacco herniario praeter extremum duodenum, totum intestinum jejunum repertum est una cum mesenterio crassefacto, multumque protracto. In hoc mesenterio versus psoae radices abscessum conspeximus ipsi duodeno quodammodo instratum, nam vertebrale, ut dicam, mesenterium ante duodenum excurrebat. Omentum in dextra pariter abdominis parte collectum, corruptum, crassumque fuit.

Quid de hac translatione partium sentiendum? An ab origine transmotum fuit duodenum cum propria vagina? Ita existimo, quia nulla morbida con-

(1) De Sed. et Causis Morb. ep. XXXIV, 14 et seq.

ditio in iis partibus, praeter eam, quae prolapsum insecuta est, conspiciebatur. Itaque crediderim ex distentione, et pondere chymi crassioris duodenum ad inferiora extensum fuisse, paulatimque jejunum cum annexo mesenterio eo perduxisse, ubi sensim sensimque in herniam prorupit.

Si ad ea, quae superius proposita sunt, animum advertamus, facile conjiciemus ad curationem non sufficere, ut intestinum recondatur, et cingulo contineatur, donec processus peritonaei coarctetur, vel a succrescente carne obstruatur. Cum enim herniae causa in mesenterii laxitate consistat, necesse omnino est, ut mesenterium ipsum, ejusque appendices contrahantur, et constringantur. Quod eo facilius obtinetur in juvenibus, in quibus corpus vegetando novas jugiter vires, et robur assumit, quam in viris, utpote rigidioribus, et indocilibus fibris praeditis. Non tamen ablegenda sunt subligacula, quibus non tantum viscera in sedibus continentur, et rima abdominis roboratur; sed etiam ulterior mesenterii distractio eo artificio prohibetur, id praecipue obtinendo, ut id ligamentum paulatim sese contrahat, et in pristinam sedem restitutum denuo instauretur. Commodum igitur erit ad consolidanda ligamenta, ut aeger in lecto aliquandiu conquiescat, et ab exercitationibus gravioribus sese abstineat. Praeterea ut styptica lumbis, abdomini apponantur, quorum formulas videre est in chirurgia ab Aquapendente, Vigonis, aliorumque. Opportunum quoque censemus medium ventrem inferiorem succingere, ne pondere deorsum ruant viscera, atque ut suspensum mesenterium propius adnexum cum vertebris lumbalibus admoveatur, quo plus roboris acquirat, et in sede permaneat. His adjungenda sunt alimenta sana, flatus discutientia, interdum spirituosa, ut liquor Hoffmanni, vinum meracum, spiritus salis marini, quem magnopere laudatum video apud Dionysium (1).

Formula, modusque hoc remedio utendi, quemadmodum a Monacho quodam redemptum, et postea a Galliarum Rege vulgatum fuit, hic est.

A biennio ad decennium.

Sumantur, spiritus salis marini scrupuli quatuor; misceantur exactissime cum vini rubri generosi hemina. De hoc vino hauriat quotidie jejuno stomacho uncias duas, atque ita pergat ultra diem vigesimum primum.

A decimo ad annum aetatis quartum decimum.

Heminae vini adjungantur drachmae duae ejusdem spiritus et probe uniantur.

Ab anno quartodecimo ad decimum septimum.

Vini rubri Heminae infundantur drachmae duae cum dimidia spiritus salis marini.

A decimo septimo ad extremum vitae.

Usurpentur drachmae quinque ejusdem spiritus pro vini hemina.

---

(1) Opérat. de Chir. quatrième Demonstrat.

Emplastrum quod habet

Mastiches puri unciam dimidiam.
Ladani drachmas tres.
Nucum cypressi siccatarum tres.
Hypocystidis.
Terrae sigillatae singulorum drachmam unam.
Picis nigrae uncias tres.
Therebintinae venetae unciam unam.
Cerae flavae unciam unam.
Radicis consolidae majoris siccatae unciam dimidiam.

Redigantur omnia in pulverem, dein coquantur jugiter massam agitando, miscendoque, donec ad formam emplastri denseatur. Postquam emplastrum inguini impositum est, haec observanda sunt; ut subligaculo bene fabrefacto diu noctuque gestato viscera contineantur; ut jejune bibatur vinum, postquam in lagena bene quassatum fuerit; sumpto vino per quatuor horas a cibo, potuque abstineat. Si stomachus affligitur, uno alterove die a vini haustu desistendum. Nunquam consideat aeger, sed pedibus insistat, vel jaceat, vel deambulet. Non equitet, non curru, vel rheda vehatur, non satietur. Absoluta curatione per tres menses adhuc ventrali fascia fulciatur.

Nunc ab adultis, in quibus aleae plenae sunt herniae, transeamus ad pueros, in quibus ob peritonaei structuram, et viscerum situm facillime contingunt. Talis autem est peritonaei status, ut in quocumque orbitae puncto attenuari, et dissolvi possit, praecipue vero relaxatur, ubi appendices, seu processus emittit, quorum tres numerantur, bini ad inguina, alterum ad umbilicum. Jam enim pervulgatum est, quod in foetibus virilis sexus usque ad octavum mensem processus peritonaei inguinales assurgunt in cavo abdominis renibus proximi. Hi processus una cum coleis, quos sustinent, et ambiunt, post octavum graviditatis mensem paulatim ad inguina descendunt, ubi raro consistunt, saepius vero post ortum in scrotum dimittuntur, atque orificium, quod abdomen spectat, conglutinatur. Quod si orificium, quod ex inversione, et depressione processus peritonaei efficitur, patulum maneat, viscus aliquod data causa per id in scrotum devolvi potest, sicque fit hernia congenita.

Herniam congenitam teste suspenso exhibuit puer anno 1787 parentibus orbus, decem natus annos, quae eodem referente ab ipso ortu existebat in dextro inguine. Testis in inguine haerebat, qui licet undequaque mobilis, et paulo deorsum propelli, et simul intestini cum illo prolapsi portio facile compelli in abdomen posset; tamen quo minus fascia herniis continendis apta muniretur, faciebat metus, ne coleus ab ejusdem pila nimium laederetur. Duo a me ad sanationis scopum proposita fuere: alterum ut fasciae orbiculari binae pilae, seu pulvilli aptarentur, quorum sinister a consueta pyramidali forma non recederet, et veluti basis esset, super quam tota fascia pelvim cingens firmaretur. Pulvillus dexter solito gracilior, ex transverso

ovatus ita positus esset inter coleum, et annulum, ut hunc premendo, illum non urgeret. Alterum si hoc artificio contineri intestinum nequiret, aut testis a pulvillo male afficeretur, ut sectio, quam pro herniis adhibemus, institueretur, cujus ope vel annulus occludi, vel coleus, si quo vinculo suspensus esset, deorsum urgeri potuisset. Eorum autem, quae proposui, auxiliorum primum amplectebatur, vinculoque concinne fabrefacto intestinum in sua sede contineri potuit.

Decem mensium puellum, quem ob alterius cruris brevitatem dissecabam anno 1786, hernia in dextro inguine laborare animadverti. Intestina vacua, et pene diaphana erant, glandulae autem mesentericae mole auctae. A dextris per patulum peritonaei ostium dilapsum erat crassum intestinum cum ilei ansula, ad quem prolapsum perquirendum discissis per longitudinem scroti tunicis, et peritonaei productione, cum rima abdominis, apparuit testem ab intestino proxime contingi. Ultimus nempe ilei gyrus, qui alias in ipso abdomine in coecum desinit, ab interiori parte inguinis descendebat in peritonaei canalem, ibique coeco intestino inserebatur sulco quodam transverso utriusque intestini limites dirimente.

Coecum, quod priori continuum erat, infimam sacci vaginalis sedem tenebat, cujus appendicula sinistrorsum educta, et versus pubem nonnihil porrecta inflectebatur sic, ut sub coeci fundo emergeret, atque ita inter crassum intestinum, et coleum interponebatur apice ejus dexterius vergente. Testis altera superficie super vaginalis tunicae fundum reclinatus erat; altera appendiculam, et coecum sustinebat. Ab angulo colei dextero exteriorique producta epididymis arcuatim sursum tendens sub colo intestino recondebatur, quod ita coeco comes ibat, ut non modo ilei gyrus, et coecum totum cum appendicula, sed coli dexteri portio quoque ad herniam faciendam convenirent.

In cadavere adulti, et hirsuti viri peritonaeum, quod in sacculum oblongum extra abdomen productum vaginalem tunicam testi impertitur, intra idem abdomen a dextero latere adhuc hiabat. Aderat nempe ostium naturale, quod post colei in scrotum descensum ab introversa basi, cui testis insidet in embryone, nasci solet. Per id ostium jam a Mery observatum (1) defluebat omentum, quod gracilescens in coni formam vertici superiori, et mediae testis superficiei adnascebatur. Ostium peritonaei versus abdominis caveam adeo amplificatum erat, ut praeter omentum crassiorem digitum contineret. Ita ex abdomine liberum ad testem iter, et vicissim ab scroti cavea in ventrem erat. Nacta igitur opportunitate, experiri placuit, num testis ex scroto in abdomen remeare posset; et sane levi digitorum pressione in abdomen exiluit una cum vaginali tunica, et orificium deletum fuit.

Nunc observationem prosequentes de testis positu, scire licet epididymidem pone omentum a colei superiori vertice enatam, juxta crassiorem

(1) Mém. de l'Acad. Roy. des Sciences, 1701.

marginem, et paulo retrorsum descendisse ad imum testem, ubi in anteriorem partem reflexa secundum marginem testis internum in deferentem ductum abiisse. Videtur ergo omentum testi, dum in abdomine latitabat, fuisse accretum, ab eoque dum ex abdomine depellebatur, paulatim laxatum epiploon in scroti caveam fuisse deductum. Evidens etiam est, cum via in scrotum satis ampla esset, quod intestina extra orbem suum non recesserunt, quia illa mesenterii pars, quae eadem alligat, relaxata nunquam fuit. Porro tenendum est ob intermedii omenti impedimentum, et ob ejusdem utpote a ventriculo orti mobilitatem pervium permansisse abdominis orificium; demum propter omenti adhaesionem testem a perpendiculo stetisse, qui alias in adulto obliquus est. Caeterum tubus iste vaginalis nihil lymphae continebat.

Tres peritonaeum emittere processus paulo superius diximus: duo nempe ad inguina, tertium ad umbilicum sic, ut duo primi paulo ante infantis ortum ex abdomine in scrotum demittantur; ultimus, qui extra abdomen jam est, post tertium foecundationis mensem in ventris caveam recipitur, atque sacci vitellarii vice fungitur in homine, et vesicula umbilicalis ab auctoribus nuncupatur. Etenim in tenerrimis embryonibus, quibus corporis extremitates adhuc desunt, et reliqua imperfecta sunt, carinam vidi cute tectam, non item anticam corpusculi partem a sterno ad pubem. Cutis loco extantia viscera contegebat membranula tenuissima, per quam mucosorum adhuc intestinorum gyri translucebant, nutabantque extra abdominis orbitam, ita enim laxe ab ea membranula custodiebantur.

In embryone magis maturo umbilicus quadantenus cute tectus semper prominet in umbonis formam viscera complectens, cujus orificium modo amplius, modo angustius existit. Haec vesicula, aut umbilici prominentia a subtilissimo velamento, quod a peritonaeo procedit, obtegitur, atque in perfectiori foetu a superinducta cute velatur usque ad funiculi umbilicalis marginem. Nec quisquam existimet eam membranulam esse amnion, quia Albinus scribit (1) " Amnion multo ante quam umbilicum attingat per ambitum " ejus a corio recedere, sensimque contrahere se in quamdam infundibuli " speciem, eaque parte umbilicum laxe continere. „ Nam amnios ad oras umbilici cutaneas pertinet, sub qua expansione infundibuliformi vesicula peritonaei reperitur.

Funiculus superiorem umbilici partem tenet; vesicula sub eodem prostat, atque intestina in vesiculam transeunt per intervallum quoddam inter venam umbilici, et arteriam sinistram, antequam canales isti in funiculum compingantur. Tunc hepar totum epigastrium occupat, quandoque vesiculam subit. Duodeni extremum cum jejuno, ileo, et colo extra abdomen sunt praeter eam crassi intestini partem, quae in rectum desinit. Vesicula igitur

---

(1) Annot. Acad. lib. I, c. 19.

umbilicalis sat ampla abdominis loco stat, comprehenditque intestinorum, mesenterii, et hepatis rudimenta, tenuissima illa dumtaxat membranula protecta. Bullucula igitur varias subit mutationes: vel enim sola pellicula contegitur, cute et musculis deficientibus; vel eidem cutis superinducitur secundum naturae ordinem; vel rima superstes in adultiori inter musculos rectos transitum dat visceribus herniam efficientibus; vel rima ulterius extenditur, tumor increscit, et prolapsus augetur.

Pro certo igitur haberi potest, quod initio peritonaeum solum visceribus obtendatur, quod deinde per umbilici fere hiatum producatur, tertiumque processum constituat; quod primis foecundationis mensibus pro ventre locus non sit, sed abdominis cavum tunc formari incipiat, dum nudum peritonaeum musculis, et tegumentis obducitur; quod pedetentim extantia viscera intus relabantur eo ordine, quo cavitas abdominis effingitur; demum quod bursa, aut processus peritonaei illabitur postremo, et contrahitur foveolam in umbilico relinquens.

Cum igitur in singulis embryonibus umbilicus tumeat, et multum promineat testante Albino; cum umbilicum expansum, et aliquot tenuium intestinorum gyros continere viderit Wrisbergius (1), qui ex amplo hiatu in linea existente prolabebantur; cum hic umbilici status post tertium graviditatis mensem mutetur, et vesicula dispareat (2); pronum erit judicare, quid de ea sentiendum sit; quid exomphalus congenitus denotet; a qua causa oriatur *eventratio*, vel *Aspalasoma*? (3) Quid de foetibus in adultorum abdomine repertis dicendum? Si enim saccus vitellarius intra ventrem retrahitur, ubi abdomen congruam amplitudinem acquisiverit, quid vetat, si duo ova, aut germina, communibus membranis conclusa, ne sacci vitellarii sibi invicem adhaereant; quid, inquam, vetat ne unius vitellus alterius vitellum cum toto ovo absorbeat, rudisque embryo in aliquo abdominis angulo consistat, et cubet?

Primipara anno 1779 genuit masculum macilentum, rugosum, vomentem viridia, cui in dextero umbilici latere hernia prominebat. In prima aetate foetuum maturorum velamenta communia solummodo contigua funiculo esse videntur. In hoc casu cutis a funiculo recedens locum fecit peritonaeo, quod propulsum, ruptumque tenuia intestina cum mesenterio ad ulnae longitudinem effudit. Neque recens videbatur accidisse prolapsus; nam intestinorum, et mesenterii superficies ruberrima erat, tamquam ab amnii aqüis macerata, et leviter ulcerata. Non recentem fuisse herniam dixi, aut inter pariendum natam, quia intestina sic cuti erant accreta, ut dimoveri non potuerint. Quae singularis herniae species me impulit, ut puerperam percunctarer; num quidpiam adversi passa esset? Illa se probe meminisse ajebat, semel in dorsum, iterum in ventrem cecidisse; tunc illud consecutum esse arbi-

---

(1) Descriptio Embryonis hum.
(2) Blumenbach, Instit. Physiol. sect. XIV, § 570.
(3) Geoffroy S. Hilaire, Journal Compl. tom. XXI, maji 1825.

trabar, ut vis impulsionis in dorsum suscepta, et foetui communicata abdominis viscera contra umbilicum compulerit, regionem nempe debiliorem, ubi nulla re obsistente inter musculos rectos abdominis una cum peritonaeo gracile intestinum sibi viam paravit.

Similis observatio legitur apud Felicem Platerum (1) qui falso existimabat intestina, quae exciderant, ab amnio membrana fuisse cincta et eidem connexa. Recte vero statuerat, procidisse viscera, antequam in lucem ederetur puella, quia ejus mater nonnisi magnis conatibus alvum exonerabat. Conferatur etiam Joannes Scultetus in explicatione Tabulae XXXVIII, qui per relaxatum umbilicum intestina, solo peritonaeo investita, se conspicienda praebuisse in puella Ulmensi scripsit.

CAPUT XIX.

VESICALIA.

Etsi auctorum plurimi de causis, quae urinae iter obstruunt, disseruerint; tamen non abs re esse existimo, aliqua verba facere de nonnullis, quae longo nobis usu obvenerunt, exceptis iis, quae a venerea labe proficiscuntur. Plures autem causae sunt, ob quas urina reddi nequit, vitiumque est in urethra, vel vesica, vel renibus, quae partes interdum vitiatae esse possunt, quin urina intercipiatur. In viro, qui ob ischuriam perierat anno 1820, urethra angustata erat, et circa ejus medium duo sinus in valvulae formam effecti conspiciebantur, alter a dextris, alter, qui et major, in pariete postico, quorum ostia sibimet obversa erant; nam dextri sinus orificium versus glandem aperiebatur, et cerei, et fistulae, sive ampliandae urethrae, sive ciendae urinae causa in eum sinum impactae nunquam in vesicam compelli potuerunt. Sinus posterioris ostium e directo vesicae orificium spectabat. Hae duo valvulae, vel sinus tanquam ab instita urethram coarctante sejungebantur. Ultra institam, scilicet vesicam versus, canalis amplissimus, et crassus; vesica maxime lacertosa fuit.

Aliud quoque reddendae urinae obstaculum est caruncula, quam plerique chirurgorum olim esse carnis excrescentiam in urehtra ab ulceratione obortam existimabant, et nunc forte aliqui eandem sententiam fovent. Antonius Benevoli vero (2), et F. Colot (3) hanc carunculam celebratam ulcusculum esse grani hordeacei probant. In cadaveribus enim eorum, qui caruncula laboraverunt, modo a lata cicatrice urethram angustatam; modo granum hordeaceum vel ulceratum, vel pure vastatum una cum subjacente prostata; in-

(1) Obs. lib. III, p. 741, edit. Basileae.
(2) Nuova Esposizione intorno alla Caruncula dell'uretra. Firenze, 1724.
(3) Traité de l'opération de la taille, p. 229, seq.

terdum etiam hinc inde constrictam urethram a cicatricibus viderunt. Sed quotiescunque pus, aut sanies ex urethra prodit, id granum hordeaceum abscessisse indicat; unde etiam urina flexuoso cursu, aut geminato effertur, et quandoque pus per vasorum seminalium, et prostatae canaliculos in cellularem textum deponitur, et abscessionem vel in perinaeo, vel in scroto parit.

Cereoli, qui in urethram immitti solent, id solum agere videntur, ut granum hordeaceum comprimendo, pus, aliamve materiam prostatae inhaerentem expellant, malum autem radicitus non tollant. Neque multum fidendum cereolis caustico onustis, quos Colotus plane rejicit.

Granum hordeaceum in suppurationem abiisse cognoscitur, si fila purulenta cum urinis educuntur; si frequens sit mingendi desiderium cum ardore, et aliqua difficultate; si urinae cursus bifidus; denique si obex demisso in urethra catheteri prope vesicae cervicem occurrit. His additur saepe febris cum horrore, et puris foetidi, aut sanguinei excretione.

Simplex grani hordeacei abscessus, qui ad prostatas non descendit, sanari saepius cereolis demulcentibus potest, si recta simul vivendi ratio instituatur. Probantur autem lac, aqua Nucceriae, concretum cornu cervi; pulmenta ex lactucis, intybis, buglossa, cucurbitis. Improbantur vinum, aromata, vegetabilia urinam moventia, cereoli medicati, injectus mordax, irritans; neque semper profuit oleum injectum, quia ob visciditatem parietibus urethrae adhaerendo, atque impuris humoribus irretitum, saepe noxium fuit. Initio morbi balnea, et fotus proficiunt, eoque descrescente cereoli simplices, denique styli plumbei ad explicandum iter, quae vero impedimenta non ultra trium aut quatuor horarum spatium retinenda sunt. Fistula vero, quam hodie usurpant, ex gummi symphoricae Guianensis confecta, septimo circiter quoque die educenda, atque purganda est, cum ea materia, quae ex urina ei inhaerescit, asperior fieri possit.

Eadem remedia, quibus suppuratio antevertitur, aut quibus affectae partes ab humorum colluvie liberari possunt, turgentibus prostatis conveniunt; at cereoli fere nihil possunt, quin imo irritando nocent. Quare si malum pervicax sit, ad validiora deviendum est, et perinaeum usque ad vesicae cavum incidendum; tubulus condendus ad urinam educendam; et suppuratio promovenda, quo partes infirmae detumescant, et erigantur. Ubi urethra nimis constricta est, ut catheteri non sit locus, tenuissimus stylus in urethram immittendus est, atque eo loco, ubi consistit, ibi super apicem lenticularem incidendum, et per id vulnus specillum in urethram introducendum, et per specilli iter conductor canaliculatus in vesicam impellendus est, cujus beneficio reliquum urethrae vel dilatatur, vel ad vesicam usque aperitur.

Accidere interdum potest, ut urethrae iter adeo obstructum sit, ut stylus penetrare non possit; tunc oportet vulnerare perinaeum sic, ne urethra, neque vesicae cervix laedatur, eo videlicet fine, ut per suppurationem partes illae detumescant, et relaxentur, quo deinceps demisso per urethram

stylo, vel cathetere, eadem urethra, et collum vesicae, et prostata discindi queant. At si vesica nimis intenta sit, et ejus tumor ad umbilicum pertineat, duobus supra pectinem digitis eam perforare necesse est relicto tubulo, donec viae naturales panduntur.

Dum ex retenta, vel difficili urina genitalia organa intumescunt, et in suppurationem abeunt, saepe sinus et fistulae oriuntur, in quibus urina desidet. Tunc urethra non uno loco ob ulcera, vel abscessus perforata invenitur; ideoque perinaei fistulae non semper integram sanationem recipiunt. Nonnunquam urethra pertunditur superius inter radices corporum cavernosorum, et pubis ossa carie afficit. Interdum trans granum hordeaceum laceratur urethra, aut si mavis in ejus collo, sinusque purulentus inter posticam vesicam et rectum intestinum exoritur vix sanabilis. Ubi urina lente distillat in cellularis textus areas, saepe calcaream terram deponendo in lapillos concrescit nulla arte distinguendos nisi sectione instituta. Plerumque vero fistulae reperiuntur in urethra membranea, rarissime in cole; descendunt inter musculum erectorem, et corpus urethrae vasculosum. Videtur sane, quod haec urethrae ulcuscula, quae in fistulas abeunt, arrodant libentius lacunas profundiores urethrae, aut glandulas ante prostaticas, quarum nucleus in cellulari residet.

Viro sexagenario, qui ob gonorrhaeas virulentas ischuria saepius laboraverat, abscessus in perinaeo pertusus fuit 21 januarii anno 1782. Ex eo ingens quotidie urinae vis profluxit; sed continua febris cum siti, anxietate, aliisque malis conjuncta hominem e vivis eripuit die trigesima ejusdem mensis.

Vesica urinaria e cadavere exempta, vacua, et contracta sine labe fuit, si quemdam ruborem excipias prope cervicem. Verum cellularis membrana extus urethrae circumposita multum aucta, et dura fuit; auctum pariter volumen vesicularum seminalium, et glandulae prostatae conspiciebatur. Urethra per longitudinem discissa, duo foramina in conspectum venerunt, quae in urethra membranea prope radicem bulbi spongiosi, et paulo dextrorsum, crassiorem specillum admittebant, et in vastum perinaei abscessum desinebant. Anterius paulo scilicet in urethra cavernosa ulcera bina septo membranaceo separata animadversa sunt. Spatium, lata illa foramina dirimens ab ulceribus, obtegebat membranula dura urethrae undique annexa, praterquam in anteriori urethrae parte, ubi sub margine libero aditus erat in amplum sinum, vacuum, ad granum usque hordeaceum protensum. Urethra desinebat in glandem deformem, crispatum, durissimum.

Robustus vir jam pridem per hydrargirosim a venerea labe liberatus duritiem in perinaeo, et ad urethrae dimidium cum familiari stranguria ad multos annos conservavit. Dum in valetudinarium se recepit anno 1783 urinam purulentam, et difficulter reddebat. Ibi febri et inflammatione suborta, profundus abscessus in perinaeo, alter in scroto ad penis radicem apparuit, quibus apertis, absumptaque per longam suppurationem duritie vir melius habuit, et detersis postmodum plagis urina jam per urethrae viam

excernebatur, quae per 40 dies ex ulceribus penis, scroti, atque perinaei distillaverat. Ita factum est, ut spleniis crassioribus arctioreque fascia deligarentur ulcera, quae ex oris callosis aliquot urinae guttas adhuc effluere sinebant, donec trochiscis e minio penitus exustae fuerunt. Sed urethrae via aperienda restabat, multique obices cereolorum, et chordarum progressum prohibebant, qui cum reliquis duritiis per novos abscessus penitus liquati, cereolis, et catheteri aditum in vesicam fecerunt, unde vir octimestri spatio sanus e valetudinario profectus est.

Optimi Practici de Marchettis (1), et Colot (2) praecipiunt fistulas omnes esse secandas, cereos, vel catheteres esse adhibendos, setacea, si opus, trajicienda, et Guajaci decoctum usurpandum. Pars autem callosa fistularum in perinaeo, et circa partes adjacentes inurenda est ferramento candente, ita ut caro illi accrescat, et ad cicatricem perducatur fistula; cavendum vero monent, ne eadem amplior fiat, aut pars aliqua spermatica extinguatur.

Art. I.

Ischuria et catharrus.

Quae gradu solum differunt dysuria, et stranguria ad ischuriam referri commode possunt, quia aeque ad urinae difficultatem pertinent. Inter causas vero urinae difficulter emittendae, notandae sunt: Arenulae, calculique; calli, cicatrices durae, elatae urethram obstruentes; prostata indurata, suppurata, schyrrosa; immodicus veneris usus; mejendi procrastinatio; potatio vini generosi, et aëre carbonio saturati; abusus diureticorum; potatio nimia aquarum mineralium, medicarum; tunc enim quo magis vesica distenditur aquis, eo minus in fluida vim suam exercere, seseque contrahere potest. Huic ischuriae facile medetur si venae sectionibus opportune factis inflammatio praecaveatur; si lotium catheteris ope emolitur, quoties id exigit urinae quantitas.

Huic proxime attinet alia urinae retentio, quam aliqui paradoxam nuncuparunt, scilicet cum nimia urinae copia vesicam ita distendit, ut, quamvis aeger consuetam lotii quantitatem reddat, eadem tamen non vacuatur penitus, et in tumorem supra pecten assurgit globosum, interdum dolentem, qui ab imperitis persaepe pro pelvis abscessu habitus est. Tunc oportet cathetere lotium evocare, eoque interdiu, noctuque uti, vel eum in vesicam relinquere, donec vesica iterum ad consuetudinem suam, et pristinum robur redeat. Nunc autem monere oportet, quod quo plus urinae emittitur, eo magis secernitur; nam fistula flexilis, ut moris est, in vesica retenta nonnullos continuo ad mejendum incitat; alii vero eo beneficio fruentes saepius

---

(1) De ulceribus et fistulis urethrae.
(2) Traité de l'opération de la taille.

fistulam aperiunt parum lotii evacuaturi, quod dum ab aegro peragitur, vesica vacua persaepe aërem per fistulam absorbet, non levi superficiei ejus internae detrimento; nam vesica succenditur, sitis, et febris accedunt, et sub frigore homo extinguitur.

Est quaedam ischuriae species a levi inflammatione procedens, quae repente invadit cum immani mingendi desiderio, et gravi passione, lotio crasso, albo, atque intra paucas hebdomadas, interdum intra paucos dies periodum contrahit. Hoc Celsum non latuit, dum scribit: Mediocris quoque inflammatio saepe urinam reddi naturaliter prohibet (1). Morbi quoque hujus resolutionem non dubie declaravit inquiens: ex vesica dolenti si purulenta urina processit, inque eo laeve, et album subsedit, metum detrahit (2).

Fere autem inflammatio tenet totam vesicam, vel ejus partem aliquam veluti mucosam membranam, imum fundum, orificium, prostatam, et vesiculas spermaticas. Id vero ex dolore, et febri intelligitur, qui lumbos, inguina occupat, et etiam sub pectine tumor, et dolor est, si vesica a lotio distenditur, et interdum vomitus accedit. Tunc protinus sanguis mittendus est, et danda quae leniunt, uti decocta altheae, papaveris, hordei, quibus adjicitur nitrum. Homo etiam, si oportet, in balneum demittendus, abdomen oleis, malagmatibus fovendum est. Si hisce malum vinci non potest, demisso in urinae iter et in vesicam cathetere urina evocanda est.

Porro denatorum vesicas inflammatas inspiciendo reperitur mucosa membrana subcinerea, aut subruffa, punctis rubentibus interstincta. Quae subtus est membrana cellularis (nervosam vocant) mirum in modum distenditur, et crassescit, unde fit, ut intus in vesicae cavo, et in postico pariete in sepimenta flectatur ad instar valvularum intestinorum. Substantia hujus membranae compacta est, sic tamen ut se diduci patiatur, et alicubi fibras carneas albas ostendat. Sub hoc celluloso textu interdum sinus quidam venosi observantur uteri cotyledones emulantes, dum reliqua cellularis, quae extus vesicae circumponitur, duritiem quamdam est adepta.

Catharrus.

A mucosae internae inflammatione originem habet fluxus ille albus, viscidus ex vesica, quem catharrum, vel herpetem vesicae nominant. In eo perpetuus mingendi conatus, et mucosa plurima, quae matulas complent, et earum fundo adhaerent, interdum etiam sanguinea excernuntur. Neque male hanc affectionem tenesmo intestini recti comparaveris, inter quas partes multa est connexio; nam recti intestini phlogosis simul vesicam quandoque invadit, et urinae difficultatem cum aliis pravis effectibus ciet.

(1) De Med. lib. VII, c. 26.
(2) Lib. II, c. 8.

In omnibus, quos secuit Antonius Benevolus (1), cadaveribus reperit vesicam intus abrasam, mucore, qui superficiem oblinit, destitutam; nonnunquam etiam leviter ulceratam; rarius nigrescentem, nisi morbus diutius traxisset. Praeter haec in plerisque prostatam haud parum tumefactam invenit sine alio ejusdem glandulae vitio.

Sed quinam sunt fontes, ex quibus scaturit vis illa muci tenacis? Ut fontes illos muci, qui aliquando copiose intra vesicam deponitur, detegeret cel. Florianus Caldanus (2) vesicam urinariam atramento replevit, et primo die aquulam suboscuram, obscuriorem; altero nigram; tertio in extima vesicae superficie conspexit. Inversa tunc vesica internam ejus superficiem perlustranti, reticulum subtilissimum et elegantissimum in ipsamet superficie conspexit. Areae reticulo comprehensae foveolas minimas, rotundas nigro distinctas colore manifesto referebant, non aliter quam intimam intestinorum tunicam in cribri formam pertusam detexit, et delineatam dedit Galeatius Bononiensis, ex quorum cryptis intestinalem mucum emanare docuit. Itaque ab reticulata, aut folliculosa interiori vesicae membrana haud dubie emanat mucus in catharro vesicae conspicuus.

Id sequenti observatione haud dubie confirmatur. Geometra a prima pueritia ad pubertatem usque lectum commingere consueverat, cum parentes ejus rei pertaesi Medicum adsciscunt, qui dato, nescio quo pharmaco, involuntarium urinae fluxum cohibuit; sed fastidiosiorem effectum advocavit, priapismum nempe, noctuque intentius accedentem. Priapismo comes fuit excretio e vesica mucosa, seu fluxus muci viscidi, variati cum pressione, angustia, quo continenter ad annum usque aetatis 34 afflictus fuit, licet consiliis sapientissimorum Athaenei Ticinensis Professorum usus fuerit. Cum forte advocatus essem decima januarii anno 1821, mucum sanguine remixtum reddebat, eo quod insolitis laboribus ei vacandum fuisset; et dolores, quibus antea carebat, sibi familiares excitavit. Post sanguinis detractionem, datisque emulsionibus cum papavere et laudano turbae compescebantur. Vesica quamvis fere vacua supra pubem paulo tumebat, atque manu tractata quamdam firmitatem ostendebat, ut facile esset conjectare, tunicas crassiores factas fuisse. Cystotomiam, quam eidem proposui, rejecit, aliorumque experientiae se commisit, quae eum fefellit, tandemque omni spe dejectus violentas sibi manus intulit.

Totum vesicae corpus durum fuit lardi naturam habens; ejusdem lacerti carnei crassiores, inter quos multa lympha concreta haerebat; interior superficies ulcerata, et in suppurationem versa, ex qua hinc inde mucus in pseudo-membranulas laciniosas coactus pendebat; ureteres tumidi, crassi, lumen eorum ampliatum; renes sanis similes.

---

(1) Dissert. II sull' Iscuria.
(2) Fl. Caldani Opuscula Anat. Patavii, 1803, 4.° De cribrosa urinariae vesicae tunica.

Sorbitionis ex Avellana Mexicana confector urinam inconsulto continere solitus in gravissimam stranguriam incidit, qui Medicorum respuens consilia, amico Pharmacopolae sese concredidit, et pharmaca bene multa ex adstringentium genere ab eodem propinata devoravit. Ita misellus jugiter urinas cum difficultate emittebat, atque interdum vesicae cervix adeo contrahebatur, ut lotium non transmitteret. Interjectis aliquot annis ischuria tam pertinaci, tam intensa adortus fuit, ut continua pressione perinaeum intumuerit. Ab eo tempore (erat enim decimus annus morbi, dum haec adnotaveram anno 1800) scilicet decenii spatio urinas semper laboriose reddidit dissimiles colore, et crassitie; nam vel copiosum mucum tenacem, vel furfures male olentes, vel sanguinem tum muco, tum furfuribus perfecte commixtum demittebant. Dum ischuriae paroxysmus appropinquabat, urinae aqueae velut in hystericis fluebant, deinde supprimebantur, nec nisi post multas horas promovebantur, scilicet cum tenesmus vel sponte, vel auxiliorum ope dissolvebatur. Tenesmus nonnunquam ita torminosus fuit, ut e lecto desilire ei opus fuerit, et pedibus terram concutere, qua in angustia intestinum quoque ob invitos conatus et anxietatem multa mucosa dejiciebat.

Anno 1799 perinaei tumore ad maturitatem perducto ardentissima febris hominem, erysipelas vero scrotum, hypogastrium, ilia invasit. Hoc tumore in varios abscessus degenerante, opus fuit incidere perinaeum, radicem penis ad scroti latera, iliorum regionem. Ulcera ab his plagis orta persanata fuerunt, quin pro certo statui potuerit, an unquam urina per earum orificia distillaverit. Anno sequenti frequentius ischuriae, jugiter tenesmo ferocissimo, interdum febri, et cicatricum exasperationi obnoxius fuit, et paroxysmorum violentia alterum in perinaeo tumorem extulit, qui licet pro urinario habitus, nunquam quamvis apertus urinam dimisit.

Post bene multas circa morbi causam indagines judicarunt Medici, se herpetem, vel scabiem vesicae recognovisse, qualem describit Grashuis; injunxeruntque aegro, ut serum aluminosum biberet, et ut perinaeum sibi aperire pateretur. Inciso perinaeo, sinus tortuosus ad urethram ducens repertus est. Die quarto accessit febris; multum puris ex interiori sinu manabat; urinae liberius fluentes mucum tenacem, foetidum deponebant. Ad vires instaurandas cortex peruvianus datus est, qui post longiorem usum, cum cervicem vesicae constringere videretur, omissus fuit. Catheter ab experta manu ductus in vesicam demitti non potuit. Postquam aquas Brandulae potare incoepit, alternatim vehementi tenesmo, et ischuria per complures horas tenebatur, quibus sedatis, fere intra biduum ardens febris accendebatur cum sopore, pulsus duritie, sudoribus intra nycthimerum solvenda, tum etiam urina foetore continuo inter alcalicum et putrem nares percellente.

Sub his vicissitudinibus dies duodecim cum urinis albis bene habuit aeger; verum postquam sexdecim lagenas aquae hauserat, urinae denuo foetentissimae, crassae, purulentae, et subcruentae prodierunt; neque sine dolore, aut pressura, aut corporis agitatione eliciebantur. Relegatis proinde Brandulae

aquis pthisanam cujusdam empyrici homini commendarunt, nempe ex aperientibus, glycirrhiza, radicibus altheae, petroselini, fructibus alkekengi, ut videbatur, compositam. Et profecto urinas abunde ciendo, majorem simul muci, et sanguinis copiam trahebat. Hac pariter pthisana seposita mistum Grashuis porrectum est, quod recipit decocti corticis peruviani unciam unam, essentiae cinnamomi unciam dimidiam, spiritus vitrioli drachmas duas. Hujus elyxirii usu tenesmus quievit; urinae foetore, et muco privatae fere ad naturalem conditionem redierunt, et aeger decimoquinto die e conclavi descendit, urinas libero cursu etiam supinus excernens, quod antea frustra moliebatur.

Ita sex mensibus valetudine utens satis bona januario anni 1801 levi coryza praecedente aliquid sibi deponi in vesica percepit, et mox sinceri sanguinis copiam ex urethra excrevit, et qui insecuti sunt diebus urinae vel sanguine, vel muco tenaci, fibrato matulae inhaerente refertae, interdum expedite, interdum levi stranguria reddebantur, quam stranguriam clysteres ex opio cicurabant. Exinde naturalem urinae adeptae indolem vix duabus hebdomadibus fluxerunt, cum febris horrida novum in genitalibus abscessum generavit, ruptisque cicatricibus ad penis radicem, ad scroti latera, ad perinaeum nova ulcera induxit. Haec non tam gravis momenti fuissent, nisi simul nervorum distentiones accessissent protractis leypothimiis mortem minitantes. His signis moscho cum pauxillo opii subventum est; quod pharmacum tantae fuit efficaciae, ut non solum convulsionibus, sed etiam urinae opitularetur, quae trimestris spatio alacriter, et sine tenesmo manavit. Sed mense majo ejusdem anni urinae denuo cum tenesmo, glutinosae, sanguineae, et graveolentes apparuerunt, novique abscessus, et scroti erysipelas, et pus ex antiquis ulceribus scaturiebat; sopitisque postmodum molestiis aeger inambulabat, cibumque avide sumebat, ut omne intus morbificum extus conversum fuisse videretur. Quapropter ulcerum manantium beneficio totum annum 1802 sine gravi molestia traduxit. Demum ingravescente morbo quidpiam fungosi in vesica succrevisse indicabat tumor ejusdem supra pubem elatus, nisi forte ipsiusmet vesicae tunicae ita adauctae fuerint, tunc enim exasperatis sympthomatibus lente contabescens interiit anno 1803 sine sectione.

Fervidus concionator, cui saepius antea erythrema cervicem et crura occupaverat, urinam inter longius perorandum continere solitus, in eundem fere morbum incidit; nam assiduo mejendi desiderio urinam paucam, mucosam, dein cruentam demittebat. Tunc primus morbi impetus venae sectionibus, clysteribus ex opio, lactibus, postremo elyxire Grashuis domatus est. Post sesquiannum laboribus non parcens, fit anxius cum pulsu duriori, irritato, urinis cruentis, copioso muco irretitis. Itaque sanguis non semel e brachio, ex haemorrhoidibus dectractus est, et urina cathetere educta. Vesica non dolebat, neque abdomen tumebat. Quamvis etiam ab hoc paroxysmo liberatus fuerit, tamen de rebus divinis eloqui non destitit, sibique

gravem vesicae inflammationem concitavit, qua ad suppurationem vergente amplum in vesica ulcus exortum est, quod vitae finem fecit.

Ad calcem Dissertationis de Generatione puris cl. Johannes Grashuis medicus Batavus *adjunxit morbi non satis hactenus descripti* delineationem, in qua phoenomena omnia, quibus aegri detinentur, praecise et distincte enumerat, morbumque a dysuria, et stranguria discerni posse asserit tum ejus diuturnitate, doloris per longa intervalla remissione, tum a copia pituitae subsidentis; neque male comparatur tenesmo, qui intestino recto familiaris esse solet. Causam vero requirit in interioris vesicae tunicae sensilitate praeternaturali, quae ab urina irritata continuo contrahitur, ac si inimicum quid expellere conaretur.

Morbum hunc difficilis esse curationis non immerito existimat, praecipue si inveteratus sit, quia, etsi initio sanari possit, saepe tamen recrudescit. Quo minor est muci copia, et quo spissior, is cum urina prodit, eo morbus sanationi propior. Vesica eroditur nonnunquam; urina effunditur inter eam, et integumenta externa, tumoresque excitat cutem perforantes, vel cultello exscindendos. Intolerabilia autem tormina, diuque perseverantia vires infrangunt, et vitae finem imponunt.

Verum praeter experientissimos viros Ant. Benevolum, et Joh. Grashuis hanc aegritudinem jam notam fuisse Hippocrati video. Ait enim: " Quibus " urina pura est, et alias, atque alias furfuracea quaedam per summam uri- " nam feruntur, iis vesica scabie laborat (1)." Et alibi (2): " Theoforbi filio " Larissae vesica foeda scabie (lepram dicunt) laboravit, et glutinosam urinam " reddebat, in eaque reddenda circa initium et finem dolore divexabatur, et " mentulam confricabat. Hic epoto acri medicamento urinam promovente ad " vesicam nihil quidem secessit, sed vomitione pus multum, et bilem red- " didit, caeteraque ejusdem generis per alvum demittebat. Venter dolore " conflictabatur, et intus ardoris sensus percipiebatur. Reliquo vero toto " corpore perfrixit, et exsolutionem sensit, neque quicquam assumere voluit. " Huic medicamenti vis nimia ventriculum vehementer admodum exulcera- " vit, quo epoto tertio postea die extinctus est."

Mentionem quoque facit vesicae scabiosae Alexander Trullianus (3) qui hunc affectum discernendum esse monet ab iis furfuraceis particulis, quae ex venis deferuntur in febribus immoderatis. Affectum hunc difficilem esse, et prope insanabilem perhibet, ut nullum adversus ipsum valeat medicamentum.

Aliqua exempla prostant item in Anatomia Practica Boneti (4) de viscida materia fundo matulae haerescente; de muco tenaci a singulari vesicae vitio; de mucosa substantia cum urina diu excreta; praecipue vero quod in

---

(1) Hipp. Op. sect. III, De Natura hominis, edit. Foesii.
(2) Sect. VII, De Morbis Vulgar. lib. V, n. 17.
(3) Alex. Trulliani lib. IX, cap. 7, Scabiosae vesicae inditia.
(4) Sepulchreti lib. III, sect. 28, obs. 15, 16, 18.

appendice ex Sylvatico profert, de materia mucosa tenacissima diu a sene excreta citra calculi praesentiam. Verum quia haec presse admodum narrata sunt, parum lucis medentibus adferunt. Uberior est descriptio rari vesicae affectus in Hoffmanno (1). Agitur de viro coelibe quinquaginta annorum haemorrhoidibus antea obnoxius, qui ex improviso *stimulum ad matulam sensit*, tum inter mingendum ardore urethrae excruciatus lotium reddit album, multisque filamentis plenum, et post aliquam moram sedimentum album, largissimum deponebat. Hunc affectum haemorrhoides vesicae albas appellavit Hoffmannus, proposuitque aquas Spadanas, tanquam leniter adstringentes, et martiales; item succinum praeparatum, et oleo tartari per deliquium impraegnatum, cujus drachmam dimidiam mane, et vespere sumere jubebat. Hortabatur, ut pro potu quotidiano uteretur decocto ex radicibus sarsaparillae, scorzonerae, cichorei, et glycirrhizae cum semine foeniculi.

Auctores, qui de vesicae catharro scripserunt, omnes in eo sunt, ut in prima morbi periodo adhibeantur ea, quae glutinant, quae blandae demulcent, ut mucus naturalis vesicae restituatur. Deinde vitiata muci secretio est corrigenda, ejusque e vesica effluxus cohibendus. Primum obtineri potest ptisanariis ex radicibus altheae, consolidae, ex malva; tum mucilaginibus ex concreto cornu cervi, ranarum; ex gummi tragacantha et arabico; ex seminibus psyllii, et cydoniorum. Conferunt etiam potiones lactis, et seri ejusdem, aquae Nuceriae. At si morbus vehementior sit, et signa inflammationis ostendat, venae sectio non est negligenda, nec balneum, nec fotus abdominis. Benevolus commendat injectiones in vesicam ex gummi arabico, tum ex cerussa veneta in aqua egelida solutis tam ad tollendam irritationem, quam ad ulcuscula abstergenda. Dum mitior est morbus, in hac Provincia usurpatur non sine fructu ptisanarium ex staminibus Zeae maiz, quae stamina chymice tentata exhibuerunt *Extractivum; mucilaginem; substantiam*, per quam flavescit aether, et alcohol; acidi gallici, et concini vestigium; nitrati potassae minimum. Ex cineribus; potassa, parum silicis; ferri paucissimum; sulphatum calcis et potassae educta sunt. Horum componentium quantitatis ratio habita non est.

Nunc venio ad id, quod facilem muci e vesica secessionem prohibere potest, quod licet difficilis negotii sit; tamen tarditas tam in secretione muci, quam in ejus excretione est procuranda, ut mucus non solum naturalem consistentiam acquirat, sed etiam folliculi nimis relaxati debitum robur consequantur. Hoc roborantibus, et adstringentibus pharmacis nec acribus obtineri licet, inter quae censentur radix tormentillae, cortex tamarisci, cortex peruvianus, quibus aquae incoctis commode additur alumen, vel succus cathecu. Imprimis vero laudat Grashuis tincturam corticis peruviani ad unciam unam; tincturae corticis cinnamomi unciam dimidiam; et spiritus vitrioli drachmas duas; de qua potione viginti ad triginta guttae ex aqua

(1) Frid. Hoffmanni Consult. Med. Casus XCIII.

communi hauriendae sunt quotidie, ter, quaterve. Opium vel ejus praeparationes his auxiliis interpositae plurimum conferunt sive ad sopiendum dolorem, et continuam ad mingendum molestiam; sive ad muci secessionem et excretionem avertendam. Victus sit tenuis; vitentur motus, et exercitia; vinosa, calida, aromatica, urinam pellentia, veluti summe noxia prohibeantur.

Memoria mea non excidit, quod, dum adhuc artis chironicae tyrocinium ponerem, egregius Lithotomus Dominicus Uccellus antecessor virum cucullatum, lignipedem instituta cystotomia, et expurgata vesica feliciter a catharro liberaverit, qui antea nullo opitulante auxilio crudeliter vexabatur. Utinam hanc chirurgicam administrationem omnes amplecterentur, sed plerique si non omnes eam formidantes audacter recusant, supplicium indomiti morbi aegro animo toleraturi.

Art. II.

Dysuria a calculo.

Artifex cerarius postquam ab adustione cruris convaluisset, statim dysuria correptus est, scilicet ardore inter mejendum magis minusve importuno, et quamvis nullum ex urethra fluxum, neque virulentum passus fuerit, tamen catheteris, cereolorum, chordarum immissioni multa obstabant. A balneis, injectionibus olei simplicis, ab enematibus levamen habuit, hinc chordis iter factum est. Verum harum irritans natura dolores vehementes, febrim, frequens mejendi desiderium cum ardore continuo concitavit. Quamobrem corpus emaciari, vultus flavescere coepit; accedebat sitis cum cibi fastidio; urinae guttatim, albaeque cum cruciatibus, et ardore perpetuo, pulsu languido emittebantur. Denique demisso cathetere calculus tangitur. Facta, ut moris est, etiam febrienti sectione, calculus forcipe comprehensus in minutas arenulas exsolvitur; postridie abdomine inflato, et stomacho ingesta rejiciente moritur 1783.

Vesica succensa superficiem interiorem lividam habuit; inter ejus tunicas sanies concludebatur; in cellulari tela hypogastrii dextri vastus abscessus in gangraenam pronus. Nil in sinistro vitii repertum; hujus tamen lateris ren emaciatus, contractus, induratus erat soliti coloris, pelvi, et tubulis uriniferis obliteratis. Huic adnexus amplior urether medio cursu coecus erat. Defectum sinistri renis compensabat dexter duplo voluminosior, qui disectus nullam intus labem ostendit. Ejus renis urether in intestini modum ampliatus. Scrotum lividum.

Dysuria a prostata.

Tertius labebatur annus ex quo Nob. vir ob gonorrhaeas praecociter suppressas in dysuriam incidit, quae anno 1781, post iter per acclivia, et aspera

susceptum ingravescere, et urinae vias succendere visa est, mingendique conatus adeo crebro, vehementerque instabant, ut ab utraque inguinis rima intestina devolverentur. Itaque ad inflammationem compescendam praeter potiones, et fomenta, sexies intra triduum sanguinem mittere opus fuit. Ab hac stranguria liberatus aeger, ut dysuriam quoque abigeret, a qua continenter vexabatur, in urbem venit praestantiorum virorum consilia collaturus, qui consideratis sympthomatibus nempe tenesmo, mucoque in urinis subsidente, lotio nunc pleniori, nunc tenuiori filo decurrente, sine ponderis in imis partibus sensu, judicantes vesicae corpus non esse affectum, statuerunt ut, quis esset prostatae status, inquireretur. Haec revera multum amplificata, et vix dolens reperta est, non tamen ad eam duritiem pervenisse, quae schyrro propria est. Cereolus urethrae immissus quasdam plicaturas in transversum positas prope veru montanum offendit ejus itineri sese opponentes.

Praeceptum itaque fuit ea omnia in usum vocare, quae stagnantes humores solvere, prostatam contrahere, et plicaturas deprimere valerent, quod facile eventurum sperabant consulentes ob quamdam prostatae mollitudinem. Ad id obtinendum praeviis balneis plena hydrargirosis instituta est; ptisanae ex hordeo, taraxaco, althea, malvis, lacte datae sunt; item pulveres anodyni, qui nocturnos stimulos anteverterent; demum cereoli simplices primum, dein tenuis argentea fistula admota est, qua in medio curationis cursu urethrae rugae conficerentur, et urinae iter patefieret. Quibus auxiliis perfecte restitutus est.

Adolescens ex Valle Tellina annorum 24, satis robustus et enutritus post febrim typhoidem octo ante annos superatam micturire coepit cum dolore tam in ipso mingendi actu, quam post urinam reclusam permanente. Distillabat quidem urina facilis et sana, sed quovis horae quadrante prorumpere iterum nitebatur. Iter urinae liberum, vesica contractilis cathetere deprehensa est, nisi quod profundus dolor ad perinaeum tam investigatione partium, quam inflexione corporis excitabatur. Urina deinceps furfuribus conspersa apparuit, sed vesicatorio ad os sacrum apposito limpida rediit.

Causa dysuriae latebat, nec veneris usus praecesserat; sed perinaei dolor, et is qui catheteris introductione excitabatur, suspicionem moverunt, prostatam esse affectam, quam quidem non volumine auctam, sed duriorem, quam solet, atque sinisterius magis protuberantem, dolentemque explorando invenimus. Dolor item levis prope umbilicum non ad urethram sed ad perinaeum propagabatur. Post multa incassum adhibita liquor sublimati corrosivi propinatus fuit, quo juxta regulas sumpto paulatim convaluit.

Dysuria ab herpete.

Dulciarius annorum 43, ex matre vasto ad brachium herpete affecta progenitus, dum virilem aetatem attigit, coepit eruptionibus cutaneis, ardentibus, et molestissime prurientibus esse obnoxius, aestivo in primis tempore. Accidit forte ut e scala prolabens crus dextrum sibi pessime ulceraret, quod aegerrime restitutum fuit. Nec multo post ardore, incitamento, et mejendi difficultate correptus est, atque sub initium urinae paucae, crebroque cum sanguineis miculis ferebantur, interdumque subsistebant. Inter haec flammula a scapulis, ab ulnarum ossibus, ad os sacrum descendere, atque pungenti dolore vel ad pubem, vel urethram, aut in lumborum alterutro desinere videbatur. Caeterum urinae praeter sanguinis exiles grumos semper limpidae fuerunt. Innumeras vel ipse adhibuit, vel alii suppeditarunt medicinas, quibus omnibus palmam praeripuerunt clysteres ultimo loco ex malvis parati, quos etiam anus impigre asservabat, ut in vesicam per occultas vias effunderet, postquam in latus dextrum aliquandiu aeger recubuisset; nam certe ea irrigatione vesicae irritamenta leniebantur sic, ut urinam amplo et facili gurgite deponeret.

Dysuria ex abscessu.

Coquum jam ab anno ardor, et incontinentia urinae, et cum atroci dolore micturitio invasit. Urina plerumque tenuis in qua neque sanguis, neque mucus subsedit. Hypogastrium dolet, doloremque facit cibus quicumque aut plenior, aut speciosior. Corpus plenum est; haemorrhoidibus vacat; pulsus nonnihil concitatus. Ita lecto se dedit; febri correptus, auctisque simul prioris morbi sympthomatibus sopitus decessit 1785.

Abdomen reseratum exhibuit intestina putrefacta; ultimos ilei intestini flexus gluten inflammatorium vesicae urinariae conjunxit, quae itidem succensa, et ad dexteram inclinata multo fluido purulento distendebatur. Ejus cavea inaequalis, plurimis areolis interrupta, quas extantes carneae tunicae lacerti effingebant. Ex areis inter digitos compressis exprimebatur puriformis humor eidem prorsus similis, qui in vesica continebatur; et cellularis textus vesicae membranas inter se connectens cinerei coloris, et corruptus repertus est. Interiori vesicae ostio adstabat appendix dura, in avellanae formam globosa, quae ab inferiori pariete assurgens cervicis orificium partim occludebat. Huic appendiculae substabat prostata magis quam illa compacta, vix grandior, aut tuberosior, quam solet. Urethra secundum naturam. Renum pelves minores, tubuli uriniferi putrida materia, corticalis substantia lividis maculis scatebant.

Dysuria ab aestu.

Juvenis Triviliensis conjugatus, postquam cibos potionesque calefacientes assumpsisset, atque pedes aliquot milliarium iter confecisset, urethrae fluxu correptus est, qui ob humoris copiam, ardoremque a virulento non discrepabat; sed brevi puris sanguinisque exitu subsequente conquieverunt symptomata. Tunc urinae via aperta fuit; sed cum forte rem cum uxore habuisset, sanguinis aliquot guttas e pene stillare vidit, quae res adeo illum perculit, ut in posterum ab conjugis amplexibus abstinere cogitaverit. Cum consulturus me conveniret, urinam non difficulter, sed cum ardore emittebat, quam sequebatur jactus materiae odore, coloreque spermati similis, id quod etiam eveniebat, quotiescunque aut alvus durior esset, aut viribus contenderet, sensumque illi imprimebat veluti ulcusculi in media urethra existentis. Hoc phoenomenon me in eam opinionem adduxit, ut suspicarer abscessum circa veru montanum, aut vesiculas seminales ruptum fuisse, dein ulcusculum, et quamdam duritiem reliquisse.

Visum itaque fuit ad plagulam detergendam, et ad molliendam duritiem suadere primum aquas Selteranas, vel Nucerianas; tum balnea aquae fluvialis, dein sulphureae, postremo linimentum ex mercurio imae regioni apponendum. Quod si hisce praescriptis malum obsisteret, hortabar, ut audacter cum uxore congrederetur, unde quidquid esset repaguli divelleretur sine metu profusionis sanguineae. Haec suadebam, quia antea quae demulcent, quae aperiunt, mercurium intus sumptum, cereos, injectiones frustra adhibuerat. Quis fuerit consilii effectus, hactenus ignoro; est enim quoddam hominum genus, quod re feliciter obtenta turpiter obliviscitur ejus, per quem valetudo restituta fuit.

Dysuria ab abortu.

Mulier plethorica saepius abortum passa, postremoque abortiens magnam sanguinis jacturam fecit, diuque non satis firma valetudine utens post quemlibet mictum de urethrae ardore querebatur. Inter haec gravissima metrorrhagia secuta est, quam excepit tertiana maligna magnis corticis peruviani dosibus opportune profligata. Dysuria tam sub febris accessione, quam eadem finita, invaluerat, lotioque depulso, sequebatur dolens, et spastica urethrae contractio, cujus augmentum tribuebatur cortici abundantius ingesto, quamvis etiam post aliquot hebdomadas eadem vehementia urgebat. Urethra secundum consuetudinem sana apparebat: urina sero lactis similis, odoris expers erat, subsidente muco albo, ramoso, quae quoties promovebatur, toties cum cervicis tenesmo, et urethrae veluti exulceratione stillabat, dolorem ardore mixtum secum trahens cum totius corporis commotione. Tunc insidere balneo jussa est, et cremorem oryzae, et gummi arabici, et infusum hyperici, et extractum gummosum opii juxta regulas haurire. His ita

dysuriae succursum est, ut aegra jam convalescens potuerit publicis spectaculis interesse. Ad laxitatem stomachi uterique tollendam aquae acidulae, ferrugineae ad potum datae sunt, quas ob molestiorem dysuriae accessionem post octo dies rejicere oportuit; nam praeter urethrae constrictionem, vaginae, anoque calentem ardorem impertiebantur. Igitur denuo ad balnea ventum est cum incoctis herbis solani, malvae, furfuribus; ad injectiones in vaginam, anumque; ad potiones ex seminibus papaveris, aliisque, qui perfrigerandi, et leniendi vim habere dicuntur. Ita profligato ferme malo rusticatum abiit, ibique ex voto convaluit.

Dysuria renalis.

Vir ad sexagesimum annum pertingens, iracundus, multae prolis, caeterum sanus, mense novembri 1784 primum de ardore inter mejendum conquestus est, qui sensim auctus urinas cum sedimento crasso elicuit, defatigavitque aegrum, ut novembri anni sequentis medici opem imploraverit. Tunc diu, noctuque micturiebat; urina parca cum vesicae, et intestini recti tenesmo, extremae urethrae ardore, atque hypogastrii dolore stillabat, quae tunc examinata turbido lactis sero similis erat, floccis quibusdam albis eidem innatantibus. Aeger illico in balneum descendere jussus est, opium sumere, et infusum florum hyperici, malvarum cum lacte affatim haurire, quibus etsi urinae copiosiores, et magis coctae reddebantur, varia tamen fortuna mederi deinceps opus fuit; nam modo vesicae glandisque doloribus detinebatur; modo urinae turbidae cum sedimento viridi, aut cinereo, aut albo, vel tenaci, vel contrito, cum conatu exprimebantur; interdum deficiente pulsu, lingua non mutata, urina boni coloris, sine foco, exiguo ardore penis fluebat. Imo remittentibus signis eum habitum acquisivit homo, ut sano similis et intra urbem, et foris obambularet.

Neque ideo a medicinis sese abstinebat; sumebat enim hordeum praeustum pro jentaculo, potiones ex floribus hyperici, melliloti, ex radicibus virgae aureae, ex seminibus lini; interdum his addebat valentiora, quae quodammodo detergerent, uti spiritus vitrioli, balsamum copayve, syrupus therebintinae, fermentum cerevisiae; neque omittebantur ablutiones intestini recti ex speciebus emollientibus factae. Ita pertinacis morbi varia vicissitudine actus, ab exeunte anno 1784 ad medium annum 1789 pervenit, cum soluta alvus, singultus et vomitus febri stipati, urinisque purulentis aegrum lento gradu ad interitum duxerunt.

Quamvis sectio die quarta julii instituta fuerit, cadaver nullas livoris notas habuit. Pinguedo justa copia praecipue circa abdomen; hepar, lien, stomachus secundum naturam fuerunt. Pancreas solito durius; intestina fraccescentia: ren dexter emaciatus ob parenchymatis dissolutionem, pelvim maxime dilatatam ostendit. Ren sinister pene totus liquefactus solam pelvim conservabat in modum amplissimae cystidis expansam, atque purum pus conti-

nentem, quod per ureterem in vesicam defluebat. Hac partes neque succensae, neque ulceratae visae sunt. Vesica urinaria contracta, rugosa, pure plenis cryptis inter carnis fasciculos interrupta, in cujus dexteriori latere major foveola, aut si mavis diverticulum, ab eadem vesicae membrana succinctum, leviter inferius ulceratum et minimi digiti capax visebatur. Huic diverticulo circumponebatur exterius globus durae pinguedinis ad schyrrum vergentis, quae ab imo pelvis fundo ad arteriam iliacam dextram tendens eandem complectebat. Tunicarum ejus intervalla concretionibus fere lapideis obstruebantur. Prostata et urethra sine vitio fuit.

Ab exanthemate.

Patritius viridis aetatis, et optimae constitutionis urinam saepius continere solitus circa annum 1785 vesicae torminibus vexari coepit. Dum lecto componitur, quatuor fere horas placide obdormiscit; deinde ab insolito totius vesicae dolore tanquam manus alicujus alternis digitis vesicam dolenter comprimentis excitatur cum priapismo, et mejendi cupiditate conjuncto. Surgit, mingit, mox dolor, et priapismus solvitur. Iterum, et tertio recumbit, totiesque resurgit iisdem phoenomenis redeuntibus. Haec affectio non aliam causam habere visa est, quam exanthema quoddam evanidum, quod prius super dorsum erumpebat. Itaque balnea imperata sunt, et quae humores sive per alvum, sive per urinas subducunt, interdum peropportune adjectum est opium, et valetudo restituta fuit.

Dysuria familiaris.

Viro cuidam in valetudinarium suscepto ob familiarem dysuriam pluribus antehac gonorrhaeis foedato, urinae iter ita adstrictum fuit, ut tenuissimam chordam vix reciperet. Postea fidibus crassioribus sic pervia facta est urethra, ut urinae quidem defluerent sed purulentae, et octo ante mortem diebus penitus cruentae.

Mense martio anni 1783 dum ventrem inferiorem aperirem, tantam sub cute, in omento, et mesenterio pinguedinem observavi, quanta in homine sano vix reperitur. Remotis intestinis, ad renes oculos converti, quorum dexter duplo major emittebat ureterem digiti minimi crassitudine. Pelvis et ejus tubuli perquam ampliati continebant pus copiosum, densum, subalbum, foetensque. Nulla in hisce, neque in parenchymate erosio observata; sed ex papillis compressis pus abunde fluebat. Ejus corticalis substantia tuberculis scatebat albidulis quâ fluido pure, quâ veluti densato muco repletis. Pinguedo renem complectens sani coloris, sed multa et durissima.

Sinister ren etsi naturalis ferme magnitudinis pelvim et ureterem dilatatum, vacuumque exhibuit: ejus papillae expressae urinam pure mixtam dederunt. Vesica haud adeo distenta intus retinebat puris foetidi, densique

uncias sex, calculum biuncialem, granosum, et hinc inde a pure veluti abrasum. Interior vesicae tunica cinerea, cujus villi a calcarea substantia obducti; urethra jam amplior eodem cinereo colore, eodemque calcis velamine erat infecta. Prostata et vesiculae sanae.

Dum urina difficulter redditur ob impedimenta in urethra posita, aut in ipsa vesica, in consensum veniunt ureteres et renes; et si vesica lacessita sit, facilius cum eadem inflammationem concipiunt renes, unde dolor in lumborum regione, febris, et abscessus, et saniei per urinas evacuatio. Alterum quod consequitur urinae difficultatem est calculi genesis; phosphatum enim calcis per quietem lubentius subsidet, et acidi urici subsidio adhaeret, vel muci particulae, vel in crypta aliqua conglomeratur in arenulam, quae pedetentim incrementa capit. Fallacem autem esse diagnosim in definiendis morbis ad vias urinarias spectantibus probat Morgagnus; dum enim summa arte quaesita creditur morbi sedem esse in vesica, post mortem in renibus deprehenditur. Sic dolores acerbos in scrobiculo cordis identidem redeuntes cum miti dysuria, et urinis albis, a calculis in vesica et prostata, et a consumptione renum profectos esse post mortem intellectum est. Porro coniectura renum male affectorum ducitur non tam a lumborum doloribus, qui abesse possunt, et a saevis vesicae cruciatibus, quam a longa lotii in vesica suppressione, aut crebriore ad dolores vitandos retentione, aut exigua nimis excretione: nimirum cum plus vesica jam capere non potest, quidquid lotii jugiter in renibus secernitur, ureteres primum, tum renes quoque ipsos distendit (1).

Intestini ilei inflammationi, et forte ejusdem interceptioni lotii suppressionem accedere posse scripsit Morgagnus; tunc etiam si foetus postremo gestationis tempore cervicem vesicae premit, unde mulieres mingere nequeunt nisi supinae. Id quod accidit etiam si uterus gravidus antevertitur. Quibus causis addenda quoque sunt duriora scybala, et praetumidae haemorrhoides, quae collum vesicae ad pubis ossa apprimunt, ut ex urethra nihil exeat. Tunc ad evocandam urinam longiori, et altius adacto cathetere opus est, quia vesica sursum propellitur, nisi uterus detumescat, aliave corpora prementia quantocyus removeantur. Lotium in vesica retineri observatum est a foetido pure, quod e rene in pelvim decidens exteriores vesicae tunicas arroserat; tum etiam a spasmo ejusdem vesicae, cujusmodi binos casus refert Fridericus Hoffmannus (2). Hic graviorem vesicae, ejusque sphincteris, ac urethrae spasmum declaravit in viro triginta octo annorum insigniter edaci et bibaci, quia ex constrictione, ut ajebat, cervicis vesicae dolores universi corporis, et urethrae ardores, et crebri ad mingendum stimuli cum difficultate oriebantur. Verum illud prae primis notandum hic erat, quod turgentes haemorrhoides, neque fluentes, sanguinem ad vicinas partes, maximeque ad

(1) Morgagni De Sed. et Caus. Morb. ep. XLII, n. 13, 22.
(2) Consult. et Respons. Med. sect. III, casus 90, 91.

vesicam refluere cogebant. Casus alter itidem ad haemorrhoidum vitia pertinet. Fateri tamen oportet in simplici urinae retentione, dum inflammatio sublata est, et creberrimis ad paucas urinae guttas expellendas stimulis vesicae cervix lacessitur, ad sopiendas hujusmodi molestias saepenumero opium egregie profuisse. Tubercula in vesicula, et ad ejus collum, quae medicum saepe decipiunt, et urinam supprimunt, nihil auxilii recipiunt, nisi in pus abeant, et viam reddant liberam. Caro etiam interdum succrescit sive in interiori, sive exteriori vesicae superficie, dum mucosa aut serosa membrana abraditur, aut laeditur. Tunc urina supprimitur, quia caro haec vesicae contractioni obsistit. Si caro recens est, et vesicae cavo innata post factam cystotomiam destrui potest, si crebris et abstergentibus injectionibus vesica eluatur. Oportet etiam interdum fistulam per perinaeum in vesicam condere, non solum ut lotium cum impuris effluat, sed etiam ut arenulae, quae quandoque concrescunt, expeditius elabantur. Mederi autem nequit carni, quae exterius vesicae adnata est, nec nisi catheteris ope aegri vita protrahi potest.

Ischuria a graviditate.

Mulier annorum triginta, improlis, licet pluribus jam annis viro juncta fuisset, ischuria repente corripitur. Causae, quae id vitii afferre solent, deerant singulae, videbaturque ab insolito quodam obice circa genitalia proficisci, quibus exploratis occurrit uteri cervix prope vaginae ostium prolapsa, cujus positio an secundum naturam esset, an secus, mulier ignorabat, se tamen a mense utero gestare existimabat. Urinam plus una vice detrahere quotidie opus fuit prima hebdomade: altera semel tantum; deinceps sponte defluxit, tactaque denuo matrice illam ad propriam sedem ascendisse, gravemque esse compertum est.

Ischuria venerea.

Venetus aetate gravis, utpote octo supra septuaginta annos natus, febriens, aridus, prostratus in Nosocomium illatus est 25 jan. 1781. Urina multa vesicam distendebat; fistula argentea quamvis tenuis in vesicam immitti non potuit; cereolus vero eo usque impelli, ut urinae iter patefaceret satis, die tamen postera vomuit, viribus, pulsuque deficientibus ad ultima ventum est, et vespere diem clausit.

Renes multa pinguedine circumdati carnem fere amiserant, superstite ingenti cavea ab radicibus amplificatis magnae pelvis, et ureterum constituta. Ureteres ipsi et vesica duplo ampliores, et in iis fibrae carneae lacertosae; et ob nimiam, quam diu pertulerunt, distentionem disjectae cernebantur. Praeter interioris caveae inaequalitatem, vesica in utrumque latus magis erat expansa, cui exterius sub peritonaeo mediocris abscessus innatus erat ab interna cavea seclusus.

Prostata perquam dura fuit: ad transversi pollicis a caruncula seminali distantiam substantia quaedam callosa inferiorem urethrae partem obsidebat, per ejus longitudinem sulcata ad instar superficiei internae cervicis uteri. Sub hac duritie decurrebat sinus duos latos digitos longus, scilicet inter ipsam, et corpus urethrae spongiosum, cujus orificium prope carunculam seminalem, fundus coecus versus glandem erat. Ubi callus desinebat, urethra paulo contractior erat, magisque coarctabatur, quo propius ad glandem vergebat, quae labes ab antiquatis gonorrhaeis confirmata fuit.

Ab ischuria diabetes.

Nob. vir, qui nondum ad sexagesimum annum pervenerat, temperamenti sicci, melancholici, haemorrhoidibus coecis fatigatus, pedester, vini meraci, et potionis ex fabis arabicis ustulatis cupidus, tum et dysuriam pati solitus in ischuriam incidit 23 augusti 1782. Ter vena secta fuit, bis alvus expurgata; haec tamen febrim vehementem, et abdominis inflationem praevenire non potuerunt. Urina boni coloris per argenteam fistulam educta fuit. Dum clysteribus et fomentis leniebatur febris, et abdomen detumescere, dolor incertus hypochondrium sinistrum lacessere coepit cum pulsu vario, cibi fastidio, lingua sordidata. Haemorrhoides, quae turgida vesica dolenter increscebant, eadem vacuata detumescebant. Quamobrem catheter intra vesicam relictus est adjunctis balneis universalibus, sicque intra nycthemerum quatuor mensuras urinae tenuis dedit (Boccali), quibus hypochondrii dolor solutus est. Postridie iterato balneo duas mensuras lotii admodum fusci excrevit. Cibi desiderium, et somnus pacatus rediit, haemorrhoides quieverunt. Sed paucorum dierum intervallo urina diaphana crevit ad quinque mensuras, cum aliquo dejiciendi conatu, lingua arida, sordescente, et prostata tumente. Denuo interjectis diebus aliquot urina parcior, et concocta reddita fuit, quae deinde alternatim pulsu valente modo parcior, modo copiosior, aut aquea, aut fusca deponebatur. Quandoque sitiebat homo, interdum ut sanus appetebat, et exacto mense in utrumque latus cubandi, et sponte urinam reddendi facultas eidem rediit. Duobus haebdomadibus vix elapsis appetitus defecit, majus lotii profluvium totius corporis macies insecuta est, quam auxit inordinata febris, quae intra mensem hominem confecit. Sectio non concessa.

Dubitandum non est ab insigni renum vitio hunc virum periisse, et forsitan alterius visceris; quare non immerito displicebat Morgagno (1) tam paucas extare diabeticorum sectiones, ut si non causam, effectus saltem animadverti potuissent; nam quod a retento in renibus et ureteribus lotio tubuli uriniferi vel nimium dilatati, vel relaxati fuerint, ut magnam urinae vim transire sinant, non in omni diabete evenire facile intelligitur. Hic tamen

(1) De Sed. et Caus. Morb. ep. XLI, 15.

affectus supervenire potest iis, qui perpotando, ut ab ischuria se liberent, vel ut futurum malum praecaveant, renum tubulos nimium relaxant, sicuti in juvene patritio, de quo Tulpius scribit (1). Ille perhorrescens calculi recidivam, qui illi excisus fuerat, remedia, quae urinam ciere solent solummodo admittebat; quorum continuo usu tantam contraxit imbecillitatem, ut incideret in diabetem, et quotidie emingerentur sex fere lotii librae, quo perenni profluvio colliquatus est.

Septennis puer contraxit diabetem aquas acidulas affatim potando, sitimque adeo molestam, ut singulis noctibus libras decem et amplius aquae vinosae ingurgitaret, quae protinus non mutata emingebatur (2).

Narratur etiam apud alium Auctorem, Alphonsum Neapolitanum Regem familiari cydoniorum esu in diabetem incidisse: item quemdam alium, qui medicamenta necessaria pro morbo avertendo respuerat, ex nimio diureticorum, et lithontripticorum usu ab empyricis exhibitorum lethali diabete correptum fuisse. Quoniam de diabete sermo est, et praeter diuretica, lithontriptica et subacida aliae remotae causae esse possunt, quae urinae profluvium cieant, non praetermittendum censeo illud, quod ex Cardano (3) transcripsit Joh. Schenkius in hunc modum: " Mediolani vidi undecim Me-" dicos perpetuo cursu urinae morbo vitam finivisse; quidam ardore, qui-" dam fluxu, quidam retentione, quidam lapillo renum; inde coorto urinae " profluvio interierunt; nam assidua equitatio per civitatem inaequalem, " frequensque ascensus, et descensus hujus morbi causa erat. "

Haec observatio ad Medicos praecipue S. Coronae, qui egenis medicinam faciunt, spectare videtur; nunc vero hanc aegritudinem pertimescere nequeunt, quia non equo, sed splendidis carrucis vehuntur per compita, per vias latas, complanatas, quas Municipii liberalitas expolivit et coaequavit. Ita explicabat Cardanus viarum urinae affectiones in Medicis Mediolanensibus. Nunc aliam alterius Medici Insubri accipito explicationem, quam ex Marcello Donato (4) sic expressam leges: " Nota quod Magister Franciscus de " Buste Mediolanensis in dicta civitate Mediolani anno 1481, habuit in cura " quandam puellam annorum 18, quae passa est superfluum fluxum urinae, " adeo quod singula die mingebat boccalia sexdecim urinae, et continuavit " per sexaginta dies, et illud quod sumebat inter cibum et potum non ascen-" debat ad quantitatem boccalium trium, et patet manifeste, quod si totum " corpus dissolutum fuisset, non ascendisset ad quantitatem tantam. Qua " de re Medici Mediolanenses quaerentes inter se causam, Joannes Marlia-" nus reddidit illam dicens, quod aër, qui erat in porositatibus corporis " istius, et aliae humiditates corporis, et in membris ex dispositione corporis

---

(1) Obs. Med. lib. II, 46.
(2) Fab. Hildani Obs. cent. V, obs. 53.
(3) Lib. I, De Sanitate tuenda. Et Schenkius, Obs. med. lib. III, obs. 8.
(4) Hist. Mirab. lib. IV, cap. 27.

" istius, convertebantur in aquositatem urinalem, et tandem puella liberata " fuit, nec erat multum extenuata. „

Longe aliter sentit de diabete Richardus Mead (1). Morbum ictero cognatum esse dicit, ideoque non renum sed hepatis aegritudinem esse a vitiata bilis miscela oriundam. Quod probare nititur sectionibus ex diabete mortuorum, in quibus semper se invenisse in hepate *steatomatosi* aliquid, illi non dissimile materiae, quae saepe in ictero confirmatiore per alvum dejicitur, sed consistentiae durioris, quam opinionem confirmat curatione, quae aqua calcis, aut calidis Bristoliensibus perficitur. Huic hypothesi faveret quodammodo quod in Commentariis Instituti Bononiensis (2) relatum est, de quodam urinae profluvio, quod virgini moniali pituitosae duodeviginti annorum acciderat, si mortua introspiciendi viscera occasionem dedisset. Huic datis ad revocanda menstrua remediis tantum urinae profluvium factum est per nonaginta septem dies, ut quotidie libras 43 redderet. Postea remisit ad libras 12, quamvis virgo nullam hauriret potionem, imo fluida abhorreret. Nulla tamen observata fuit corporis emaciatio, nec carnium flacciditas. Nihilominus subdit Auctor Mundinus, finito profluvio virgo non ex toto convalescere visa est; nam in regione *hepatis*, et lienis tumores duo orti sunt, utrinque unus, qui de vitio monere videbantur in subjectis forte visceribus insidente.

Sectionem cadaveris ex phthisi, et diabete demortui quam habuit Ruyschius (3) supradictis non favet: Reperit ille ureterem dextrum distortum, et hinc inde multum expansum. Pelvis renalis malum aurantium facillime admittere poterat. Consumpto penitus parenchymate, renis nil praeter membranosae partes multum induratae supererant.

Dissecuit cadaver viri ex diabete defuncti in Nosocomio S. Georgii cl. Baillie (4); in quo utriusque renis venae plusquam solent sanguinis continebant, et in renum superficie eleganter ad retis formam erant distributae. Totum porro parenchyma magis vasculosum levem inflammationis speciem praeseferebat. In utroque rene non tamen ulceroso fluidum album sub puris forma conspectum est: caeterum vasa arteriosa, et venosa, et lymphatica a naturali norma non discedebant. Non omisit Auctor jecoris perlustrationem tanquam suppositam diabetis originem, quod tamen uti et reliqua viscera nil morbidi ostendit. Consideranti illum renum statum visum fuit Auctori, quod diabetes a perversa renum secretione pendeat, ob quam sanguis ad novas mixturas et compositiones fit idoneus, ex qua nova compositione producitur materia dulcis et mellita.

A vero alienum forsitan non est, quod per vitiatam secretionem plus fluidi, quod deberet esse urinosum, transeat per renes, quam a natura solet;

(1) Tentamen I, De Vipera.
(2) Instit. Bonon. Comment. tom I, pag. 145; tom. II, part. I, pag. 232.
(3) De Valvulis, cap. IV, obs. 13.
(4) Anat. Pathol. cap. XV, sect. 5.

verum ut id accidere possit, necesse videtur esse, ut sanguis ad eam secretionem sit comparatus. Sanguis autem non potest sic comparari nisi in hepatis officina; in qua partim ex cruore, ut ego suspicor, non ex pinguedine sola, bilis conficitur. Igitur si in jecore, quod alias haematosi praeesse dicitur, globulorum rubrorum pars exsolvitur, et in lympham colliquescit, facillime colliquefactae particulae poterunt per renales tubulos transmitti, et sub abundantis fluidi in speciem urinosi rivo in vesicam depluere.

Ischuria chronica.

Viri patritii plusquam septuagenarii abdomine aperto, vesica urinaria primum sese obtulit omento accreta, vicinoque peritonaeo, et ab his partibus soluta recto quoque intestino adhaerere deprehensa est. Extracta deinde vesica cum urethra, iisque per longitudinem incisis tumor fere schyrrosus prope cervicem vesicae apparuit a prostata productus, quadruplex volumen habente, quae multifariam dissecta humorem seroso-purulentum dedit. Haec causa diuturnae ischuriae quindecim, et amplius annos perdurantis, et nonnisi quotidiano cathetere sublevandae. Etsi ab inflammatione exordium coepisse ischuriam pateat ab extispitio, tamen ea depulsa, homo sano similis vitam sine aerumna traduxit:

Ischuria a renum vitio.

Vir oppidanus ad annum sexagesimum vergens, temperamenti robusti, sed melancholici, tam in sutrina, quam extra per compita fidibus ludendo defatigatus, jam sexennio haemorrhoidum molestias sibi comparaverat, quae anno 1784 eousque increverant, ut sedandis doloribus opus esset aestuantis brassicae vapores per anum excipere. Cum quadam nocte intentius lusisset, atque vino, cibisque praeter morem indulsisset, sequenti die varices prope anum adeo exasperatas esse cognovit, ut ei febrim, ischuriamque attulerint. Ab ischuria misso bis sanguine, datoque alvum leniente et cathetere pluries demisso vix sublevatus fuit; nam noctem subsequentem dolenter agitatam habuit. Et catheter quidem per cervicis angustias aegre transibat, opusque erat singulo quadrihorio evocare urinam paucam, plus aequo calidam, et sanguineam, qua licet plenius detracta, tamen in hypogastrio tumorem quemdam imposita manus percipiebat, qui intra dies octo evanuisse visus est. Primoribus autem ischuriae diebus rectum intestinum procidit magno cum dolore, et tenesmo, quod anodynis opportune administratis in propriam sedem compulsum fuit. Inter haec coactus sanguis vesicam oppleverat, quem frustra cathetere educere conabatur chirurgus, ideoque per duodecim horas cathetere abstinuit, scilicet donec tantum urinae deponeretur in vesica, quantum eluendo sanguini sufficeret, atque ita uncias decem urinae multo sanguine remixtae eduxit. Sequentibuc diebus urinae limpidiores factae, loco

sanguinis multo muco turbabantur, et post tertiam hebdomadam aliquot urinae guttas emittere coepit non tamen sine ardore, et tenesmo, quibus deinde auctis jungebantur dolores ingrati, et pungentes, aegrique salus in pejus ruebat, praecipue cum ob urinas calidas, mucosas et sanguineas crebrior fuerit catheteris usus; namque ob incredibilem ardorem is loco teneri non potuit. Hoc modo alternatim haemorrhoidum fluxu, et urinis varii coloris exercitatus homo toto corpore inflatus post mensem et dimidium mortem oppetiit.

Abdomen reseratum exhibuit parvum lienem; hepar pallidum, vesiculam sine bile; renes solito duriores: et dextri quidem calyces maxime ampliati continebant urinam tanquam in lata pelvi. Sinister magis dextero vitiatus humorem cinereum dissectus fundebat, dum cortex ejusdem profundo livore esset notatus. Urina ex calycibus expressa turbida, cineracea erat, qualis nempe ab aegro emittebatur. Vesica urinaria vacua, et contracta apparuit tunicis crassioribus factis, nec unquam memini me vidisse fibras carneas adeo robustas, et intextas, ut cordis lacertos aemularentur. Urethra sana; crista galli longior et extantior. Ad latus carunculae seminalis una utrinque plagula haud dubie a catheteris apice formata; collum vero vesicae, et tractus ille, quem trigonum occupat, livore affectus. Prostata duplo major, et indurata, humoris albi stillas aliquot, dum exprimebatur, dabat. Vesiculae seminales item solito grandiores visae sunt.

Ischuria cum bronchocele.

Duorum supra septuaginta annorum seni tuberculum in media thyreoidea glandula natum erat, quod per hyemem accedente tussi crevit, doluit, et inflammatum est. Ubi ad maturitatem perductum fuit, setaceo perforatur, et copiosum pus elicitur superstite capsula admodum dura. Quo autem magis sanies abundabat, eo magis macrescebat vir, et decrescente paulatim urina ischuria praesto fuit, et per fistulam urina crassa mucosa educta est. Interim evanescente bronchocele vires simul deficiebant; vox rauca, inanis, levis hypochondrii dextri dolor mortem praenuntiarunt, quae altero quam exceptus fuit mense intervenit anno 1785.

Cadaver inspecturi primum gulam secuimus, in quo omne quod bronchocelen constituerat, consumptum erat absque musculorum laryngis, et thyreoideae glandulae offensione, quae extus intacta in propria sede reperta fuit. Per longitudinem autem dissectum cornu ejus dextrum obtulit amplam caveam, vix humidam, ex fusco nigram, plurimas granosas concretiones continentem tam solitarias quam congestas, ex omni parte liberas. Cornu glandulae sinistrae eandem caveam, sed angustiorem habebat, granaque continebat concreta prioribus similia, sed cum in hac glandulae parte foramen indicaret illam a setaceo fuisse comprehensam, arguere licet multum de contenta materia fuisse deperditum.

Nunc ad urinae vias transeundo primum renis dextri parenchyma induruisse notavimus; ejusdem calices exiguos abscessus continuisse; abscessum vero latiorem in ea pingui cellulari inclusum fuisse, quae renem circumdando simae hepatis superficiei, et colon dextro subest. Pus densum erat, et tenax. Renis sinistri papillae plus naturali solidiores; et in ejus superficie extabant corpuscula quaedam convexa, aeque dura, et earundem papillarum veluti basim constituentia. Vesica multo lotio onusta, ideoque sat ampla exhibuit musculorum validos lacertos, et inter se intricatos. Cervix porro amplissima commode ex interiori vesicae parte digitum crassiorem admittebat. Orificium tamen non erat sphaericum, quod ora crassa et molli circumdatum sinistrorsum a corpore quodam extus adhaerente, nempe a prostata nimium ab eo latere ampliata, introrsum propellebatur. Idem vesicae orificium prope trigonum tribus turgentibus venis succingebatur.

Ab ischuria calculus.

Nummularius annorum sexaginta jam biennio urinam difficulter emittebat, cujus vitii causa supponebatur fuisse vel diuturna sessio prope abacum, vel potus per autumnum vini acerbioris. Caeterum in rebus, quae olim dicebantur, non naturalibus, continens erat, nec nisi herpetico furfure vultum deformatum habebat. Is igitur cum non sine aliquo tenesmo mingeret, hyrudines sibi apponi curavit, quo facto noctu semel minxit, et ante diluculum, repente urina substitit. Praemissis iis praesidiis, per quae viae naturales evacuantur, sub vesperam sequentis diei lotium cathetere emissum fuit quantitate, et colore fere naturali, et vesica sine dolore, sine febri subsedit. Die morbi tertia licet catheter haud difficulter impelleretur, et urina non mutata esset; tamen post lotii emissionem jugiter sanguineus grumus prodibat, pulsusque elatior et durior apparuit. Educto opportune sanguine tantum deinceps lotii sponte dimisit, quantum satis fuit, ne ad catheterem confugiendum esset. Sed quia urina copiosior tenuisque in dies affluebat, et vesica tendebatur, eam denuo manu emoliri opus fuit ter, quaterve intra nycthimerum, donec emollientibus intus, et extra datis post aliquot hebdomadas urina sponte processerit, et aeger utcumque convaluerit; nam etsi lotium statis horis emitteretur, id tamen non sine aliqua molestia accidebat, et elapsis mensibus calculi praesentis inditia se junxerunt, suspicioque cathetere confirmata fuit, inde vir sectionem subiit calculi valde friabilis infausto eventu anno 1785.

Ischuria a steatomate.

Vir annorum octo supra septuaginta jam septennio ischuriae obnoxius erat, ita tamen ut continua non esset urinae emittendae difficultas. Sed tribus postremis annis cum dimidio urinae iter ita praeclusum fuit, ut quotidie cathetere opus habuerit, et quidem italico, cujus in vesicam descensus

erat facilis, urinaque sana educebatur. Viri itaque actiones pariter sanis similes erant; nam sive cibum sumeret, sive spatiaretur, sive cubaret, perinde suae spontis erat. Post mortem, quae ex senio evenit die 25 novembris 1778, lobus prostatae sinister pure plenus repertus est. Vesica multum rugosa: ante ejus ostium internum extabat septum quoddam, sive eminentia arcuata, quae ex segmento inferiori vesicae assurgebat, et extremo margine versus vesicae cavum inflectebatur. Dimidiatus hic anulus, hanc enim formam praeseferebat, renitens erat, neque hiatum cervicis vesicae coarctabat, neque catheteri sese opponebat, imo orificium vesicae sic hiabat, ut crassiorem digitum admitteret. Hic tumor sub interiori vesicae tunica formatus a colore, et firmitate visus est nobis pertinere ad genus steatomatum.

Ischuria ab urethrae coalitu.

Septuaginta annorum vir, strenuus, quondam in re venerea miles, crebroque in ea pugna sauciatus, ad eas tandem angustias redactus fuit, ut filatim mingeret; novissime ut mingere desierit; neque tenuiori cathetere, cereolis, aut fibris urina revocari potuerit. Itaque distenta vesica, nescio quo fato periit anno 1778. Urethra prostatica sana erat, et orificia excretoria prostatae satis conspicua. Urethra, quae dicitur membranea ad tres lineas coangustata, accretis inter se parietibus per iteratas inflammationes; nam in reliquo urethrae tractu neque carunculae, neque cicatrices observabantur. Carnei vesicae lacerti omnium pulcherrimi.

Ischuria lunatica.

Theologo cuidam Britanno, scribit Tulpius (1), supprimebatur urina quolibet ferme plenilunio, neque excernebatur illa iterum, nisi vel declinante luna, vel ex soluta brachii vena. Nemo Medicorum inventus est tam sagaci judicio, qui hujus periodi potuerit reddere rationem. Anatome ostendit distincte post obitum, quod angusta renis sinistri pelvis excreverit in eam amplitudinem, ut supleret commode vicem vesicae urinariae, quae propterea tam fuit vacua, quam ren repletus.

Ischuria a gangraena.

Quinquagenarius vir ad perinaeum quinque abhinc annis (est enim annus 1784) graviter ictus fuit, unde tam vasta suppuratio excitata fuit, ut scrotum pene totum absumeretur, et quod supererat, cum inaequalitate rugosum pubis ossibus propius adnecteretur, penis vero praeter modum auctus intestinum colon cellulis distinctum sat belle aemularetur. Scrotum, et penis multis

---

(1) Obs. Med. lib. II, obs. 43.

foraminibus pertusum erat urinam stillantibus, atque ita consueta stranguria detinebatur. Accidit vero, ut praeter modum vesica distenderetur forte ob copiosiorem urinae secretionem, quo in statu ad valetudinarium delatus est 5 aug. 1784. Postridie urina per fistulas adhuc fluebat, licet vesica supra pubem tumeret. Eodem die uxor abundantius ei vinum porrexit, ex quo urinae gemitus penitus suppressus est. Mox homo perfrigescit, anhelat, vesica distenta umbilicum tangit. In hoc rerum statu arduum erat statuere, quid moliendum esset, aut per quam viam urina esset elicienda. Nam perinaeum incidere tutum non erat propter duritiam ab inflammatione relictam; nec magis tuta videbatur punctio vesicae per rectum intestinum, quia vesica ab ea parte non prominebat, neque lotii percussi unda digitum in ano lacessebat. Igitur, quia late aperienda erat vesica, per fistulam in scroti sutura patentem specillum sulcatum dimisimus, ductoque per id scalpello perinaeum, et vesicam profunde incidimus, urinamque rufam eduximus. Hoc tamen nihil profuit; nam inhorrescens aeger, et expallescens in lecto compositus expiravit. Satius forsitan fuisset supra pubem vesicam perforare, nisi a sordibus eandem expurgandi ratio praevaluisset.

In demortuo intestina omnia putrida, foetentia, viridantia; renes pallidi, mollesque purulento latice scatentes observabantur. Vesica ampla tunicis flacidis non paucam urinam continebat; urethra et prostata secundum naturam; cellularis autem membrana, quae urethram, perinaeum et scrotum involvit, singulari modo adaucta intumuerat, ut penem valde deformem redderet, et praeputium duobus latis digitis glandem excederet. Vesica ad cervicis latus aperta fuit, cujus orificium a caruncula sanguinea occludebatur, et urinae exitum praepediebat; tamen si corporis et vesicae vires non defecissent, si suppurationi integris visceribus locus fuisset, haud dubie deleta caruncula, a contractili vesica urina fuisset expulsa. Denique in vesicae apice paulo sinistrorsum foramen conspectum est orbiculare, angustius qua vesicae, amplius qua abdominis cavum spectabat, quod a crusta gangraenode videbatur productum, multumque lotii in abdominis spatia profuderat.

Ischuria ab urethrae angustia.

Auriga a peronaei fractura sanatus, jamque viribus restitutis valetudinario valedicere statuerat, cum die 18 martii 1792 vehementissima febri oppressus pejora pertimescens postridie domum se contulit, ubi in ischuriam incidit. Frustra cathetere viam aperire conatus est, quisquis ille fuerit, qui primus advenit, et urinae loco plurimum sanguinis elicuit. Tum protinus deficiente mejendi desiderio, viribusque prostratis denuo die 21 ejusdem mensis in Nosocomium importatus est. Cereus nonnisi ad medium urethrae pervenit; balneo immersus homo vehementer inhorruit, et quarta post reditum hora periit.

In cadavere vesica a lotio subcruento, non turbido nimium distenta suc-

censa erat sine gangraenae notis, rugisque non obliteratis. Caruncula seminalis, prostata, et vesiculae seminales sanae. Urethra circa medium coarctata vix tenue specillum admisit, ibique a cathetere lacerata sanguinem in proximam cellularem sparsit. Intestina cinerei coloris erant; renes et ureteres non morbidi, abscessus nullus, quousque pervestigare potuimus, inventus est. Febrim itaque et inflammationem exinde natam esse existimabamus, quod vesica sese exonerare penitus a lotio non poterat ob nimiam urethrae angustiam, quae mala ab incauta catheteris administratione, et urethrae laceratione lethaliter increverunt.

Ischuria a prostatae abscessu.

Agricola duos supra octoginta natus annos extremo martio anni 1791 stranguria, dein ischuria correptus in Nosocomium illatus est secunda aprilis. Urina nullis auxiliis ob itineris angustiam evocari potuit. Quare die quarta aprilis, cum vesica maxime distenta esset, hypogastrii paracenthesis instituta est coram chirurgorum coetu. Urinae multae non crassae, non graveolentes, magis solito coloratae defluxerunt; aeger quia antea horripilabat, post operationem magis inhorruit. Postridie sitiebat; pulsus intermittebat; urina manabat. Diebus, qui insecuti sunt, melius habuit; sese in latus vertebat; et urina per fistulam in hypogastrio defixam stato tempore evocabatur. Interea cereolis urethrae via tentata est, sed incassum, et ad diem 24 maji perventum est, in quo ob vehementem febrim, et faucium ariditatem, amota fistula argentea, urina per quinque dies ex foramine hypogastrii profluxit non continenter, sed dum determinata lotii mensura vesicam compleverat. Die mensis junii tertia exiguo catheteri patuit aditus in urethram, ex qua quidpiam purulenti prodiit. Aquae per fistulam argenteam in vesicam injectae pars per hypogastrii foramen prosiluit, potior pars per eandem fistulam rediit. Hoc phoenomenon argumento fuit, vesicam, qua parte forata erat, peritonaeo, et abdominis musculis propius fuisse agglutinatam, effusionemque intra abdomen non esse pertimescendam, postquam adhaesiva inflammatio praecesserat. Urethrae iter patulum conservabatur immissis cereis, dum paulatim hypogastrii foramen claudebatur, et urinae copia cum pure per penem erumpebat. In hoc valetudinis statu duodecima junii die aliquandiu inambulavit in conclavi, mox vehementer inhorruit, noctuque periit.

Cadaver pinguedine abundabat; vesicula bile referta; thoracis, et abdominis viscera secundum naturam. Vesica una cum abdominis pariete, in qua paracenthesis facta fuit, et intestino recto detracta diligentius examinata est. Et primo prostatam valde ampliatam conspeximus, et e regione intestini recti in abscessum mutatam, totamque ejus texturam in pus conversam. Urethra tota ad cervicem usque justae amplitudinis erat; sed interiori cervicis orificio, qua vesicae cavum spectat, adstabat excrescentia in circuli superius deficientis modum vesicae cervicem quodammodo adstringens. Vesicae vero

caeterum vacuae pauxillum puris inerat, cujus interior membrana rubentibus punctis hinc, inde interstincta observabatur. Illud etiam singulare visum est, quod vesicae cervix, quamvis extante semicirculo fraenata, minimi digiti capax esset, et nihilominus urinam retineret, dum eadem per hypogastrii foramen libere fluebat, atque octodecim diebus citra offensionem fluere perrexit. Nam etsi id foramen fere clausum videretur, calamum tamen scriptorium adhuc admittebat, neque lotium in cellulari textu effundebatur, quia vesica undique tum peritonaeo, tum musculis abdominis adhaerebat tenaciter, ut nec gutta lotii expandi potuerit. Punctio autem hypogastrii latum digitum cum dimidio incidit infra peritonaei plicaturam, quae summae vesicae incumbit.

Ischuria ab equitatu.

Auriga, qui octo jam annis urinae difficultate laborabat, quia quoties urina exire tentabat, equo desilire cunctabatur, eamque difficultatem vincere satagebat noctes frigidas nudo corpore transigendo. Erat ille leucophlegmaticus, et ob eam affectionem ad valetudinarium se contulerat, ubi post 12 dierum curationem urinae cursus suppressus est 2 octobris 1782. Prima urina turbida, et cum ardore educta fuit, quae postea blandior potionibus reddita non vetuit, quo minus vesica summam sensilitatem contraheret, ut exigua urinae copia illam moleste vellicaret, opusque esset novies, aut decies intra nychthemeron educere quidquid secretum erat, quod nunquam uncias tres excedebat, atque ut stimulos compesceret, aeger interdum noctu nudis pedibus pavimento insistendo aliquot subinde lotii guttas exprimere cogebatur. Vesica etiam solito angustior visa est, aut certe a spasmo contracta, quia non totum, ut alias, catheterem excipiebat; imo vix ad vesicae cervicem pervenerat, cum statim magno impetu urina erumpebat, quin catheter in vesicam descendisset, quod argumento fuit obicem levem quidem prope cervicem adesse, ad quem reprimendum catheter bifariam curvus in vesicam adactus est, isque per dies aliquot servatus, iter urinae sic ampliavit, ut non solum sine difficultate mingeret homo, sed per hebdomadam urinam praeter voluntatem disperderet, posteaque recte sanatus est.

Ischuria cum abscessu.

Incola Busti majoris jam a pueritia guttatim lotium excernebat, et cum aliqua pressione, quod vitium octo dumtaxat ante mortem annis ab Oppidi chirurgo satis exercitato observatum est, agnovitque praeputii naturalem phymosim, atque majorem extremae urethrae angustiam, ut tenuissimum specillum vix penetraverit. Inciso praeputio, et urethrae orificio idem chirurgus iter apertum conservavit plumbeo stylo, donec cicatrix induceretur. Labente quinquennio idem iter ita sensim obstruebatur, ut urinae nullus daretur exitus. Itaque modo laudatus chirurgus cum retro fossam navicularem

urethram magis distentam reperisset, maluit in eodem loco trans glandem incidere, et tubulo munire commodius, quam naturalem viam denuo aperire, atque hac ratione totum triennium absque molestia traduxit adolescens. Sed cum denuo urinae difficultate premeretur, eamque nonnisi aegre, et guttatim redderet, chirurgus aliam subesse causam ratus, prostatam tetigit, quam valde tumefactam agnoscens, remoto tubo, ad ea quae discutiunt confugit; quae dum adhibebantur, oportuit diutius uti cathetere, donec ad perinaeum oriretur abscessus, quo intus urethra sic comprimebatur, ut demissus catheter repelleretur a tumida cervice. Jamque scrotum inflari coeperat, et rubere, perinaeum tendi, quod mox incisum saniei faetentissimae, et urinae exitum dedit. Febris invasit hominem, et duodecima die occidit.

Vesica contracta fuit, intus inflammata tunicis crassis. Urethra inter ejus corpus spongiosum, et carunculam seminalem a pure destructa, et ex amplo perinaei abscessu bini sinus ad corporis spongiosi latera extus patebant; intus vero ad prostatam putrefactam vergebant: ureteres dilatati, renes putridi fuerunt.

Ischuria a phlogosi.

Rusticus sanguinei temperamenti annos natus duos supra septuaginta, ischuria, qua septies antea laboraverat, affectus, et agrestibus negotiis multum defatigatus 18 septembris anno 1782 in Nosocomium deportatur. Primum doloris sensum ad lumbos, ad ureteres, tum in vesica percepit aliis ischuriae signis conjunctum; nam urina triginta sex horarum spatio in vesica retenta fuerat. Haec ut primum cathetere educta apparuit flammea, subrufa. Catheter vero facillime in urethram illapsus per angustam vesicae cervicem propelli debuit, quae postquam evacuata fuit, spasmo lacessita reiteratis conatibus catheterem expellere nitebatur. Haec irritamenta venae sectionibus, et clysmatibus lenita sunt; intus quae refrigerant cum nitro data sunt. Urinae postmodum copiosiores, sed fuscae, interdum mucosae apparuerunt. Quarto die post eductam urinam febris cum rigore et delirio praesto fuit; quare pertunditur denuo vena, alvus purgatur, clysteres injiciuntur, abdomen mollibus fovetur. His peractis, sexto die aliquot urinae uncias non sine ardore, et stimulo per intervalla emisit aeger, auctaque in dies urinae copia et facilitate medio octobri non ingratus discessit.

Ex observationum collectione, quas praecipui auctores tradiderunt, discimus ischuriae initia tam extra, quam intra, aut circa vesicam posita esse. Ita a renibus primario affectis, et putrescentibus, a glandulae thyreoideae abscessu ischuriam natam esse memoravimus. Idem accidit, dum uteri corpus retrorsum vertitur, cujus vitii exempla duo nobis reliquit Matthias Saxtorph (1). In primo mulier quarto graviditatis mense doloribus abdominis vehementissimis corripiebatur. Explorando foeminam in vaginae fundo, et

(1) Collectanea Soc. Med. Hav. vol. II, obs. 32.

in ipsius pelvis amplissimo cavo tumorem ingentem, durum, densum, et rotundum, totam pelvim implentem tetigit, maximaque difficultate ad orificium uteri retroacti summis digitis pervenit auctor. Vesica urinaria admodum plena ad umbilicum extendebatur, neque per sex hebdomadas mulier nisi paucas urinae guttas ingenti cum dolore minxerat. Auctor neque catheterem immittere, neque uterum reponere, mutata etiam corporis positione, potuit. Post dies octo subnata menorrhagia secutus est abortus, et urinae nigrae, crassae magna copia salva matre effluxerunt.

In altero casu auctor advocatus fuit serius, quam oportuit, invenitque mulierem quinto mense gravidam, animam agentem. In defuncta eundem tumorem vaginam pertentando, quem in priori, invenit. Orificium uteri supra pubem ita retractum fuit, ut attingi minime licuerit. Dissecto abdomine fluidi urinosi magna vis manavit. Intestina inflammata; fundus uteri in posteriori pelvis parte retroflexus; orificium alte supra pubem cum vaginae pariete anteriori attractum; vesica urinaria flacida, et disrupta reperiebatur. In hac quoque nonnisi maximo nisu, et tota manu uterum retrudere, et a strangulatione liberare potuit.

Ischuriam quoque parit urina voluntatis arbitrio diutius cohibita, cujusmodi exemplum ex Paraeo adducit Schenkius (1) " Quidam equo vectus, " et dominam a tergo habens, eaque occasione urinam, in summa mejendi " necessitate, reddere non audens, eidem ita retenta est, ut ab itinere domum " relatus, ipsam nullo conatu reddere potuerit. „ Familiaris est urinae retentio ob amissum mingendi desiderium prolixius equitantibus, rhedariis, vitam desidem agentibus, argentariam facientibus, in exedra sedentibus.

Interdum nervi vesicae proprii male afficiuntur, vel a vertebris luxatis, aut fractis comprimuntur, inflammantur, tunc torpente vesicae sensu urina primum supprimitur, deinde post aliquod intervallum praeter voluntatem excernitur. Ad vesicam resolutam instaurandam prodesse dicuntur praeparata ex cantharidibus, ex arnica, aliisve stimulantem vim exerentibus. Clar. Michäelis ex literis Harburgo ad me datis 8 aprilis anno 1798 summis laudibus extollit petroleum tam in urinae retentione, quam ejus stillicidio ex vesicae, aut ejus cervicis imbecillitate, cujus tres, vel quatuor guttas non semel quotidie ore sumendas proponit. Eodem petroleo perfricare jubet omnem vesicae regionem cum pectine.

Evenit quandoque, ut tam exquisitus sit in progressu morbi vesicae, aut ejus orificii sensus, ut continuo cum tenesmo micturire cogat hominem; tunc nullum praesentius remedium inveni quam opium sive ore datum, sive ano susceptum. Juvat, etiam si id fieri potest, aquas anodynas ex papaveribus, aut solanis in vesicam injicere.

Demum ne res ulla obliviscatur, quae prudenti et solerti Medico usu venire possit, administrationes quasdam mirabiles pro curatione ex Schenkio (2)

(1) Obs. Med. lib. III, obs. 5.
(2) Ibid. obs. 2, 13.

adscribimus. Cardinalis quidam, qui jam per quatriduum urinae difficultatem passus erat, turgidus, et, ut dicitur, desperatus, de consilio Medici, per potum vini alkekengi liberatus est, et soluta est urina in quantitate, ut impleretur quasi concha una. Hieronymus Mercurialis in libro de Morbis Puerorum haec habet. Soleo ego accipere cucurbitam, in qua diu conservatum fuerit oleum, et eam curo poni in aqua fervente, ac deinceps virgam pueri jubeo conjici in os cucurbitulae, et hujusmodi remedium efficacissimum esse expertus sum ad provocandam urinam puerorum.

Oleum pretiosissimum urinam a ventositate et frigiditate retentam provocans a senescente Mariano Barolitano sic describitur:

Acori, cyperi, tamarisci, scolopendriae, seminum agni casti ana drachmas quatuor.
Corticis capparum uncias duas cum dimidia: rutae drachmas duas: bacchar. lauri drachmam unam cum dimidia.
Olei sesami libras duas: aceti albi fortissimi uncias quatuor cum dimidia. Contusa et mixta bulliant in calciola aenea usque ad aceti consumptionem. Tunc auferatur ab igne, coletur, et servetur.

Cum hoc oleo calido unge pectinem, et partes adjacentes, quas prius calefacito, et fricato cum panno calido.

Art. III.

Ischuria a prostata tumente.

Magnificus Ewerardus Home orationem pronuntiavit anno 1806 die vigesima februarii, in qua tertium glandulae prostatae lobum se reperisse gloriabatur (1). In postremis vitae annis prostatam tumefieri posse animadvertit Auctor, seseque erigere, et in majoris papillae formam intus in vesicae cavo tumores variae magnitudinis effingere, urinae cursui sese opponentes, quod a non paucis Anatomicis observatum fuit. Lobus iste novus, *mediusque* nuncupatus prostatae, situs est in sulco cornua prostatae dividente, inter vesicam, et vasa deferentia, ejusque basis vesicae membranis adhaeret. Forma rotunda est, basique sua adhaeret prostatae, sic ut corpus distinctum efficiat ob duos sulcos, qui in oppositis superficiebus observantur. Ejus ductus excretorii per vesicae membranas transeuntes retro veru montanum aperiuntur. Medius hicce lobus in juvenili aetate non tumet, sed in senio se expandit, etiamsi nulla sit futuri mali suspicio.

Inter causas frequentiores inflammatae prostatae enumerat Auctor cibi et potus ubertatem, venerem nimiam, corporis habitum faventem, frigus, et omne id quod sanguinis circulationem adauget. Dum medius lobus incipit

(1) *Vide* Traité, ou Observations Pratiques et Pathologiques sur le Traitement des maladies de la glande Prostate, par Sir Ewerarde Home. Paris, 1820, 8.°

tumescere, in vesicae caveam penetrare tentat, ejus interiorem membranam urgendo, cui inflammationem impertitur; tunc urinae ardor, et continuum mingendi desiderium oboritur etiamsi vacua sit vesica. Quo magis lobus increscit, ex rotundo in septum transversum mutatur, ejusque membrana lobis lateralibus adnectitur, atque ita urinae obicem ponit plus minusve validum, donec eadem prorsus intercipiatur. Tunc una cum medio laterales etiam lobi inordinate tumefiunt. Membrana vesicae mucosa succensa fit admodum sensilis, secernitque lympham coagulabilem, urinam frequenter ejiciendo, donec inflammatio soluta sit. Tota item prostata inflata secernit liquorem copiosum, et viscatum. Dum urinae secretio in renibus supprimitur, corticalis substantia quodammodo separatur a medullari seu papillari, et urina his substantiis interjecta comprimit substantem medullarem, ita ut ejus tubuli urinam non amplius excipiant, et ipsa contrahatur.

In prima mali periodo, ubi urina satis adhuc fluit, et nondum vesicae membrana inflammationem concepit, sanguis detrahendus est per cucurbitulas in renum regione; administrandi clysteres ex opio, pulveres Doweri, balnea dimidii corporis; imperanda abstinentia, et quies. Sedulo vitanda est immissio catheteris, et cereorum, ne proritando malum augeant. Si tamen, etsi crebro mingat aeger, vesica nimium turget, praemissa venae sectione, catheter immittatur sic, ne spasmus urethrae inducatur; ut fistulae apex dirigatur supra eminentiam cervicis vesicae, utque fistula in loco remaneat, quae exteriori ora deorsum inflexa sit, ad quam inflexionem obtinendam stylo ferreo aptantur elastici catheteres. Fistula flexilis cum stylo nequit interdum propter spasmum urethrae viam percurrere; sine stylo quandoque in vesicae cavum non pervenit. Non raro necesse erit mutare catheterem, atque ejus apicem in varias directiones impellere. Dum spasmus adest, ab omni molimine abstinendum est, donec solvatur; et si incurvus catheteris apex aegre vesicae cervicem superat, digito in anum immisso sursum urgetur, sic ut in vesicam ascendat. Urina quatuor, aut sex horarum spatio educenda est non solum, ut vesicae inflammatio tollatur, verum etiam ut lobi medii inflatio subsidat, et lacerti carnei contrahantur. Dum lobus medius excrescit, constringitur saepe urethra, et fistula elastica, si modo ad vesicae ostium pervenit, in lobum medium impellitur, quem irritando spasmum vesicae ciet, isque fistulae mora sedari, et in vesicam illabi potest catheter; nam ab injectionibus olei, mucilaginis, opii parum levaminis sperandum est.

Dum alteruter prostatae lobus lateralis excrescit versus rectum intestinum, tunc alvus supprimitur, vel tenesmus prehendit, vel dum solvitur alvus post horas aliquot, dolor et spasmus in intestino oritur. Juvant hic suppositoria ex cicuta cum opio; balnea ex aqua salsa; clysteres tepentes, et vesicatoria perinaeo imposita. Ubi caruncula seminalis succenditur, dolor invadit atrocissimus, incalescens, discerpens, in statione et motu molestus, minus si aeger decumbit; cujus causae esse possunt vel cereoli ruditer immissi,

vel injectiones ad sistendam gonorrhaeam; vel petulanter emissum semen; vel erectio diuturna, vel alia quaecumque causa. Membranam vidit semel Auctor totum tractum carunculae seminalis operientem in viro ab inflammatione denato.

Prostatae abscessus concitatur dolore ad cervicem vesicae, ad veru montanum; urinae difficultate, alvi duritie, tenesmo, horripilatione; reperiturque trans, vel in ipso veru montano, et pus muco, vel sanguine remixtum prodit. Commendantur ab auctore opium, cicuta, hyosciamus, pulvis Doweri, suppositoria, potus mucilagineus, sessio in aqua salaria.

Ulcus prostatae procedit vel a parvis calculis spiniferis, qui urethrae infixi in glandulae corpus penetrant, vel ab imprudenti catheteris metallici usu. Signum ulceris pathognomonicum statuitur esse mucoris copia urinae remixti.

Cum venae in senibus magis distendantur, ita fit, ut eae, quae novum lobum circumdant, vel inflammentur, vel ruptae sanguinem fundant, quemadmodum in apoplexia observamus, et sic lobus intumescat, quod praecipue equitando evenit. Ab eadem causa, nempe ab effusione sanguinis vel lymphae in lobuli textu pendet formae mutatio, in cujus structura saepe nodi reperiuntur.

Praeterea, si quis succussando equitaverit, sanguinem cum urina minget, qui coagulatus fundum matulae petit, et si inflammatio subsit, urens calor cervicem vesicae, et urethram occupat, neque catheteri datur ingressus sine spasmo. Observavit Auctor in viro, dum viveret, fortiter equitante, venam ruptam in superficie lobi medii, id quod confirmare videtur, quae superius dicta sunt.

Dum lobus medius aegrotat, monet, ut catheter sit incurvus, et crassus, et argenteo praefertur ex gummi duro elastico rite fabrefactus. Caeterum in hujus lobi morbo damnat balnea ex aqua salinaria, item calida, acida, et calomel. Probat vero frigida; lenientia ex folliculis senae cum tartaro solubili; clysteres ex aloë cum lacte; sanguinis detractiones e lumbis, e dorso; pulverem Doweri, interdum opium; at si febris accedit typhoides, indicat vesicam esse affectam, vel prostatam abscessisse, tunc, si fieri potest, pus cum urina sine mora educendum est. Accidit vero, ut lobus dexter, saepius sinister prostatae tumefactus intra vesicam promineat, quod animadvertendum esse censet Auctor, ut catheter in vacuum spatium dirigatur.

Affinis est carunculae seminalis affectio cum prostatae morbo, cum quo etiam confunditur, nisi quod caruncula male affecta difficillime sanatur. Ut plurimum se prodit cum muci effluvio, et crebro mejendi desiderio, interdum etiam dolore spasmodico sphincteris vesicae. Spasmus colli vesicae cognoscitur ex eo, quod immissa molli fistula tantisper mitigatur; quod ultimae urinae guttae cum dolore redduntur; quod catheterem, dum descendit, ferme attrahit in vesicae cavum. Frequentior causa, qua veru montanum proritatur, sunt haemorrhoides. Vir quidam a coitu irritamentum percepit

prope granum hordeaceum, ex quo post mensem muci ex urethra fluxus ortus est. Idem deinde irritamentum intestino recto communicatum magis exacerbatum fuit adhibitis stimulantibus et vesicatoriis, unde homo pessime habuit. Anno elapso Londinum se contulit, ubi cognita haemorrhoidum satis conspicuarum indole, hae recisae fuerunt, aegerque sanatus. In alio viro veru montanum male afficiebatur a cellulari vesiculas seminales ambiente nimis crassa, densaque, et a prostata indurata, et ad vesiculas producta, tum ab ipsius vesicae inflammatione.

Haec ferme est spectatissimi viri doctrina, quam in eorum gratiam explicandam suscepi, qui commercio literato carent, ipsique intelligant, quanta diligentia, et arte signa molesti et pervicacis morbi, rationemque curationis proposuerit Auctor, quam provinciam nemo ante illum excoluit. Nunc liceat superioribus observationibus alias addere, quae probent a turgente prostata urinam supprimi.

Agricola in suburbio degens, tribus annis antequam e vivis excederet, ob aestus, frigorisque vicissitudines, et immodicum praelo expressi vini potum ischuriam passus est fugacem, nam vigesimo die sospes fuit, et quoad moderatam vivendi rationem tenuit, bene valuit, et si in leves incidebat errores, eos in valetudinario paucis diebus luebat. At progrediente tempore frequentior, et pertinacior reddita ischuria, laboribusque rusticis associata vehementer hominem exercuit. Urinae modo albae cum hypostasi, modo rufae, vel stillatim excernebantur, modo ex toto supprimebantur, donec superveniente febri foetidae, et crassae reddebantur. Postea febrim secutus est rigor, spasmusque hypogastrii, glandisque dolor, et urinae pus vehere visae sunt. Tunc aeger in deterius ruere, brevique mortem oppetere anno 1785.

Intestina in denato fracida, renis dextri inferior pars gangraena absumpta, sinister inflammatus, uterque mollis erat et passus. Ab his inflammatio per ureteres ad vesicam propagabatur, quae parum expansa, praeter quinque circiter puris uncias, interiorem membranam valde succensam exhibuit. In interiori, inferiorique cervicis vesicae sede extans margo sustinebat tuberculum quoddam incertae originis. Ab angulo anteriori trigoni vesicalis eminentior linea ad granum hordeaceum tendebat, vel potius trigonum cum illo conjungebat, quae linea a duplicata mucosa membrana constituta ab lateribus grani hordeaci in valvulae modum inflectebatur sic, ut ejus orificium granum ipsum hordeaceum, fundus coecus urethram spectaret. Porro cervicis iter recta supra valvulam in urethrae canalem bene constitutum pergebat. Prostata vesicae cervicem amplectens duplo naturali major, fere schyrrosa deprehensa est, sed durior in aliquibus punctis quorum centrum erat violaceum.

Faber lignarius ex vico Cologno, plus quam quinquagenarius, et hypochondriacus, cum per sexennium levi, sed molesta, utpote ad duas, tresve hebdomadas recurrente, ischuria affectus esset, postremo martii 1785 in valetudinarium perductus est. Quotiescunque laboribus plus aequo, aut vino

indulgebat, aut ad prunas incalescebat, toties urina promptissime sistebatur. Cruciatibus patienter toleratis, quiete, victu tenuissimo, intra duos, tresve dies fluente urina ad consueta munia redibat. Anno 1784 tribus aestivis mensibus sinceram aquam potans ab ischuria fuit immunis, quo regimine deinceps neglecto in idem malum incurrit. Die 26 martii praeter urinae difficultatem tam atrocibus doloribus, et agitatione obrutus fuit, ut sequentibus diebus in valetudinarium, ut dictum est, concesserit. Ibi febrienti, summe anxio, ventre tumente, urina per fistulam evocata rufa, et crassa fuit, deinde sanguis e brachio, et pede detractus, abdomen fomento mollitum, alvus clysteribus.

Post dies octo extincta febri, urinisque naturali colore prodeuntibus, vix aliud patiebatur mali praeter conatus quosdam, dum urina majori copia affluebat. Circa id temporis, cum alii ex alumnis chirurgo extrahendae urinae officium demandaretur, is cervicem vesicae adeo vexavit, ut eadem succensa dolores, febrim, urinam rufam concitaret. Tunc per anum explorata vesica, magnitudine adaucta deprehenditur prostata; urina fit purulenta; atque ob molestam cupiditatem crebrius educitur usque ad medium aprilem, dum urinae sine pure, et sponte reddebantur usque ad aprilis exitum. Sed febris typhodes mense majo ingruens hominem e vivis sustulit.

Renes molles, et lividi, semiputridi, praesertim sinister inventi sunt; dexter pelvim amplissimam habebat. Vesica urinam multam, crassam, foetidam continebat. Superficies ejus interior nigricans, tunicae crassae, multi lacerti carnei conspicui. Discissa a parte posteriori vesica obtulit orificium internum circulo morbido extanti instructum. Orificium ipsum in segmenti formam fissum erat cornubus retusis, sursum directis; per hoc fissum index digitus libere ad radicem spongiosi corporis urethrae pergebat, tanta erat amplitudo cervicis. Corpus prostatae mirum in modum quoquoversus erat expansum, et veluti solutum a partibus, quibus adhaerere solet ob duas excrescentias, ab ea prodeuntes, quarum altera interiorem circulum cervicis vesicae constituebat; altera circulum inferiorem recto intestino incumbentem. Hae appendices, per longitudinem incisae non vitiatae apparebant, sed peculiari quadam cysti circumdatae, per quam glandulae prostatae conjungebantur. Sed et ipsa glandula ab aliis minoribus, albis, sphaeroideis, conglomerata videbatur. Porro exiguas has glandulas invicem nectebat valida et albicans membranula, ex quibus incisis nil quam albidi quidquam laticis profluxit. Caruncula seminalis sana, neque a prostata constricta fuit.

Vir quinque supra sexaginta natus annos, qui bis antea ischuria detentus fuit, rheda velociter rectus cum collega, et vehementer succussatus medio in itinere urinam sibi haerere sensit. Itinere confecto ter et amplius immisso cathetere nil praeter sanguinem qua fluidum, qua concretum eductum fuit. Demum urina apparuit primum fusca, tum alba, quae brevibus intervallis ad emissionem cogebat. Soluta inflammatione, descendit aliquoties in alveum, in quo mingendi conatus crebriores facti, doloresque fortius excitati desistere a balneo coëgerunt.

Trigesima quinta a morbo incepto die cum advocatus essem, et, quae modo exposui, intellexissem, et catheterem sine obice in vesicam promovissem, per ani viam prostatam tetigi, quam valde tumentem, duramque deprehendi; cumque volumen illud ab incensione adhuc sustineri cognovissem, laxantia ex cassia fistula, et cremore tartari; cataplasmata supra pubem, et perinaeum usurpanda esse existimavi. Hisce praesidiis, et tinctura antimonii Thedenii, fistulaque continenter intra vesicam servata, victuque ex olusculis capto integre convaluit.

Ischuria cum plexu varicoso.

Non licet mihi reticere singularem historiam, quae a Venetorum littore ad consultandum transmissa fuit.

Honestus civis annorum sexagintaquinque, habitus athletici, patre genitus scorbutica, uti credebatur, labe affecto, consilia et manum medicorum exposcebat. Pater autem, dum in vivis erat, continenter cruciabatur ab affectione, quam rheumaticam nuncuparunt, et etiam in prolem diversimode transfuderat. Demum resolutis vesica, et artubus inferioribus, periit ob catheterem ruditer et incondite immissum.

Hic igitur civis adhuc infans ad radicem penis equi calce ictus fuit, continueque tumefacta, et inflammata pars ultra duas hebdomadas puerum exercuit. Postquam adolevit, cum venationibus, et equitatione defatigatus esset, contraria his suscepit aetate jam maturior; nam, intermissa propter civiles necessitates corporis exercitatione, elanguit, et desidem vitam gessit. Venerem parce exercuit, a qua semper illaesus discessit. Sed jam progressu temporis ad pollutiones sive spontaneas, sive prolectas velox erat ob exquisitum genitalium sensum. Cum octavum lustrum attigisset, doloribus brachiorum primo, deinde colli, et alarum conflictari coepit cum marcore manuum, quibus signis evanescentibus, in malum incidit, quod mox describetur. Omittendum non est ante novi morbi accessionem per hybernum tempus quotidie a prandio circa artus inferiores inhorruisse, discussoque rigore copiosam sudationem erupisse.

Quartus decimus labebatur annus, ex quo imminutum esse urinae rivum comperit, dumque tenuiori filo; tamen sine molestia, urinam emittere pergeret, gravi moerore comprehensus, urente urethrae dolore captus est, dum mingere properabat, cujus vis identidem mictionem supprimebat. Huc usque interiores ani venae nullo taedio afficiebant aegrum, atque urina ab naturali conditione non recesserat. Sed brevi interposito intervallo lotium crassum, muco plenum sub vesperam praecipue animadversum est, posteaque suppressum est. Catheter vesicam deplevit, quin crebri mingendi conatus et ischuria remitterent. Tunc ab experientissimis lithotomis exploratus aeger fuit, qui nil vitii in viis urinariis esse retulerunt, itaque sanatus est.

Post menses novem redeunte ischuria catheter non eadem facilitate de-

missus est, parumque sanguinis cum urina extractum est; hoc tamen non obfuit, quin denuo sanaretur. Quatuor fluxere menses antequam ischuria rediret, eoque impetu, ut intra breve tempus bis terve urina educenda foret. Progrediente malo urina, dum in sinistrum latus cubabat, sponte et expeditius fluebat; semen autem persistente erectione expelli non poterat, quod ea desinente lenius ex urethra plorabat. Chordae ad ampliandam urethram inutiliter adhibitae fuerunt; urinae interea limpidissimae ad octo, vel decem libras inordinate elabebantur non sine ardentissimo cruciatus sensu ad vesicam usque propagato. Quamvis huic difficultati opiatis subvenire studuissent medici, non aliud tamen sympthoma oppugnarunt praeter haematuriam, quae saepius intercurrebat.

Inter haec molle certamen inivit cum muliere, uti apparebat non impura, sine seminis effusione, ex quo levis blenorrhaea cum testis malacia brevi dissipanda, secuta est. Monere hic oportet urinam nunquam latitantis heterogeneae materiae signa ostendisse, neque lumborum regionem afflictam fuisse. Aucta in dies mingendi difficultate, urinaque tandem retenta, sibimetipse cathetere lotium detraxit, idque per tres ferme, et amplius annos. Hac operandi ratione, neglecta fuit opportunitas vitium vesicae explorandi, et curationis modum dirigendi. Fatebatur quidem initio operator corpus quoddam molle, non dolens, ad prostatae sedem catheteri obstitisse, quod pedetentim ad pollicis crassitudinem excrevisse sibi visum fuit, eo effectu, ut jam catheteris immissio spasmum concitaret, cogeretque subducere paulo fistulam, donec ingratus sensus placaretur.

Mense martio anni 1803 dysuria, et haematuria invaluerunt adeo, ut majoris momenti, quam oportuisset, rem esse portenderent; urinae etenim antea pellucidae, nunc crassae admodum reddebantur; tenesmus haemorrhoidalis rectum intestinum vexabat. Cortex peruvianus datus est; balneo insidere jussus, thermarum luta superdata sunt sine emolumento; sola febris, si quando irrepserat, aliquid de sympthomatum vi detrahebat. Post quae omnia in pejus ruere; omnia vesicae vitia in unum colligi, tenesmus, dysuria, stranguria, haematuria, pyuria mucosa, erectiones molestissimae, punctiones ad laevam vesicae acerbissimae, sine pulsus arteriosi, aut facultatis digerentis perturbatione. Praesidia dumtaxat medica malum hocce respuebat, potiones videlicet, venae sectiones, hyrudines, lactis serum, thermarum potabiles, cuncta quae demulcent, quae sopiunt, quae incrassant; demum balinea, quorum usus praeter alia nocentissimus fuit, crassi intestini functiones pervertendo, et tenesmum nulla arte fraenandum excitando. His adjiciebatur, quod erigendo corpus paulo sedabantur mala signa, at resupinato mirum in modum recrudescebant. Urina nonnisi per catheterem trahitur multo muco, interdum sanguine referta, foetens, sine puris nota. Haec omnia a doctissimo et experientissimo Pezzi med. doctore relata sunt, qui existimabat ab ictu calcis quamdam vesicae particulam fuisse labefactatam, vitiumque contraxisse, quod dum aeger exercitatae vitae genus haberet, siluit; dum vero exercitationibus

ignavia et moeror successit, morbosa congestio sensim aucta eam visceri labem impressit, quae nullatenus removeri potuit. Chirurgus, qui postremo vesicam exploravit, calculum non offendit, sed prostatam mire tumefactam, varicibus extantibus circumdatam, sanguinem et sponte, et a cathetere compressam fundentibus. Videbatur insuper eidem vesicae cervicem intus ad duos transversos pollices esse productam, quia tantae longitudinis iter percurrebat catheter, antequam in vesicae cavum perveniret.

Hanc historiam perlegens opportune in memoriam revocavi duos Hippocratis aphorismos (1), primum his verbis expressum: *extremis morbis, extrema exquisite remedia optima sunt.* Alterum: *quoscunque morbos medicamenta non sanant, ferrum sanat; quos ferrum non sanat, ignis sanat* etc. Galenus extremos morbos appellat, ultra quos alii majores non sunt. Genga vero aphorismum chirurgica ratione ponderans pro morbis extremis intelligit, quos medicamentorum usu nequaquam debellare valemus, et ad eorundem curationem ad ulteriora deveniendum est. Ex tribus praesidiis chirurgicis ferrum, et ignis graduatim validiora existunt, atque ad ipsa confugiendum, quoties morbi saevities exposcit, nec morbus ipse medicamentis vinci potuit. Hanc explanationem adeo consentaneam morbo judicavi, ut non dubitaverim lithotomorum operam fuisse advocandam, observatione etiam a Skenkio (2) prolata confirmatam. Agebatur de carne in collo vesicae nata, et calculum mentiente, quae post incisionem more lithotomorum factam, paulatim consumpta est convenientibus remediis, et aeger a dolore, et urinae cruciatu, qui in octavum mensem duraverat, liberatus est omnino.

Vir quidam in sutrina taberna consudavit ad provectam usque virilitatem; tunc pietatis rigore compulsus custodiendis aegris in valetudinario operam suam impendit. Hic annorum progressu a lateris jactu in lumborum regione graviter laesus commotionem et turbamentum non satis definiendum in imi ventris visceribus persensit, paulatimque factus valetudinarius, urinam praeter expectationem sibi haerere animadvertens ingemuit. Biennio eo morbo premebatur, in quo et catheter in vesicam sine obice descendebat, et urinae sanis similes extrahebantur, nec alia labe affectus erat, nisi quod contabescens exeunte octobri anni 1820 a vita discessit. Vesica secundum naturam constituta erat, uti et reliquae partes. Prostata solum ampliata cernebatur sic, ut basi sua extolleret vesicae membranas, atque intus in vesicae cavo septum, aut eminentiam margine suo eminentiori constitueret vesicae ostium claudentem, quod ostium coeterum mutata figura satis patulum erat, neque ulcerosum, aut succensum deprehendebatur.

---

(1) Bernardin. Gengae Comment in Aph. Sect. I, aph. 6; Sect. VIII, aph. 6.
(2) Obs. Med. lib. III, De Vesica urinaria. Obs. I, Caro, Excrescentia, etc.

Ischuria renalis.

Vir mediae aetatis ad Nosocomium properavit abdomine tumido, urina retenta, ubi intra quatriduum periit. Quamvis ex pulsu aliisque gravibus signis proclive esset judicare eum periturum fore, tamen praesidia generalia in usum vocata sunt. Urinae pauxillum ope cereorum eliciebatur. Catheter immissus etiamsi ex ejus longitudine in vesicam pervenisse videretur, tamen illigatus quodammodo, et a partibus constrictus erat, neque urina defluebat, quod suspicionem movit catheterem lacerata urethra inter vesicam et pubem sibi viam fecisse; nam ejusdem apex sub abdominis macilenti integumentis internoscebatur. In demortuo intestina singula cum omento succensa sunt inventa. Lymphae turbidae pauxillum in cavea ventris effusum. Vesica contracta sine lotio fuit; membranae naturali crassitudine, quarum exterior parum vitiata, villosa quam maxime inflammata usque ad mediam urethram. Prostata et vesiculae seminales sanae. Renes ambo eadem qua viscera labe laborantes ita coacti, et durescentes visi sunt, ut secretionis officio inepti redderentur.

Ischuria a vesicae haemorrhoidibus.

Generosus vir annorum 67 podagra, et herpete crustoso et miliari in artubus inferioribus affectus, quatuor mensibus lectum tenuit, unde praeter languorem, et cibi fastidium, aliquot continenter diebus alvum crebro deponere, praecipue intempesta nocte, coactus urinae difficultatem sibi accivit anno 1793. Id quidem sciendum est, hunc virum micturire solitum fuisse, quoties vel paucula urina ad mejendum sollicitabat. Postquam frustra fomentis et clysmatibus agebatur, urinam cathetere emoliri necesse fuit, atque in ipso fistulae ingressu sub arcu pubium sanguinis rivus profluxit linteamina conspurcans. Fistula vero sive quod brevior, nam tota intra meatum recepta fuit, aut minus, quam oportuit, incurva, vesicam non subiit. Chirurgus alter tres ordinatim variae magnitudinis fistulas compellere in vesicam tentavit sine successu, sanguisque ad singulas immissiones copiosus promanabat. Demum hirudinibus podici admotis, longior fistula post horas quatuor in vesicam demissa est non sine difficultate. Quoties deinceps urina emoliebatur, semper sanguinolenta prodibat, qui sanguis non a solis dumtaxat cervicis, sed ab vesicae quoque vasculis manare apparebat, quia educta urina constanter rubellum colorem servabat.

Cum igitur vasa sanguifera, quae ad vesicam, ejusque cervicem distribuuntur, et ampliata, et turgida esse constaret, ad hoc vitium corrigendum usi sumus fistula elastica, et decocto corticis peruviani cum spiritu vitrioli, licet, nec dolor, nec febris praecesserint. Post dies quinque inanis desidendi cupiditas, et frequens a vesica ad glandem, et ad crassius intestinum exorta est, saepiusque huic desiderio satisfacturus aeger e lecto se proripiebat. Quod molle clysma non mitigavit, aqua Nuceriae affatim pota, utpote bi-

liosis saburris emendandis apta, sustulit. Inde urinae ad naturalem statum redeunt pauxillum muci et sanguinis ex cervice expressi deponentes. Pulsus cum inaequalitate praenunciavit copiosas, quae per alvum factae sunt, evacuationes non sine molesto intestini tenesmo, et urethrae dolore, quos injectiones ex opio fugaverunt. Tandem decimotertio ab incepta ischuria urina mota est, et sequentibus diebus primo crassior, tum tenuior ad eum modum aucta est, ut quinquaginta uncias superaret; et quo plus fluebant urinae, eo magis herpes in cruribus, et femoribus se ostendebat latis crustis, et compactis cutem obtegens. Postremo cum urinae adhuc crassum mucum educerent, urethramque saepius, et taediose convellerent, renovato usu aquae Nucerianae sospitatus est.

Quod prostata in majorem naturali molem excrescat, et quod variis modis vitiari possit, haud dubium est. Prostata enim una, biloba vel in totum ambitum, vel quia est cordiformis alteruter lobus, vel basis, vel apex prae aliis intumescere potest. Prostatam praeter naturam extumescentem, eaque duritie praeditam, ut quasi ex cartilaginis et ligamenti commista substantia constare videretur, in viro Patricio vidit Morgagnus (1), qui non auctam dumtaxat molem vult esse attendendam, sed et aliquando schyrrosam duritiem; neque semper totam prostatam tumidam esse, sed superiorem dumtaxat ambitum, aut aliquam tantummodo partem, quae urinae exitum occludat. In prostata glandula Antonii Cortinii sinus erat, quo tartari similis materia continebatur, et ferme jam calculosa. Flavos parvosque calculos in prostata defixos invenit Morgagnus in viro quodam peregrino, qui ob id impedimentum semen emittere non poterat. Valsalva ad Insubrem Chirurgum scribebat se deprehendisse lapidem in prostata glandula, dum cadaver incideret Cardinalis Morigii (2). Hujusmodi exemplum habet Marcellus Donatus (3), qui in Mantuani Medici prostata lapillos pusillos invenit, qui stimulos ad mejendum, et dolores ad affectum locum, et ad urethram concitare possunt; qui si in seminali caruncula haereant, aut ejus meatus obstruant, sterilitatis causa esse possunt.

In singulis cadaveribus in quibus basis prostatae aucta deprehensa est, vidimus vesicae ostium praeter modum hiare, quod magis deduci videtur ab increscente glandula, neque ideo urina involuntarie distillat, etiamsi via pateat; quia dum vesica contrahitur, eminentia illa ostium claudit, seseque opponit columnae centrali lotii, quod ab ea eminentia repellitur. Nec unquam vidi a tumente prostata vesicae ostium ita coarctatum fuisse, ut catheteri aditus non esset; tunc enim impedimentum, quod operatori sese offert, in extrema ora prostatae intra vesicam protuberantis consistit, contra quam catheteris apex impellitur; ideoque non infrequenter accidit, ut mu-

(1) De Sed. et Caus. Morb. ep. XLI, 13.
(2) L. c. ep. XLII, 13, 37.
(3) Hist. Mirab. lib. IV, cap. 30.

tata operatoris manu catheter in unum vel alterum latus compulsus vesicae illabatur. Catheter autem bifariam incurvus opportunior est, qui ab impedimento recedit ob curvaturam, et qui melius ab homine erecto dirigitur, qui sibi ipsi urinam molitur.

Quae ad prostatam resolvendam instituuntur curationes, effectu plerumque carent, quia tunc fere adhibentur, cum morbus adolevit. Idonea censentur auxilia hirudines, malagmata, alvi lavationes, dum eam particulam inflammatio tenet; deinde cicutae cum calomelano, vel spongia usta juxta mentem Joh. Hunteri; prae omnibus autem celebratur linimentum mercuriale, quod feminibus, perinaeo, et ano infricatur, efficaciusque esse creditur, si intra anum ipsi prostatae admoveatur. At si durities et tumor prostatae catheteris usum prohibeant, et lotium supprimatur, oportet ferro scite per perinaeum adacto novam aperire viam; et si id facere quaedam prohibere possunt, tunc acu triquetra canulata, ad id parata, duobus latis digitis supra pubis ossa oblique deorsum ad vesicam demissa urina evocanda est.

Art. IV.

Ischuria a trigono.

Quem tertium prostatae lobum nuncupavit Home, hunc longe aliam esse particulam censeo; nam praeterquam quod in sano homine eundem lobum non observavit cel. vir, ejusdem structura longe diversa est ab illa, quae prostatae bilobi obtigit. Adde, quod illae excrescentiae, aut tumores inter mucosam, et cellularem vesicae membranam conditi, ab iisdem penitus separari possunt absque nerveae membranae, et prostatae bilobi laesione. Haec argumenta tum ab structura, tum ab anatomica administratione confirmantur.

Anatomici tunicas proprias tres vesicae tribuunt, interiorem alteram *mucosam*, alteram mediam *nerveam*, melius cellularem, tertiam muscularem in retis formam vesicae instratam, quam sic eleganter describit accuratissimus noster Jo. Dominicus Santorinus (1). Planum musculare vesicae tribus lacertosarum fibrarum ordinibus compingitur; cujus quamvis varia sit fibrarum dispositio, tamen aliae ab uracho, aliae ab ureteribus pronatae videntur, et ad ejusdem cervicem desinere. Rectarum porro fibrarum singulas a cervice progredi, et altero peragrato latere, easdem immutatas ad eundem remigrare locum comperitur. Transversae autem fibrae, seu circulares oblique incedunt, crebro deflectunt, vel cum rectis rectâ propenduntur, vel orbe non absoluto tenuantur. Rectae vero exteriores fibrae non in cervice desinunt, sed ulterius producuntur, et circum prostatam ad ossa pubis conferuntur. Mediae, et carneae tunicae interjacet rete vasculare ex venis prae-

---

(1) Jo. Dom. Santorini Obs. Anat. cap. X, § 29. De Vesica. Venetiis, 1724, 4.°

cipue conflatum in inferiori et posteriori vesicae parte complanata, quae basis ejusdem dici potest, magis confertum.

Ex eadem parte complanata, sed inferius et interius prope vesicae ostium exsurgit corpus triquetrum fere cartilagineum, si fides habenda Portalio (1), quod inter duas lineas ab ureterum orificiis descendentes intercipitur, desinitque in angulum anteriorem magis extantem, qui per veru montanum ad medium fere urethrae procurrit. Angulus hicce anterior trigoni, et éminentior *uvula* ob similitudinem dictus a Lieuteaud, et mucosa textus membrana conficitur ex substantia mollicula in cellulas dispartita, quam non absimilem esse tonsillarum fabricae mihi visum est. Sed audiamus Santorinum de hac particula disserentem (2): Illud vero quod ad cervicis vesicae osculum ita aliquando prominet, ut urinae iter intercludere aliquantum valeat, quidpiam glandulosum est sub tenui, intimaque vesicae membrana conditum; sic ut conspicuis interdum aggregatisque glandulis formatum viderim, cujus latam circum aream a minoribus licet, extantibus tamen, occupatam memini in sene. Ergo jam a saeculo haec particula nota fuit, neque ad prostatam pertinere solertissimus Santorini arbitratus est. Hoc corpus singulare delineari curavit idem Santorini Tab. II, fig. 2, KK et I. In explicatione hujus tabulae sic habet: ad litteram I vesicae urinariae osculum, cui prominulum corpus praefigitur, quod in affectis vesicis sic prominet aliquando, ut urinae iter prorsus intercludat. Ad litteram KK hiatus ureterum in vesicam, atque eorum corporum origo, quae sensim inclinata in I producuntur. Trigonum, seu spatium illud triangulare in vesicae basi comprehensum, non contrahitur juxta Portal (3), dum tota vesica a fibris muscularibus coarctatur, ut lotium expellat. Imo multae fibrae carneae tanquam punctum fixum in trigoni latera inseruntur. Sabatier vero (4) trigonum valde sensile esse perhibet; uvula vero facile excrescit, tumefit in rotundum tuberculum pediculo alligatum, quod vesicae collum obturat, et urinam intercipit, id quod in aetate provectis observatur. Cumque id vitii tolli nequeat, suadet usu catheteris esse corrigendum; et si malum adoleverit longiori cathetere utendum est, ut in vesicae cavum perveniat.

Hanc rem egregie illustravit prae aliis, atque icone eleganter expressit Christianus Gottlieb Ludwig (5). Historiam tradit viri plusquam sexagenarii vegeti, obesi, desidiosi, et veneri maxime dediti, qui matutino tempore urinam prompte dimittere non poterat, licet paulo post urina sine incommodo flueret; sed malo ingravescente nec guttulam excernere poterat, anxiusque in conclavi obambulabat auxilium sibi exposcens. Accersitus chirurgus pro-

---

(1) Anat. Médicale, tom. V, p. 398.
(2) L. c. § 22.
(3) L. c. Remarques.
(4) Traité complet d'Anat. De la vessie, pag. 345.
(5) Adversaria Medico-Practica, vol. II, Pars IV, Lipsiae, 1772.

gressuro catheteri impedimentum ad vesicae collum offendit, eo tamen adacto sanguinis aliquot unciae profluxerunt, et malo semper in deterius vergente aeger intra sextum morbi diem obiit.

In collo vesicae, ad caput gallinaginis, et in urethra tota labem nullam percepit Ludwig. Duos autem tumores perspexit, minorem nucis avellanae magnitudine paulo dextrorsum ad orificium colli vesicae, non teneriori pedunculo, sed ampliori quodammodo basi adhaerentem: majorem juglandis nucis magnitudine, sinistrorsum magis, basi nonnihil expansa accretum. Hi tumores (sunt verba auctoris) steatomata referebant tactu densa, nonnihil resistentia, superficie quodammodo inaequali, non tamen prorsus dura, sed nonnihil fungosa, venis varicosis tunc collapsis conspicua. Major etiam a parte inferiori orificium habebat, quod ad angustum cavum ducebat; hoc vero catheteris immissione supra indicata factum erat. Penetraverat nimirum instrumentum in medium tumorem ita, ut sanguis ex venis turgentibus flueret, ob densitatem tamen superficiei non ulterius penetrare, et urinae eductionem tandem efficere potuerat.

Tumor itaque minor saepe ex situ suo ad ostium colli vesicae pressus impedimentum facile superandum exhibuerat; major autem in ipso morbi exortu contracta vesica ita dimotus fuerat, ut totum orificium praecluderet, et obturaret, nulloque modo removendus esset, cum pressio per catheterem facta eundem potius pertunderet, quam removeret. Mirari autem subit, cur Morgagnus a cel. Anatomico dissentiat (1), qui pro naturali particula accepit, uvulamque appellavit tuberculum illud, quod in ipso urethrae initio nonnunquam se deprehendisse, et pro excrescentia prostatae saltem inchoata habuisse affirmat idem Morgagnus. Et quamvis fateatur vidisse se in sutore uvulae istius pyriforme inchoamentum; item in ascitico, et rustico mediocrem uvae acinum aequantem; majorem demum in sene lacertoso, scilicet parvi cerasi figura, et magnitudine; tamen quia nunquam se vidisse trigonum neque uvulam asserit, quoties urethram secundum naturam se habentem attente inspectavit, ideo hanc particulam non esse naturalem animadvertit, sed morbosum prostatae augmentum, quod diversam molem et figuram assumit. Proinde Santorini observationes tanquam sibi faventes explicat. Et profecto negari nequit, quin prostata excrescat, sic tamen ut plurimum, ut ejus basis in semicirculi speciem protuberet vesicae membranas sursum, et intus urgendo. Negari etiam nequit, quin cornua, et centrum ejusdem glandulae in suppurationem abeant, aut in duritiem fere schyrrosam vertantur; sed profitendum est, tubercula, quae ab adaucta uvula, aut si mavis papilla, pendent, longe aliam figuram assumere, bina, vel trina distincte apparere, cum prostata connexionem non habere, denique ulcerari, et fungosa fieri, quin prostata a naturali statu recedat. Spatium in basi vesicae tribus lineis comprehensum revera aliquid molliusculi continet, quod per morbum

(1) De Sed. et Caus. Morb. ep. LXVI, n. 5, 6, 10.

aut per aetatem tumere, et vario modo excrescere solet, non secus ac tonsillae in faucium limine consuescunt. Propterea observari nequit trigonum, et papilla in vesicis aëre, aqua, aut manibus distentis, sed in vesicis sanorum et adultorum virorum pene vacuis, nec multum contrectatis, in quibus vix granum hordei, vel dimidium uvae acinum superat papilla, quae in angulo anteriori trigoni extat. Sed ad observationes procedamus.

Quadragenarius vir postquam ab antiquo cruris ulcere convaluisset, de fluore ex urethra, de mejendi ardore et difficultate conquestus est. Superdatis quae emolliunt, quae maxime fovent, protinus urina supprimitur, eadem evocatur cathetere bis incurvo, isque in ea sede per dies octo relinquitur. Retracta fistula, urina denuo sistitur. Hinc iterum in vesicam compellitur fistula, et per mensem urethrae officio fungitur. Interim urina crassior vel muco, vel pure plena fluere, febris accendi, emaciari corpus coepit, atque os sacrum ulcerari, demum mors hominem sustulit anno 1793.

Intestina singula fracida, corrupta, exceptis renibus, erant; hepar pallidum. Vesica contracta parietibus crassis tres fere puris uncias continebat. Interiorem membranam penitus inflammatam, et in trigoni angulo prostatae appendicem, sic enim eo tempore cogitabam, altitudine unius et dimidii lati digiti vesicae ostio oppositam vidimus. Haec appendix solida erat, aeque ac prostata, quae vix volumine aucta deprehensa est. Urethra sana, si excipias amplum ulcus duobus a glande transversis digitis, quod urethram depascens subtus ad scroti radicem, et ante ejusdem septum cutim perforavit.

Geometra boni habitus, et sanae prolis genitor jam inde a sexagesimo aetatis anno urinae difficultate coepit conflictari, praecipue si longiora itinera, aut immoderatos labores rure suscepisset. Mense octobri anni 1820 ischuria repente correptus, postquam 14 horarum spatio irritis conatibus ad mejendum esset defatigatus, chirurgorum opem expostulavit. Ex his unus, et alter, et tertius catheteris immissionem per vices tentarunt, nihilque per diei dimidium eduxerunt praeter putum sanguinem. Quartus, qui post viginti circiter horas ab ischuriae initio adfuit, cum et ipse sine vi catheterem promovere curaret, animadvertit, quod instrumentum a naturali linea deflectebat. Itaque depletis primum per hirudines haemorrhoidalibus venis, et praemisso totius corporis balneo, fistula argentea tres lotii librae evocatae fuerunt. Postridie catheter flexilis immissus est, quo per annos tres cum dimidio non sine solatio usus est; quamvis in hoc temporis intervallo varie aegrotaverit, scilicet cystitide, catharro vesicali, haematuria, missoque saepius in quavis periodo sanguine quietem impetrabat. Interdum mingebat pauxillum sine fistula, sed vesica nunquam ex toto exonerabatur, quae res ejus ingenium exercuit, ut sibi ipsi fistulam ex gummi guianensi immitteret, qua administratione urinam tamen elicere non poterat nisi aliquot minutorum intervallo, et nisi multimodae pelvis motiones praecessissent. Illud etiam accidebat, ut, dum catheterem promovebat, illum a naturali itinere deflectere sibi videretur, atque in obicem impingere cum punctionis sensu, atque urina

admodum pauca emissa vehementior ad mingendum oriebatur stimulus. Demum mense augusto anni 1824, adauctis praeter dysenteriam viarum urinae affectionibus, intra non multos dies occubuit annos agens sexaginta septem.

Defuncti abdomine reserato intestina singula succensa, lympha coagulabili irretita, et nonnihil seri in cavea effusi deprehensum est. Vesica multum contracta fuit, in qua prominebat tuberculum dimidii ovi magnitudine, cujus centrum ita pertusum erat, ut catheteri mediae plenitudinis aditum faceret. Haec non naturalis via a rudi catheteris impulsione aperta non omnino consolidata erat. Musculares lacerti ita inter se disjuncti erant, ut per illorum interstitia interiores membranae in numerosas coecas appendices, aut diverticula lotium et pus continentia interciperentur. Ureteres ad digiti crassitiem ampliati: item amborum renum pelves dilatatae urinam purulentam dimittebant; caeterum eorum parenchyma admodum flaccescebat.

Cum primum homo micturire incipit, papilla vesicalis tantisper irritata increscit, vel phlogosi tentata intumescit paulatim, donec urinae iter praecludat. Tunc mucosa vesicae inflammationem concipit, atque per ureteres ad renes transmittit, ex quo, nisi auxilium promptius adveniat, partes illae in suppurationem malam vertuntur. Si vero vesica valde intenta est; si fistula in eam compelli non potest; et si homo laboriosis nixibus, et doloribus diu conflictatur, vesicae membranae laxabuntur, et disjectis carneis fibris per earum interstitia membranae prolabentur, quod in hac observatione manifestum est. Nil igitur mirum, si immisso cathetere urina non promovebatur, quia lotium et pus in totidem diverticula retentum catheteris scissuras non subibat. Quamobrem opus erat, ut homo variis motionibus, et pelvis inclinationibus urinam e diverticulis excuteret, ut per fistulam non omnis, sed pars ejusdem efferri posset. Cum autem prostatam vix esse vitiatam conspexissem, id quod jam pridem suspicabar, papillam vesicalem non esse ejusdem sobolem, accurata sectione comprobare placuit. Itaque mucosam diligenter incidendo, et a subjecta nervosa separando, papilla ex toto enucleata fuit sine prostatae damno, cui, et papillae nervosa sic dicta vesicae interjacet. Ejus substantia media utpote perforata in suppurationem abierat, reliquum densatum instar raphani erat.

Vir plusquam sexagenarius ab immodico vini potu ex caupona delati ebrius in ischuriam incidit, solutisque in Valetudinario, ubi se contulit, inflammationis notis, cum urinae edendae difficultas superesset, didicit sibimetipsi catheterem impellere. Verum labentibus annis, et increscente malo catheteris inmissio difficilior, demum impossibilis facta eundem coëgit peritioribus viris sese committere. His obstacula gravia sese obtulerunt sic, ut multorum artificum manus fistulam argenteam injicere nequirent, multumque sanguinis ad quodvis molimentum profunderetur. Hinc suborta inflammatione ad venae sectiones, ad hirudines, clysteres et emollientia deventum est. Interea felicior, dicam, an exercitatior artifex elasticam fistulam adigit, per quam lotium deinde libere fluxit. Fluxit autem jugiter cum multo pure

post tot molimina ab accensione nato, quod tandem hominem ad tumulum traxit januario mense anni 1823.

Urethra membranea perfossa erat, iterque spurium inter prostatam et rectum intestinum patebat, multumque puris circa eas partes circumfusum erat. Intus prope vesicae ostium papilla vesicalis ad nucis juglandis magnitudinem excreverat, et cathetere perforata cernebatur, quae consueta diligentia a vesicae basi soluta fuit. In hanc sententiam descensurus fuisse videtur Morgagnus (1), qui quamvis glandulosam substantiam in Adversariis memoratam (2) glandulae prostatae subrotundam propaginem esse censuerit; tamen dubitationi dat locum, dum subdit: " Eandem ab externo ambitu " sese extulisse, et secundum naturam esse visam, et intra vesicam ascen- " disse non ab anteriore, sed ab ea parte, cui rectum adjacet intestinum. „ Quod aperte significat, nullam corpus illud cum prostata habuisse connexionem.

Egenus septuaginta novem annorum, qui vagando stipem quaeritabat, ischuria affectus in Nosocomium se recepit januario anni 1826. Ibi cathetere prima vice immisso urina sine impedimento detracta fuit. Eadem manus frustra altera vice catheterem impellere curavit, qui licet eo usque penetraverit, ut in vesicae cavo esse existimaretur, nihil tamen praeter sanguinem defluebat. Praesidia quae dicuntur generalia non fuere neglecta, quibus praestitis, alius artifex sortem tentavit eodem plane effectu, quia catheter in vesicam compulsus fuisse videbatur sine lotii expulsione. Igitur distenta jam nimis vesica, acu triquetra cum vagina argentea supra pecten perforata est, vaginaque relicta, quam irrequietus aeger noctu eduxit. Postero mane pejus habuit, et vesperascente die, qui fuit morbi in Nosocomio quartus, fato cessit.

Incisa secundum longitudinem vesica, et urethra, haec quidem nihil ostendit, quod praeter naturam esset. Caruncula item seminalis naturali figura si non minor erat. Vesicae orificium intus claudebant duo extantes, subrotundi tumores, quorum dexter crassior ab eadem membrana mucosa vestitus erat, quae seminalis carunculae retinaculum superius constituit, ita ut tumorem divaricando in freni speciem distenderetur. Sinister minor, priori parallelos cum caruncula non communicabat. Medius uterque tumor pertusus erat a cathetere, cujus laterales fissurae, uti suspicari licet, intra tuberculorum parenchyma haeserunt, ut fluidum urinosum absorbere nequirent. Porro intervallum inter duo tubercula aequidistantia naturale, non vitiatum et sat amplum erat, ut prima vice directa catheter eam viam legerit; mutata deinceps directione, in unum, alterumque tuberculum impegit. Caeterum mucosa membrana totius vesicae, et tuberculorum succensa fuit sine ulcere, et membranae reliquae crassiores factae. Prostata justi voluminis, vix crassior,

(1) De Sed. et Caus. Morb. ep. XLI, 19.
(2) Advers. IV, 14.

intus non vitiata, ubique proprio humore irrorata conspecta fuit. Bina tubercula fere ovata, ex molliori substantia confecta, et inter mucosam, et nerveam vesicae membranam locata intus quidpiam puris continebant, praecipue ubi catheter pertransiit. Caeterum nerveae membranae altero apice insidebant, a qua facillime, inspectantibus plurimis utriusque facultatis Doctoribus, scalpello separatae, intacta prostata, fuerunt. Felicior certe his omnibus is fuit, de quo Cardanus noster sic refert (1). Nos tamen vidimus perforatam cathetere carnem in Francisco Lanzaverta Patricio optime cessisse, tametsi sanguinis et saniei multum profluxerit.

Faber lignarius annorum quinquaginta, bibax, negligenter sui curam gerens ad Nosocomium pergit, ubi, quoties urina evocabatur ope fistulae, gravem doloris sensum percipiebat. Deinde cum urina sanguis non modicus ferri coepit, et octavo die, ex quo in valetudinarium ingressus erat, febris cum frigore eum repente sustulit 8 jan. anni 1821.

Vesicae superficies exterior admodum rubra, intus plurimum sanguinis atri pure remixti. Membranae ejusdem solito crassiores, praecipue mucosa. Inter eas insigne rete venarum varicosarum reperiebatur, quarum ostia ad instar sinuum venosorum uteri intus hiabant inter rugas membranae mucosae, sanguinemque emittebant praecipue ex pariete vesicae postico, qui magis rubore affectus erat. Trans vesicae ostium, et trans marginem prostatae, corpus ad uvulae similitudinem digiti minoris crassitie inter mucosam membranam et nerveam extollebatur, quod urinae cursui obstabat. Id corpus, quantum ex structura cognoscere licuit, ad glandulas pertinere videbatur, et nullibi prostatae adnatum deprehensum est, quia et a vesicae membranis resolvi diligenti sectione potuerit, et specillum per rimam capitis gallinaginis immissum sub eo corpore libere penetraverit, ostenditque hanc particulam a prostata esse alienam. Renis utriusque, praesertim dextri, substantia tubulata in suppurationem versa; calices molles et liventes.

Ischuria defuncti viri annorum 53 vesicam inspexi una cum aliis facultatis Doctoribus die tertia februarii anni 1821. Vesica erat lacertosa, robusta; prostata molis naturalis, exsucca, quippe dissecta nil humoris dedit. Hanc caute ab urethra, et a vesica separavimus, vidimusque eam nil habere commercii cum tubere in vesicae cavo pone ejus ostium extante. Id tuber erat trilobum, quod ex tenuiori basi membranis vesicae imposita assurgebat interiori membrana, et crassiori protectum; tum in tres lobos dispertiebatur: medium crassiorem; sinistrum minus; et dextrum reliquis duobus tenuiorem. Figuram singuli subrotundam habebant, sic ut ab anteriori parte ad posteriorem paulo compressi viderentur. Quilibet eorum dissectus copiam dedit lymphae turbidae, fluidae, non tenacis, quae ex totidem cellulis, quibus constabant lobi, libere effluebat. Inflammationis nullum vestigium.

---

(1) Schenk. Obs. Med. lib. III. De Ischuria, obs. VI.

Art. V.

Haematuria.

Si sanguis, aut pus in urina est, vel vesicam vel renes exulceratos esse jam dudum monuit Celsus (1). Sed quanam ex parte sanguis prodeat, operosum est discernere. Accidit certe in viris praesertim aetate provectis, ut sanguis sincerus una cum urina mingatur, vel etiam sine urinae connubio. Si vero lotium redditur coloris sanguinei; si aliquid subsedit; si urina prodit fusca, subnigra, accuratiori opus est indagine, ut, quae sit laesionis natura et varietas, intelligatur. Si sanguis sincerus repente et sine dolore confertim mingitur ex venularum ruptione, in renibus illum prodire judicavit Hippocrates. Quem locum sic declaravit Hollerius (2): ex doctrina Galeni urinas exire cruentas interdum ab hepate; aliquando ex imbecillitate renum; nonnunquam rupta vena in renibus, vel vesica; aut erosa vena, aut aperta. A rupta vena sanguinem copiosius purum, et de repente effluere: ex aperta per anastomosin, et laxioribus venarum oris non emitti purum sanguinem, sed urinas tinctas esse sanguine. Demum exeso vase ab ulcere effundi sanguinem non purum, non copiosum, etiamsi ex vesicae vena rupta, aut exesa emittatur.

Si parcior sanguinis copia, obscuri vel nigricantis coloris cum pure, vel sine eodem, cum dolore, et ardore circa pubem vel ante, vel post mictionem redditur, tunc ex vesica laesa, vel ulcerata illum stillare certum est ex Hippocrate (3): " si quis sanguinem, aut grumos mejat, aut urinam guttatim emittat, dolore ad hypogastrium, pectinem, et perinaeum pertinente, " ad vesicam loci laborant. „ Hunc aphorismum ita explanat Hollerius, ut sub vesicae locorum nomine intelligat renes, ureteres, vesicam, et fistulam urinariam; adeoque incerta reddit signa, quae sanguinem manare ex singulari aliqua parte indicare videntur, quamvis aliter judicet Celsus. At si paulatim urina destillat, vel si sanguis per hanc editur, et in eo quaedam cruenta concreta sunt, idque ipsum cum difficultate redditur et circa pubem interiores partes dolent, in eadem vesica vitium est (4).

Mictionis sanguineae, quae fit ex ipsis vasis vesicae, et ejus sphincteris, quando vel nimium hiant, vel nimis a sanguine distenta aperiuntur, raram admodum fieri mentionem a scriptoribus Medicis tradit Fridericus Hoffmannus (5), qui hac de re loquens Caelii Aureliani (6) doctrinam notatu dignam proponit. Is signa partium, ex quibus defluit sanguis, ita distinguit: " Sed

---

(1) De Med. lib. II, cap. 7.
(2) In Aphoris. Hippocr. Comment. sect. IV, 78.
(3) Aphorism. sect. IV, aph. 80.
(4) L. c.
(5) Med. Ration. tom. IV, part. II, sect. I, cap. 6, § 3. De Haemorrhagia ex viis urinariis.
(6) Morb. chronici lib. V, cap. IV, De Tardis vesicae passionibus.

" quoniam non solo ex ambitu vesicae fluor iste fit, sed etiam ex collo, " vel micturalibus visco (viis urethrae) acervatus sanguis excluditur: ali- " quando etiam de renibus,, erit locorum discretio facienda. Nam renibus " patientibus, dolor in clunibus demonstratur. Vesicae autem ambitu patiente " sub umbilico, vel pube tenus apparet dolor, et saepe urinae commixtus " sanguis excluditur. Item collo vesicae patiente circa veretri initium, quod " graeci perinaeon vocant, dolor sentitur. Mictuali autem via patiente ipsam " veretri radicem dolor afficit, attestante sanguinis puritate, cum juge, ac " non intercapedinata emissione. „ Tum pergit his verbis, ut superius dicta magis illustret: " Solent praeterea sicut in podice, vel foeminarum " sinu, aut matricis collo, etiam in vesica haemorrhoides generari, quae " fluorem sanguinis praestant quibusdam intervallis variatum. Quod oportet " apprehendere prudentem, cum non coacervata primo fuerit effusio, sed " augmentis quibusdam promota, interjectis defectibus, ac retento sanguine " dolore circa pubem, siquidem aliquando inflatae ac tumentes haemorrhoi- " des difficultatem vel abstinentiam faciunt mictus, dysuriam graecis voca- " tam, vel ischuriam. „ Multis aliis quoque vesicae vitiis sanguinis fluor supervenit, uti sequentes observationes demonstrabunt.

Haematuria renalis.

Vir annorum ad quinquaginta longis itineribus, aestuque defatigatus in mictum cruentum incidit 1782, quo per totum annum insequentem varie laboravit. Id tamen assecutus est, ut assumpta terra bolari, et gummatibus, interdum urinas albas redderet. Postremis autem tribus hebdomadibus 1783 putum sanguinem mejebat. Tunc macrescens homo facie lurida tussiebat, viscida expuebat, pruriebant inguina, lumbi graviter indolescebant, urina rubescens sinceri sanguinis grumos deponebat sine arenulis, sine muco, quae etiam in alterum diem aliquot cruoris particulas suspensas conservabat. Caeterum in pulsu, et abdomine naturalis mollities erat. In hac morbi periodo peruvianus cortex cum spiritu vitrioli, et rosarum magmate in electuarii formam datus est, quo sumpto urina per horas duodecim praeclusa fuit, aucto simul lumborum dolore, et ingentibus ad mingendum conatibus. Tandem urina sanguinea abundanter prorupit cruoris coacti globulos secum ferens. Post bidui istiusmodi urinae effluvium tenesmus, lumborumque dolores conquieverunt, permanentibus urinis roseis, crebraque ad illas evacuandas sollicitudine. Hic observatio deficit.

Puella duodenaria sanguineae constitutionis a teneris incunabulis cum urina crassa sanguinem reddere consueverat, adjunctis signis renum calculos mentientibus. Quam affectionem, nisi ulcerosa corruptio renes occupasset, sperabat Hoffmannus accedente menstrua purgatione cessaturam fore. Interim lenientia et demulcentia proposuit (1).

---

(1) Frid. Hoffmanni Con[illegible]

Vesicalis.

Caupo, qui ante decem et quatuor annos gonorrhaea infectus fuerat, his novem mensibus anni 1790 urinas sanguineas reddere coepit. Et sanguis quidem modo lotio permixtus, modo in grumos desidebat. Lotium autem semper cum dolore per totam urethram, et ad glandis orificium ferebatur, atque eo expulso pressuram quamdam in ano cum intestini prolapsu, paucique sanguinis excretione percipiebat. Vesica per catheterem explorata, et intestinum rectum contrectanti digito nullum vitium obtulerunt. Immissus cereus molestissimus fuit; febri vacavit; desidere in calida non profuit. Calcis aqua cum lacte epota urinas limpidiores reddidit, dolorem, et tenesmum non abstulit; noctu mictus crebrior fuit, et semper lotioni carnium similis. Jamque lumbi indolescere, corpus emaciari, pulsusque concitatior fieri coeperant, persistentibus tenesmo, ardore, urinisque cruentis, cum expleto anno peregre mortuus est.

Mictum cruentum in viro sexagenario doloribus stipatum tribuebat Hoffmannus ramo venae haemorrhoidalis externae hypogastricae disrupto, qui multas ad vesicae cervicem surculos mittit anatomicorum suffultus testimonio (1). Hujusmodi sanguinis fluxus, si senibus eveniant, curatu difficillimi sunt affirmante Hippocrate: Quae circa vesicam consistunt affectiones operose sanantur in senibus (2).

A polypo.

Vir nomine Radix cum multos ante annos rem cum uxore acturus huic succubuisset, atque rem illam paulo ardentius exercuisset, urinam cum multo sanguine dimisit, posteaque fere semper, prout sese gerebat, sanguine remixtam reddidit. Postremo vesicae et intestini recti tenesmus hominem vexabat; urina nonnisi catheteris ope, vel cerei educebatur, quibus adjungebatur internus quidam sensus, ac si a canibus discerperetur, quemadmodum ipse significabat. Incedebat autem cernuus cruribus divaricatis.

Curatio mercurialibus initio, et diluentibus peracta mictum sanguineum aliquandiu protraxit. Aquarum acido-carbonatarum potus sympthomata auxit, nisi quod sub earum usu fragmentum carneum, veluti polyposum, et deinceps miculas subinde expellebat. Post haec in valetudinarium importatus est, atque ex consideratione signorum modo memoratorum suspicari licebat aliquid fungosi in vesica delitescere; quamobrem 10 octobris anni 1791 perinaeum aperire decrevimus. Hoc dum incidebatur, prostata valde dura, et volumine nimis aucta occurrit, qua pariter fissa immissus in vesicam digitus nil morbidi indicare potuit. Vulnus nec sanguinem, nec urinam de-

(1) Frid. Hoffmanni Consult. et Respons. Med. sect. III, cons. 79.
(2) Aphoris. sect. VI, 6.

dit. Primo autem et altero die lotium satis commode ex vulnere profluebat; per noctem vero diei tertiae gravi tenesmo afflicta vesica frequentius grumos sanguineos exprimebat, a quibus expurgata, solutoque tenesmo, urinam puram dimittebat. Huic malo adjuncta est febris, quae in dies vehementior facta cum siti, ariditate, alvi profluvio, vomitu, singultuque hominem sustulit decimo nono post operationem die.

Reserato abdomine intestina vacua et diaphana; hepar pallidum; renes et ureteres sani conspecti sunt. Vesica urinaria contracta fuit, tunicae ejus validae, superficies interior inflammata, cujus villosam tunicam vascula copiosa livescentia perreptabant. In basi autem vesicae, ubi papilla vesicalis est, surgebat corpus molliusculum vario modo in apice praecipue sulcatum, haud male tonsillam referens. Surgebat autem a vesicae basi radice tenuiori sed solida; deinde ampliatum, et figuram orbicularem assumens ad dimidii pollicis altitudinem extollebatur, et quia erectum stare non poterat, quoquo versus inflectebatur. Paulo superius in ipso vesicae corpore duo stigmata orbiculata, rubentia conspiciebantur, quae a me, et a cl. Masini M. D. Genuensi pro vestigiis habita sunt caruncularum, aut polypiformium fragmentorum saepius pridem evacuatorum. Hae polyposae excrescentiae non secus ac illae narium sanguinem fundebant, qui coactus urinae viam intercludebat. Caeterum extantes rugae, et massae polyposae subsidentia indicabant sanguine exinanitum fuisse polypum.

In Actis Helveticis relatum est ab haemorrhoidibus natum vesicae polypum quatuor calculos contegisse (1). Non absonum est existimare, quod turgentibus genitalibus aut haemorrhoidibus papilla vesicalis sese erigat, et multo sanguine irroretur; quae erectio si frequentius accidat, necesse erit, ut papilla sanguineis vasis referta in molliusculo parenchymate excrescat in polypum vel in fungum. Caveant igitur sibi mariti, ne supini cubant, cum debitum uxori reddere satagunt: caveant uxores ne incubent; nam infortunium quod viros tangit, etiam mulieres praestolatur; uterus succutitur, epithelium abraditur, os uteri cruentatur, et pejora sequuntur mala; neque, quod per conjugium quaeritur, sobolis procreatio obtinetur, dum vires omnes pravis delectamentis conficiuntur.

A nimio coitu.

Sarcinator procerus, adusti temperamenti ad 50 annum pertingens, cum immodice et impudice cum succuba venusta et torosa aliquandiu egisset, toto anno cum urina sanguinem minxit, modo sincerum et fluidum, modo in grumos coactum, interdum urinae fuscae, sed quovis modo vitiatae fuissent, semper doloris expertes prodibant. Hic morbus variis modis aggressus est, nempe pharmacis ex iis, quae glutinant, quae adstringunt, quae nu-

(1) Tom. III, p. 1.

triunt. Hydrargirosis plena, glacies pubi, perinaeo admota, et in anum immissa non profuit. Fistula elastica in vesicam demissa, et per eam injecta fluida a vesica summe sensili, et irritabili rejiciebantur. Demum praetermissis pharmacis emaciato corpore mictus cruentus cohibitus est, solaque nutritione refectis aliquantum viribus tres annos sine gravi molestia exegit. Postremo febris typhoides intra septem dies hominem confecit 29 novembris anno 1810.

Cadaver extenuatum fuit; vesica amplissima, ejus tunicae crassae, urinam purulentam continentes. In vesicae basi qua recto intestino incumbit satis conspicuum rete venarum rubescentium et ampliatarum conspiciebatur, quod mictus cruenti, et diuturni fontem fuisse arbitrati sumus. Ren dexter flacidus arenulis onustus: sinister in marsupium purulentum mutatus saniem continebat. Hinc ejus parenchyma absumptum erat, calices ampli, distincti, ureter in saccum membraneum dilatatus, viscera omnia fracida.

A fungo.

Oppidanus vir sexagesimum annum attingens, postquam acriter sibi dorsum fricaverat, sanguinem minxit, et mejere perrexit quoties humida, et australis erat tempestas. Praecedit vehemens calor in lumborum regione, ad os sacrum, ad femora cum formicatione; dein urinae fuscae ad instar incocti caffè apparent, in quibus aliquot sanguinis grumi subsident; et quoties alvum deponere cogit necessitas aut fluidus sanguis, aut concretus deponitur sine muci permixtione. Interdum miculae ex *fibrina* emittebantur tanquam obturamenta vasorum, e quibus antea sanguis proruperat. Huic fluxui minus obnoxius erat vir in loco aprico, rusticano, quam in aëre oppidano. Denuo cum tempestate agitaretur coelum ejus dorsum incaluit, femora formicabant, urina cruenta reddita est, et post vehementem tenesmum eaedem urinae cum grumis vesicae iter obturantibus nec sine difficultate prodierunt; tunc enim de adhibendo cathetere cogitatum fuit; sed potionibus largius ingestis, et fomentis circa inguina iter apertum fuit. Post haec imperata sunt sessio in frigida, clysteres ex opio, lactis serum cum alumine, quae in speciem utilia visa sunt, quia molestissimus tenesmus quovis horae quadrante excrucians extinctus fuit; sed dolor ad cervicem vesicae, et ardor urethrae angebant. Reliqua quae in usum vocata prius fuerunt, veluti hirudines, fungus melitensis, aquae acidulae, gummi, cortex peruvianus cum therebintina lota frustranea fuerunt. Denique urinae graveolenti accessit stomachi et virium languor, et sopor, quem pertimescebat semper ob ingruentem haematuriam. Dolor autem ad pubem, ad testem dextrum, ardor meatus urinarii continuo vexabant, donec exsiccato corpore per sex dies sopore pressus obiit anno 1802.

Defuncti vesicam primo inspeximus, quae haud multo ampliata ostendit excrescentiam fungosam, inaequalem, quinque latos digitos fere in orbem

porrectam, quae a papilla vesicali assurgebat lata basi, ad transversi pollicis distantiam a cervice vesicae, et a prostata, totam superficiem ulceratam exhibens. Reliqua vesicae pars, quae recto intestino instrata est, tuberculis duris, albis, quos schyrros vocare posses, scatebat. Vesica tota intus livida ad gangraenam vergens; ureter dexter crassior; in ejus substantia, et in pelvi renis dextri dilatata, et in cellulari has partes connectente multi exigui abscessus reperti sunt. Illud etiam nosse oportet ad illustrandam hanc observationem, hujus aegri fratrem natu majorem ab ingenti testis schyrro oppressum e vita cessisse.

Non aliam morbi causam fuisse arbitror, quam fungus, qui civem Mediolanensem sustulit, defuncti enim inspectio non fuit concessa. Is erat homo procerior, habitus sicci, amplexibus amatoriis deditissimus, aestate anni 1807 constituit validissimis Aponi thermis, lutisque uti, et maximum, quem potuit, caloris gradum sustinere. Nec satis; organa etiam genitalia nefanda arte compulit ad veneris officium exequendum. Ab eo tempore urinam primo paucam, et crebro mittere, dein humor gonorrheae similis ex urethra stillare coepit, demum urinae mucosae, et cruentae effluere. Medicus, quem primum adhibuit, non dubitavit asserere, singula haec sympthomata a venerea labe esse profecta; proindeque hydrargirosim, pthisanas, balnea, injectiones, aliaque usurpari solita adversus luem inveteratam cumulate praecepit. Ex his omnibus si non detrimentum, utilitatis certe nihil coepit; nam crebra mejendi cupiditas, et incitatior, si forte parcius vinum hausisset; tum lotium nunc crassum, nunc fuscum, modo cruentum, nonnunquam nigris miculis interspersum continenter torquebant; jamque inter haec signa tumor duriusculus supra pubem ex vesica assurgens percipiebatur.

Hydrargiro non juvante, in subsidium vocata sunt gummi arabicum, lac, balneum frigidum, decoctum virgae aureae, aqua calcis, sedlicensis etc. Verum compertum est salubrius fuisse aegro a singulis abstinere remediis, ut aliqua quies succederet. Sed quod magis cruciabat aegrum, postquam tumor in hypogastrio apparuit, erat insolitus et assiduus ad mingendum conatus, frequentior in situ erecto, quam supino, dolorque urethrae apicem percellens. Haec mala augebantur ab haemorrhoidibus quam maxime dolentibus, neque hirudinibus, neque incisione capitulorum sublevandis. Quare doloribus fractus, alvo fusa vitae finem habuit 7 januarii anno 1810.

A schyrro.

Gallus annos natus amplius quadraginta, postquam ab intermittente febri convaluerat, urinas sanguinolentas reddere incoepit nullis auxiliis compescendas, imo post intempestivum mercurii usum deteriores factas. Dum in valetudinarium nostrum invectus fuit, haec signa praebuit: corpus extenuatum colore ex fusco luteo erat; pulsus incertus febrim tamen denotans, modo durior et celer, modo mollior tardiorque; frequens mejendi desiderium per-

saepe cum nixu; urina interdum ex mero sanguine, interdum permixta, alias sincera. Sanguis vero nunquam observatus est integer et floridus, sed vel in grumos coactus in matula subsidebat; vel lotium nigrescente colore intime inficiebatur. Assiduus erat in lumborum regione dolor, sitis, nausea, anorexia. Postremo accedente singultu, faucium ariditate, oculorum subsidentia, interiit 26 maji anno 1801.

Abdomine diducto, intestina flaccida, hepar solito durius, in primis dexter lobus deprehensa sunt. Ren ejusdem lateris sanus; sinister vero duplo naturali gracilior carnem induratam, et pelvim dilatatam habebat. Ab hac pelvi renali ad vesicam usque cellularis textus, qui circa renem, et ureterem serpit, solidior et subflavus apparuit. Eam duritiem vesica quoque contraxerat praesertim a laeva; et ad reliquam cellularem propagata cernebatur, quae extus vesicae, et intestino recto circumponitur, tum etiam cellulari telae, quae in pelvim descendit, et vasa majora complectitur. Vesica ipsa ordinariae magnitudinis intus fere in majores cellulas distributa erat, sepimentis interrupta ab interiori membrana nimis expansa productis. Haec ad spongiosam simul et friabilem naturam vergens plurimis osculis rubris erat notata, ex quibus pedetentim sanguis in vesicam effundebatur. Ulcerosi, et purulenti nihil fuit.

Ab ulcere.

Mulier ex vico Pioltello primum foetum edidit mense januario anni 1803, deinde menstrua constanter emanserunt; mense tamen februario anni 1807 secundo enixa fuit. Lochia post primum partum modice fluentia urinae difficultatem cum ardore, et stillicidio pepererunt. Mox urinae ferebantur mucosae et turbidae, dein sanguineae: quae sympthomata post alterum partum ingravescentia, et persistente menstruorum suppressione, nullo medicamentorum genere compesci potuerunt. Et quamvis multorum mensium intervallo bis ex utero manaverit sanguis concretus, nigricans, fere corruptus, tamen vesicae vitia non sustulit; nam urinae rufae crebro, cum conatu, et dolore emittebantur, dies, noctesque exagitatae transigebantur. Vesica a pluribus artis Magistris cathetere investigata nihil concreti obtulit. Denique mulier emaciata, languentibus viribus, lotio jam invite fluente vitam repente amisit anno 1808.

Corpus vesicae contractum fuit, ejusque tunicae induratae: intus totam superficiem exhibuit ulcerosam, punctis sanguineis notatam, mucore fluido, fere purulento oblinitam. Sanguis coactus in uteri cavo, et in ovario dextero repertus est.

Agricolae non uno modo contra Sanitatis leges delinquunt, et quamvis lochia visa sint periodum servasse; tamen conjectari licet sanguinem ab utero refluum in vesicae vasa irruisse, et absorbentium venarum ostiola aperuisse, unde sex ferme annos mictus cruentus mulierem tenuit.

Remittens a calculo.

Sexagenarius vir staturae altae, constitutionis robustae, in victus genere, et exercitationibus moderatus, anno 1808 post iter praecipiti cursu susceptum urinam minxit sanguineam, quam deinde, nulla intercedente corporis agitatione, frequentius reddidit vel mero sanguine plenam, vel valde fuscam et crassam, pungenti dolore supra pubem stipatam. Acidulas Recoarii potavit aquas, quae nec dolorem, nec mictum cruentum levarunt, imo ob longioris itineris laborem sanguis copiosior urinae se miscuit, pectinisque dolor ad vesicae corpus translatus funiculum quemdam ab umbilico ad pubem protensum simulabat. Tunc perinaeo admoventur hirudines; exhibetur fungus melitensis, et aethiops suberinus sine levamine. A nimio cibo, et a vino se abstinere decernit aeger, totum se quieti tradit; sanguis sistitur; sed cum urina efferuntur subinde atri sanguinis grumi variae molis, interdum pelliculae, quae ab extremis vasorum osculis abscessisse videntur. Hoc modo trahit ad novembrem anni 1809, in quo sanguis prorsus stillare destitit; urinae tamen excernebantur nunc saniei similes, nunc crassae, mucosae, fuscae cum torminibus ad perinaeum, ad inguen, ad vesicae cervicem non sine gradiendi difficultate.

Annus 1810 eadem exhibet sympthomata. Praeterea haemorrhoides fluere incipientes, haustus ceriae, et aquarum S. Pellegrini agri Bergomatis vesicam magis irritant; urinas fuscas, cruentas cient; dolorem ad perinaeum compellunt, sessionem impediunt; globuli cujusdam in vesica volutantis motus persentitur, qui jugiter in decliviorem partem, vel ad laevam, vel ad dexteram se vertit; transfodiens dolor interdiu perinaeum attollit, noctu per quietem subsidet. Hisce signis perseverantibus mense julio ejusdem anni cathetere curvo vesica exploratur; corpus heterogeneum non occurrit; catheter non sine molestia demissus urinam sanguinolentam educit; et per diem guttatim sanguis ex urethra stillat. Digitus per anum recognoscit tumorem a prostata alienum, et molliorem, sinistrorsum porrectum, transituris faecibus obsistentem. Una, alterave post hora exploratam vesicam fixus dolor invadit, et ephimera febris, et corpus exercendi impedimentum. Haec sublevantur enemate, fomento, potu, quiete.

Declinante eodem anno, urinisque ad naturae normam fluentibus, mejendi desiderium, et cruciatus augentur; in infimo hypogastrio duriusculus tumor succrescit. In sequenti anno herpes humidus, quo antea leviter laboraverat, caput, vultum, brachia occupat, mitiora fiunt vesicae tormina, licet frequens sit micturitio. Ita leniendo, alvum ducendo, balneando, consopiendo ad annum 1818 ventûm est, in quo iterum sibi admoveri catheterem passus est, grandiorique invento calculo signa certiora facta sunt, quae hucusque rationalia erant; nam urina, quoties stando excernebatur, arenulas varii coloris trahebat, colisque vel dolore, vel pruritu ad urethrae extremum vellicabatur. Interea herpes superiores partes deserens ad artus inferiores descendit,

ulcuscula, et crustas excitando, intolerabilem pruritum subinde movendo, vesicae affectiones mitigando, urinas sine sanguine, sine fistulae ope promovendo, cibi desiderio et nutritione non deficiente ad annum hunc 1826 perductus est aeger.

Mictus cruentus ab violenta excursione excitatus miculas, aut concrementa sanguinis in vesica delitescentia reliquit, quae prima calculi rudimenta posuisse videntur, cui phosphatum, et uria ordinatim apposita incrementum dederunt.

Ab arenulis.

Negotiator ferramentorum quinquagenarius, obaesus, nullo antea morbo, qui a contagio, aut viarum urinae vitio ortum duceret, detentus, calendis novembris 1787 totum corpus sibi exaestuare sensit, quam ob causam tartari cremor abunde sumendus praescriptus fuit. Post biduum urinae cursus supprimitur; bis eodem die urina fere aquosa educitur cathetere; nec mora hirudines haemorrhoidum venis infiguntur. Postquam sanguis per podicem evocatus fuit, dolenti quodam pondere gravatum se asseruit aeger in lumborum regione, cum femoris dextri stupiditate, quo malo per duos menses agitatus fuit. Hoc phoenomenon nos docuit per hirudines sanguinem a renalibus vasis, et simul arenulas, ut modo significabimus, ad vesicam derivatas fuisse, quae cum urina excretae sunt. Cum urinae difficultas denuo urgeret, cathetere ordinario evocari non potuit; sed sub vesperam diei sequentis multa et sanguinolenta crassiori cathetere educta fuit. Hinc bis vena secta est, imperatumque balneum, et fomentum. Hucusque febris non accesserat, modicusque dolor permisit fistulam in vesica per noctem subsistere. Nox pacata fuit, alvus soluta est, lotium aquosum arenulas secum traxit, mox crassius redditum et cruentum arenas denuo elicuit. Urinae postea ad naturalem statum redierunt solo muco permixtae usque ad decembris initium, cum obstructo itinere ob grumos in vesicam delapsos, urgentibus conatibus cathetere solito lotium evocari non potuit; alius catheter crebris amplisque fenestris instructus huc, illucque conversus vesicam subiit, et per eum injecta saepius aqua egelida urina prosiluit cruenta, ardorem non modicum in urethra relinquens. His aliisque adminiculis, et pthisanis opitulantibus intra tres menses sanitas restituta est.

Ab arthritide.

Spectabilis vir e stirpe podagrosa publicis stationum viis instaurandis praefectus, ob frequentes cursiones defatigatus nervorum distentione, capitis gravitate, et haematuria capitur. Ad sedandas nervorum turbas cinchonae cortex cum radice valerianae delectus est, qui fere nihil praestitit, quia vesicae affectiones magis urgebant; etenim urina sine ardore, et tenesmo elici non poterat, praecipue dum alvus resolvebatur; saepius etiam continuus erat

cruciatus sive corporis positionem inverteret, sive frequentius mingeret aut tardius; atque dum ultimae lotii guttae erant expellendae, atrocior dolor cum spasmo et tremore vesicae cervicem invadebat. Non raro sanguis ex haemorrhoidibus stillabat, et arenulas urina subducebat. Nunc vivus dolor ossis sacri intestinum percellebat, et ad solvendam alvum incitabat, quae nil nisi aliquid mucosi vel viscidi deponebat, satis tamen illud erat dolori sublevando. Nunc suppressa muci expulsione irritamentum ab intestino ad vesicae cervicem primo, tum per urethram ad glandem propagatum ingratam vellicationem, et tenesmum ciebat.

Indagata urinae via catheteris ope, nihil praeter spasticam cervicis contractionem deprehensum est. Primae post eductum catheterem urinae limpidae fuerunt, posteriores sanguinolentae, grumis commixtae, quae id solatii attulerunt, ut biduo a tenesmo, et a prurigine immunis esset. Quapropter venae haemorrhoidum apertae sunt, cinchonae cortex cum lacte denuo propinatus; aquae ferrariae, et Nucerienses administratae sunt; et clysteres ex frigida injecti; demum in balineo demittitur aeger. Favente aestivo tempore in pago Raetorum Mauritio aquas acido-ferrarias potavit, a quibus vix molestiam habuit. Urina ibi percolata lucentem terram deposuit; quod si conferamus cum arenulis antea ejectis facile existimabimus, et terram et sanguinem ob renum laxitatem defluxisse.

Post reditum ex Raetia in consilium vocati artis Magistri statuerunt, humorem arthriticum, qui pridem per brachia, crura, intestina vagabatur, vesicae cervicem occupasse, rete venosum in varices dilatasse, et pro causa dysuriae, mictus cruenti, et arenularum esse agnoscendum, eoque magis quod nec per urethrae, et vesicae, nec per intestini crassi vias quidquam morbidi deprehendi potuit. Denuo igitur a consulentibus proposita sunt balnea, lac, aquae ferrugineae; aconiti napelli extractum; gummi resina guajaci; enemata ex resina therebinti; fricationes artuum cum vino sinapino; malagma ex sinapi ad os sacrum; denique cauterium brachio pridem dolenti inurendum. Si vero convulsivi motus vehementius agitassent hominem, et urinae albae prodirent, opium, moschum, liquorem Hoffmanni utiliter adhibendum fore confidebant. Et sane hisce cautionibus multum praestitum est, malumque lenitum.

Anno subsequenti, qui fuit morbi quartus, acuta febris cum erysipelate non sine periculo hominem adorta est, rubore enim totum corpus pervadente, ab urinae molestiis liber fuit. At decedente post inflammationem epidermide dysuria iterum praesto fuit. Rursus accedente podagra quievit, eaque resoluta, ardentius vexans clysteribus ex opio consopiebatur. Ita adversa plerumque valetudine utens ab anno 1790 usque ad annum 1801 moerore, et morbo confectus defunctus est Patavii.

Haematuria nigra.

Sub finem januarii anno 1816 vir oppidanus sexagenario major febri cum inflammatione et ischuria prehenditur, postquam ob Caesaris adventum mercatoriis tripudiis fuit oblectatus. Quare praeter alia ad ardorem compescendum catheter ei argenteus in vesicam demissus est; modo etiam fistula ex gummi ad urinam per dies aliquot commodius educendam, quae primum sanguinolenta, deinde sana detracta fuit. Vigesima die februarii permanente in vesica cathetere per totam noctem urinae libere efferebantur. Primo diluculo diffibulato cathetere, nonnisi sanguinis grumi proruperunt. Postridie adhibito variae magnitudinis et formae cathetere paucum sanguinis dumtaxat eductum est. Vespere anxius erat homo, indolebat parum hypogastrium, vesica in pyramidale corpus distenta erat. Desiderium ad protrudendum lotium deficiebat, ideoque tranquillus aeger lecto sese continebat. Denuo catheter extremo ore apertus, et stilo lenticulari instructus in vesicam promotus, et per eum aqua inducta est, tum admoto ore famulus nil praeter atrum sanguinem grumosum exsuxit: lotii nec guttula, nec foetidi quidquam apparuit. Conjectura fuit a renum vitio urinam non secerni; et cum inflammationis notae nondum penitus discussae viderentur, per noctem quater vena pertusa fuit, et sanguis crustosus apparuit; aeger per intervalla conquievit. Mane alvo ducta, balneum tentatum est turgente admodum hypogastrio. Sub vesperam pulsus exiguus, celer fuit, anxietas, vomituritio, immanis vesicae distentio. Vesica iterum explorata fuit cathetere multis amplisque fenestris pervio, qui sine obstaculo immissus nec urinam nec sanguinem hausit, sed corruptae substantiae graveolentiam.

Cum pro certo haberetur vesicam sanguine coacto esse repletam, perinaeum cum vesica ampla plaga incisum fuit, ut quidquid intus concretum esset, educeretur. Eductus autem fuit sanguis nigerrimus, concretus, male olens sine lotio. Nox agitata sine urina, et pauci sanguinis effluxu processit; corpus vesicae durum, pyramidale, per epicolicam dexteram ad hepar usque protensum. Mox delirium, et prostratio incessit, postremo mors.

Cadaver multa vitia ostendit insanabilia. Renes ambo ea mollitudine reperti sunt, ut inter digitos deliquescerent: ureteres integri: cystis haud parva inter vesicam et coecum intestinum subnata undique clausa, crasso sero repleta: vesica ampla tunicis crassis ichore sanguineo imbutis, a gangraena foedata, et putrefacto sanguine semiplena deprehensa sunt.

Anno 1813 collega quondam noster annorum septem supra septuaginta haemorrhoidibus affectus, in arte exercenda valde lassatus, summo mane expergefactus coepit urinas sanguinolentas emittere, et per dies quindecim iisdem laboribus constanter incubuit, donec purus putus sanguis exiret, lectoque se committere debuerit. Medicus ex probatioribus accersitus jussit illico venam bis secare; sed a detracto sanguine nullum solatium fuit; nam diu, noctuque sanguis in vesicae cavo effundebatur, atque sive fluidus, sive

concretus cum gravi tenesmo, et impetu expellebatur nigerrimus sine lotio, et intra nychthemerum duas matulas sanguine atro complebat.

Quarta morbi die febris cum rigore accessit; quinto febris validior fuit; tertiumque sanguis e vena missus plus lymphae quam cruoris habuit. Sexto die, licet febris remissior, vires fractae erant; sanguis niger ex urethra, pulsus languidus, vultus expallescens. Septimo per horas sex valde riguit, menteque hebetatus est, et primo diluculo diei sequentis expiravit. Aquae acido sulphurico saturatae, aqua styptica clementina, alumen crudum, aliaque per vices usurpata nil boni attulerunt.

Erat is vir justa statura, capillitio nigro, carnosus, valetudine firma: contra Patritius quidam longe procerior, ex lymphatico obaesus, et ob id ad quamvis actionem tardus in idem malum incidit aetate ad sexagesimum vergente. Homo valde agitatus erat, irrequietus; fluctus quodammodo atri sanguinis ex urethra prodibant, quoties mejendi cupiditas instabat; instabat autem frequenter deficiente urina. Catheter in vesicam propulsus sive ad eam evacuandam, sive ad micturitionem compescendam, intolerabilis fuit; glacies non profuit; mors sexto die eum rapuit. Horum corpora, quod taedet maxime, inspectare neglectum est.

Quamvis singulae haematuriae species non sint sine periculo considerandae; tamen haematuria nigra omnium periculosissima est censenda, quia ejus indoles, si copiam, et colorem sanguinis spectemus, parum, vel nihil differre videtur a morbo nigro ventriculi, et intestinorum. Quemadmodum enim in his ex apertis venarum osculis sanguis corruptus affatim erumpit; ita pariter ex hiantibus, aut erosis venarum meatibus, quae copiose in renibus et vesica distribuuntur, sanguis putus, nigricans, plus minusve coactus in vesicae cavo colligitur, ab eaque non sine dolore, anxietate, tenesmo expellitur. Non absimilis forsitan est casus Hildani, qui morte repentina sublatum fuisse scribit Patritium Lausannensem, qui per tres integras hebdomadas mictum sanguineum studiose celaverat (1). Alteram mictus cruenti lethalis historiam communicat Joh. Rudolphus Zwingerus (2). Vir annorum quinquaginta coelebs jejunio, et tristitiae indulgens circa solstitium anni 1731 coepit cum ardore et difficultate micturire, urinis parcioribus magis, minusve cruentis prodeuntibus. Hic in sinistro latere nonnunquam doloris vestigium percipiebat. Singula praesidia, quae in usum vocata fuerunt, spem frustrabant. Nam dysuria et tenesmo continuantibus, et thrombis sanguineis urethram obturantibus, hypogastrio tenso, intolerabili anxietate oppressus post quatuor circiter menses animam Deo reddidit.

Vesicae corpus totum undequaque tumidum erat, et callosum, et supra pubem assurgens; hinc modica scilicet vix nucem capiens erat cavitas interior, lateribus crassis admodum, et callosis, superficie interiori non ulcerosa.

---

(1) Curat. et Obs. chir. cent. VI, obs. 45.
(2) Acta Helvet. vol. I, obs. Mictus cruenti.

Gravissimum morbum esse, et periculi plenum mictum cruentum nemo inficiabitur, qui ad historias a nobis prolatas animum adverterit. Neque fere haemorrhoides quidquam conferunt ad mali initia avertenda; quin imo ab his sanguis ad vesicam saepe refluit, vel propellitur. Mictus sanguineus proprias plerumque causas agnoscit, inter quas sunt eae, quae vel sanguinem incitant, vel venas dilatant, vel in varices contorquent. Sic ab assumpto spiritu therebintinae ad uncias duas secutum fuisse mictum cruentum testatur Hildanus (1). Sanguinis mictum, et renum suppurationem accidisse ab alliorum esu; item a scabie retropulsa, et ab ulceribus tibiae sanatis observat Schenkius (2). Ubi calculus praesens est, nonnisi post exercitationem, aut vecturam sanguis erumpit. E renibus promanare sanguinem conjicitur, ubi in superiori lumborum regione dolor aliquis obtusus, aut pungens percellit; aut ubi perfecte sanguis cum urina commixtus est, tunc etiam urinae secretio immutatur. Dum e vesica procedit sanguis, spasmo plerumque, dolore, et torminibus, anxietate, et syncope, et perfrictione conjunctus est. Venae autem varicosae, et turgentes circa vesicae collum, et sanguinis grumi, qui ab iis exprimuntur, urinam intercipere possunt. Praeter haec consideranda veniunt alia incitamenta ad fundendum sanguinem, uti victus lautior, vita deses, exercitatio violentior, cursus, compotatio vinorum, onanismus, coitus, acriorum edulia, cantharides, ulcera, et fungi vesicae. Hic non agimus de critico sanguinis mictu, nec de eo, qui per intervalla movetur, dum menstrua, vel haemorrohoides supprimuntur, aut dum inclinante vere fervet sanguis in homine vegeto et viridi. Ita haematuriam ab hepatis plethora in juvenibus exortam venae sectione curatam fuisse scriptum reliquit Schenkius (3).

Dum curationem auspicamur, ad causas respiciendum esse monent practici. Igitur si ab ulcere procedit sanguis, injiciantur in vesicam gummosa, anodyna; in anum enemata demulcentia, fomenta abdomini superponantur. Cum sanguis in partibus inferioribus congestus est, praeter venae sectionem hirudines perinaeo, et cataplasmata mollia apponenda sunt, neque omittenda, quae alvum laxant. At si spasmus accedat, nec sanguinis missioni locus sit, confugiendum est ad praeparata ex opio, ad aetherem Hoffmanni, vitrioli, ad aquas nervis faventes. Quod si bilis exundet, aut saburra, laudantur emetica, et laxantia dulcia. Eadem fere, usurpanda sunt, si traumatica sit haematuria, et devicta phlogosis periodo, praecipue si sanguis grumosus sit, multum confert pthisana ex floribus arnicae montanae. Si forte incidat, ut haematuria typhoidi febri comes sit, praesidia petantur ab acido sulphurico, ab elyxire Halleri, a succis recentibus, vel condensatis mororum, rubi idaei, malorum medicorum, cydoniorum, hesperidum. Evenit etiam ut sanguinis

(1) L. c. cent. V, obs. 52.
(2) Obs. Med. lib. III, obs. 6. De Sang. mictus.
(3) L. c. obs. 3.

grumi non excidant, sed vel collum vesicae claudant, vel vesicam ipsam compleant. Coactus sanguis in collo vesicae haerens removendus est fistula argentea, cujus extremum os apertum recipiat argenteum stilum, qui in globosum apicem desinat, ita ut fistulae os claudat. Cum vero stilus aequo longior sit, immissa in vesicam fistula, is globoso apice introrsum compellitur, ut dimotis grumis urina per fistulam effluat. Quod si sanguis absque lotio in vesica concrescat, tunc eidem argenteae crassiori adaptatur antlia Cellai Florentini, qua facta vacuitate sanguis absorbetur, et foras evocatur.

Generatim si ex ubertate profluit sanguis, is partitis vicibus mittendus est, et epithemata ex aceto, sedo, sempervivis, solanis, lumbis apponenda sunt. Imbecillitas vero vasorum sive renum, sive vesicae requirit ea, quae nutriunt, et exsiccant, uti carnes volatilium, lac, oryza, panis bis coctus, aqua kalybeata. Si forte suspicio sit solutam esse unitatem per ulcuscula, aut erosionem, praeter ea, quae renutriunt, et succos utiliores gignunt, prodesse possunt gelatinae, cremores oryzae, hordei, juscula e carnibus expressa, amylum, ova sorbilia, aqua cum cinnamomo, gummi arabicum, tragacanthi, millefolium, thus, mastiches; quibus, si a cantharidibus profluit sanguis, utiliter adjungitur camphora cum lactibus amygdalarum dulcium, vel seminum frigidorum. Elapso saeculo in usum venere radices ipecacuanhae, et ratanhiae triandrae tanquam adstringendi, et sistendi vi pollentes. Aeger cubare jubetur in frigido conclavi, in alterutrum latus se vertere, nec esse supinus.

CAPUT XX.

Callus deficiens.

In priori parte Exercitationum Pathologicarum aliqua verba feci de Articulatione analoga, quae deficientis calli effectus est. Hujusmodi defectus jam observatus fuit a Bernardino Genga, qui binos casus protulit in explicatione Aphorismorum Hippocratis (1). Praeprimis autem animadvertit juxta ejusdem Coi senis sententiam ossa fracta alia citius, alia serius agglutinari, videlicet secundum aetatem, et temporis varietatem, et alimentorum diversitatem, et variam deligandi formam. Nihilominus observatae sunt fracturarum species, quae vel tardissime, vel omnino non consolidatae fuerunt, quamquam nullum obstaculum adfuisset, quod coalitum prohibere posset. Id duobus exemplis confirmat. Prius est mulieris annorum 45 boni habitus, quae ob casum tibiae dexterae fracturam passa fuerat, cuique adhibitis generalibus praesidiis, uti moris est, nullum sympthoma supervenerat, quod sanationem vel impedire, vel retardare posset; tamen ossis agglutinatio nonnisi post menses sex sequuta est.

(1) In Hipp. Aphoris. ad Chirurgiam spectantes Commentaria, sect. VI, aph. 45. Romae, 1694.

Nobilis vir fracturam humeri sinistri nondum agglutinatam gerebat mensibus quindecim post infortunium, licet a peritis artis Magistris curatus fuisset. Hic vir anno 1693 Bernardino Gengae fidenter se commisit, qui incassum plurima operatus est; quare (sic absolvit historiam) ad sustinendum brachium solis linteis, ferulis, et fasciis fractura involuta fuit, et aeger omnimoda salutis spe dimissa discessit.

Generatim ubi ossis fracti extremitates in situ naturali repositae, et idoneo apparatu conservatae sunt, absque difficultate plerumque conferruminantur. Si vero os fractum neque reponi, neque deligari potest ita, ut sejunctae partes immobiles serventur; si homo nimium agitetur; si partes ossi circumpositae adeo vexatae sint, ut neque reductio fieri, nec fasciae injici possint; si fractura valde obliqua, vel os comminutum fuerit, tunc consolidatio tardior, difficiliorque, vel impossibilis evadit.

Henricus Callisen diligentius in calli formationem inquirens observavit (1), quod succi ad callum generandum suppeditantur ab utroque extremo fracto, miscenturque, et quod vasa substantiae organicae ab utroque ossis extremo producuntur; scilicet in osse ante dies 24 fracta filamenta a quavis extremitate ossea progredi tam nudis oculis, quam microscopio conspexit. Quod multo accuratius vidit in osse ob callum jam conglutinato, quod abluta prius terra pellucidum factum colorato fluido repletum fuit. Praeter aegroti malum habitum, et perversam chirurgi tractationem calli defectus oriri potest ab aliquo obstaculo, quod liquida ab utroque capite profusa confluere prohibeat. Id duplici modo potest accidere. Primum capita ossis fracti ab lateribus sibi apposita coire possunt, minime vero ea, quae sibi non innituntur. Hic supponit Auctor non esse extremitatum distantiam, quae difficilem reddat calli generationem; sed partium mollium circumdantium constrictionem, qua lympha plastica, quae ex osse fracto effunditur, alio derivatur, ne ex utraque parte confluat, quod vitium denotat, ossa in suum locum reposita non esse, quia membrum opportune extensum non fuit. Modus alter, qui calli formationi se opponit, esse censetur, dum partes molliores capitibus ossis fracti interponuntur. Ita in femoris fractura non coalita visa est crassior membrana extrema ossis fracti separare; et similem membranam pluries observasse dicitur Gulielmus Hunterus.

Ex praemissis observationibus deducitur, quantitatem lymphae plasticae in statu sano esse consentaneam distantiae extremorum ossis fracti. Etenim si fractura rite commissa est, et continetur, donec solidescat, haud multae calli materiae opus est. Paulo vehementius deligandum esse membrum, ut calli luxuries avertatur, et ut compressio validior sit, quamvis haec non semper utilis, imo quandoque noxia esse possit: firmitatem gelatinae, vel lymphae plasticae ab utroque ossis capite effusae tunc demum accedere, si humores confluunt, et vasa per mixtam hanc massam extenduntur, quod

(1) Collectanea Soc. Medicae Havniensis, vol. II, art. 22.

Halleri experimentis consonum est: nempe impedimenta, quae humoris ossei confluentem avertunt, calli generationi, et consolidationi sese opponere.

Nobis autem constitit materiam calli interdum penitus deficere, sive ea a voracitate bibulorum auferatur, sive ab alia causa; tunc enim ossis rupti extrema retunduntur, et expoliuntur. Carolus Zino annorum 43 Provinciae Varisiorum in Nosocomium exceptus est die 29 novembris anni 1820, qui diutina intermittente febri debilitatus, decem postquam convaluerat diebus, femoris dexteri fracturam passus est. Membrum semel, et iterum fasciis et ferulis involutum fuit, adhuc tamen mobilis erat fractura die 23 martii 1821. Postridie tertio deligatum est, hominique medebatur succis ex herbis, quae antiscorbutica vocantur. Die 22 augusti resoluta vinctura callus mollis, et indolescens repertus est. Iterata itaque sunt, quae membrum tuto continerent, et quae corpus a scorbuto servare valerent. Die 15 novembris 1821 callus non erat firmus; femur si tractaretur, indolescebat; atque extrorsum declinabat ob musculorum abducentium actionem, illudque extensum non leviter affligebat. Rursum itaque membrum deligatum est, radixque rubiae tinctorum cum phosphato calcis porrecta est usque ad medium januarium 1822. Tunc febris typhoides, et erysipelas invasit, et continuo lachanizantem hominem leto dedit die 4 martii 1822.

Postridie inciso artu, detractis non sine diligentia integumentis et musculis, phosphatum calcis nullibi devium fuit, neque inter laminulas cellulares, et musculorum fibras dispersum videre licuit; nec fila illa fere tendinea, quae ex compacta cellulosa formantur, et quae nonnunquam ita apte ossium disjunctorum capita connectunt, conspecta sunt. Ossis fracti superius caput versus femur sinistrum inclinatum erat; alterum caput ad externum latus capitis superioris perductum fuit. Hoc conicum erat apice retuso, atque tuberculo osseo infixum, quod ab exteriori latere superioris portionis eminebat. Quoniam vero superficies sic junctorum ossium extra ordinem adeo ampla non erat; ita accidit, ut leviori vi disjungerentur. Capitis superioris extremitas convergebat pariter in conum, cujus cavea medullaris nondum occlusa erat.

Quadragenarius vir die 7 novembris 1823 cum medii femoris fractura susceptus est in valetudinario, ibique injectis de more fasciis compositus est. Die 21 januarii 1824 callo adhuc tenero id membrum rursum fasciis et ferulis comprehensum fuit. Octava aprilis callo nec dum firmato, et osse procidente, machinamentum, quod ab assidua extensione nomen habet, aptatum fuit usque ad diem 14 maji, cum ob non levem molestiam circa malleolos ortam id removere opus fuit. Femur tunc tumidum, durumque, quamvis rectum, ob mollitiem fracturae flectebatur, et indolescebat; proinde tutius visum fuit illud canaliculo sustentare. Jam enim cibi fastidium aderat, vires languebant, plenior cibus non erigebat, et mors secuta est 29 augusti 1824.

Femore denudato, animadvertimus id medium in transversum fractum; inferius per longitudinem fissum fuisse. Transversae fracturae capita laevigata

inter se connectebantur a valida membrana sub ligamenti forma totam fracturae superficiem convestiente. Caeterum nullibi calcareae materiae bracteae aut miculae repertae sunt. Dum aquis ossa eluta fuerunt, cortice quodam ex nigro livescente obducta, veluti a sanguine concreto conspecta sunt, quae ulterius expurgata observationi nostrae obtulerunt, quod in superiori portione tubus medullaris nondum contractus erat; et diaphysis eandem, quae naturalis est, crassitiem conservabat; quod superficies exiguis sulcis anterius lineata erat, ac si lymphatica aliquid de cortice abripuissent. Altera femoris pars infra fracturam ab exteriori latere, et prope lineam asperam fissa est deprehensa, totamque diaphysim ad cavum usque medullare penetraverat rima, a qua pyramidalis bractea divulsa fuerat, ita tamen ut tenuibus filis orae extremae fissurae adhaereret. Neque hic succi ossei vestigia sunt deprehensa, sulcis tantummodo superficie tenus diaphysis posterior distinguebatur.

Succus osseus interdum aberrat sic, ut conglutinationi non serviat; simulque alia intersunt saepe vitia calli generationem impedientia. Id in agricola plusquam sexagenario compertum est, qui ob utriusque ossis fracturam in crure dextero octo mensibus in valetudinario jacuit, membroque non consolidato occubuit medio aprili 1820 catharro oppressus. Itaque utrumque, ut diximus, cruris os perfractum reperimus, ita ut eorum obliqua acie, et acuta non conjungerentur adversa; sed tibiae inferioris acuta extremitas inter extrema capita diducta tibiae, et fibulae superioris exciperetur. Aliquot etiam sanguinis non dissoluti grumi animadversi sunt inter fractorum capita. Plurimae autem miculae phosphati calcis telae cellulari, et proximis musculis erant infixae. Fractorum pariter extremae superficies calcarea crusta obtegebantur; sed tibia fibulaque infra fracturam sic erant mollita, ut cultro ad instar cartilaginis scinderentur. Eadem mollities ossa tarsi pervertit praesertim os thali.

In hoc casu puto evidens esse, ossa cruris non fuisse glutinata, tum quia inter se non recte committebantur; tum quia ossei succi copia vel non sufficiens erat, vel devia; denique quia ossa et vasa ad glutinationis opus perficiendum erant inepta. Eadem difficultas ossibus conferruminandis inest, si quicquam, sive sanguis, sive caro, sive fragmentum corporis alicujus extremis fractis interponatur. Semel id observare mihi licuit anno 1784 in foeminae cadavere dum anatomicis disciplinis operam darem. Anceps tamen adhuc haereo, an tumor ille post fracturam ortum sit, an is prius exortum os confregerit.

Defunctae mulieris femur sinistrum medium valde tumebat, artusque brevior erat, quod attentionem nostram ad se convertit. Tumor ille a tegumentis et musculis denudatus novem unciarum ambitum habebat. Ejus superficies inaequalis, tuberosa, multas carneas fibras, ipsumque nervum cruralem complectens; caro ejusdem exterius alba, et densa ad instar laridi, aut raphani; interius mollior et flava; ossi proxima subrubra. Femur medium confractum erat, et caput superius efferebatur extrorsum, et paulo

sursum; inferius caput introrsum, et sub priori delitescebat. Tumoris massa totam fracturam amplexabatur sine eo, quod fractorum intervalla pervaderet; quare videbatur effectus fuisse inflammationis, et incrementi, quod cellularis tela vasa et musculos ambiens coepit. Nihil succi, aut gelatinae, aut lymphae ex fracturae meatibus exstillare visum fuit; ejus loco e tubo medullari dimittebatur membranula rubens, tenera, qua utrumque os divisum quodammodo inter se conjungebatur. Porro circum fracta capita osseae concretiones non paucae jacebant, quarum aliae tumoris substantiae inhaerebant, altera autem et praecipua anterius fracturae adstabat tanquam ipsius segmentum. Haec in osse recenti.

In arido femore deprehendimus superiorem partem sanam esse; multum vero de diaphysi circa fracturam, utpote praeruptam, deperditum fuisse. Osseus succus inaequaliter per superficiem fractorum diffusus erat. Reticulum tubi medullaris deletum. Femoris extrema pars, quae latescens in condylos desinit oleo animali praepinguis, tum ante, et retro exiguis foraminulis perforata.

Ossa fracta non bene commissa aegre admodum confervent; multo autem difficilius id obtinetur, si eadem in obliquum scissa, aut non innituntur extremis finibus, aut si commissa loco excidunt, quod accidit ob exiguam eorum superficiem, vel scabram, vel ob musculorum actionem, qui ossa in diversa abstrahunt.

Vir annorum quinque supra sexaginta ad valetudinarium translatus fuit die 14 octobris anni 1822, cui dextrum crus ab onerario curru perfractum fuit. Vir caeteroquin boni habitus bene valebat. Tibia dextera cum peroneo per obliquum suffracta, et sine plaga, non videbatur alia praesidia admittere, quam quae in hujuscemodi laesionibus usurpari solent. Igitur apparatus, qui ad ossa continenda appositus fuerat, post sexaginta dies ablatus fuit. Fracta vero non conferbuerant, membrumque idcirco fasciis denuo, et ferulis adstrictum fuit 18 decembris. Die 25 martii 1823 laxatis fasciis plus firmitatis acquisivisse ossa videbantur, non eam tamen quae cruri insistere permitteret, quamvis aeger inassata carne, phosphato calcis, et meraco vino fuisset enutritus, et fulcitus.

Medius erat augustus, cum artus levior, et expeditior apparuit, et quamvis ossium conjunctio imperfecta intuentibus se praeberet, spatiari eidem paululum in conclavi concessum fuit, artu fasciis, et crassiori charta prius munito. Eo modo deambulatio laboriosa fuit, membrumque idcirco duobus canaliculis ex corio cum ligulis comprehensum est, quo adjumento crus et callus firmiores redditi sunt. Aeger tamen ob longiorem decubitum quicquam de scorbutica labe contraxerat, et languescens in dies, nonnisi lecti solatium exoptabat, donec 15 januarii 1824 defunctus est.

Dum artum inspectaremus, breviorem illum, et emaciatum reperimus, cute non mutata. Pagellae periostii non multae, nec crassefactae erant. Ossa cum primum denudata fuerunt, tres fracturas ostenderunt, binas in tibia, in peroneo tertiam. Tibiae pars media in obliquum scissa erat, et caput ejus

inferius tres latos digitos supra alterum caput excurrebat. In eodem inferiore tibiae fragmento fissura asseralis erat conspicua, quae ab area articulari extremae tibiae oblique sursum directa, et in faciem posteriorem inclinata totam ejus diaphysim proscindebat. At peronei tertiarium superius ita perfractum fuit, ut inferius ejusdem caput quatuor latos digitos sub superiori efferretur. Caeterum extrema fracta multum laevigata contrahebantur in conum, nec materiae calcareae granum ullum in toto illo tractu deprehensum est, praeterquam in peroneo, ubi transversa, callosa tres digitos lata instita scissas partes colligabat. Ossa per longitudinem secta ostenderunt corticem densiorem fuisse, et validiorem quo propius ad fracturam accedebat, ubi a convergentibus in commune corticis ossei parietibus cavum medullare occludebatur. In ipsa vero medullae theca neque stilla humoris ossei reperta est, in qua spongiosa et reticulata substantia sanguineo colore valde imbuta conspiciebantur. Sinus item, et apophyses articulorum effuso sanguineo latice rubebant, quod an a concussione, an a scorbuto factum fuerit, non judico.

Agricolae octuagenario femur sinistrum ruptum fuit, qui promptae sanationis spe illectus menses duos domi suae transegit; postea ad valetudinarium deportatus fuit die 19 decembris anni 1819, quia ossa non conferbuerant. Et revera ossa scissa manibus pertractata dimovebantur; artus ipse tribus latis digitis brevior fuit, qui etiam valide extensus ad naturalem longitudinem non rediit; itaque apparatu ordinario contenti quietem et lautum cibum imperavimus. Elapsis demum tribus mensibus callus obfirmatus fuit, resolutisque fasciis jussus est aeger lectum relinquere, tardoque passu incedere; sed potiores diei horas arcae incumbens ignavus impendebat. Ibi voluntarii motus expers, et ad tugurium remeandi incapax infirmatus est; artus inferiores attracti indolescebant, neque jam ultra extendi potuerunt; identidem diu noctuque a doloribus cruciatus ingemiscebat sine eo, quod tanti mali causa sub oculos veniret. Post tot tantasque aerumnas supremum diem clausit 17 julii 1820.

Postquam sinistrum femur a corpore avulsum purgatum fuit, observavimus primo, quod perfractorum capitum aliud super aliud excurrebat; ita ut inferius caput ad latus internum superioris esset deductum, et quia positus ossium non erat contiguus, spatium, quod intercedebat, isthmus osseus, solidissimus complebat. Is eleganter reticulatus incipiebat prope fracturam acie lunata, pergebat sursum ad cervicem usque femoris utraque ossa conglutinans. Quamvis cortex osseus femoris durior esset, reticulum interius tamen mollius, et rubicundius repertum est; insuper cartilago articularis a supremo capite sejuncta eum in modum, ut instar operculi caput ossis etiamnum contegeret, quod pariter in cartilaginibus condylorum femoris obvenit.

Substantia reticulata diaphyseos femoris multos grumulos sanguinis tanquam in areis inclusos continebat. Sanguineus humor pariter in cavea articulari tibiae cum femore visus fuit. Caeterum quod in plerisque aliis observavimus extremitates fractorum sine asperitate et in se coarctatae conspiciebantur.

Hic morbi status scorbutus osseus appellari mereretur; et si per aestatis fervorem licuisset, etiam reliqua ossa examinata, idem phoenomenon obtulissent, videturque ex observatis non semper scorbutum calli generationem impedire. Alterum, quod consequitur, est, succum osseum non semper exstillare ex fracturae meatibus, sed quandoque ex superficie contiguorum ossium effundi, et in firmum callum coalescere, in quo opificio nulla pars assignari potest periostio, quod a flexilitate sua, et tenuitate non deflectit. Constanter porro retunduntur extrema fractorum, si plaga desit, neque circum illa succus osseus increscit; etenim succus ille vel deficit, vel fractis non apponitur, sed disperditur, quotiescunque vulnus, aut graviditas fracturae complicatur. Illud etiam notatum fuit, quod si forte os frangitur, dum aetas gravis est, hominem ob lentorem functionum animalium, et ob longiorem quietem contabescere.

Jam de origine succi ossei multum disputatum fuit. H. Fabricius ab Aquapendente generari callum dixit ex ossis alimento, quod a labiis fracturae exsudans circum ossa fracta concrescit. Qui callus ita durus est, ut si membrum illud rursus frangi contingat, potius in alia parte frangatur, quam ubi callus est genitus (1). Ad calli materiam generandam commendat cibos crassos, viscidos ex oryza, frumento, farre, concreta ex pedibus et capitibus vitulorum, castratorum, haedorum, quibus adjungitur vinum nigrum, et assum. Pueris superimponere jubet cataplasmata ex farina volatili, et ovi albumine; in adultis ex bolo armeno, thure, myrrha, aloë, acacia, tragacantho, nucibus gallarum, vel cupressi.

In eandem sententiam scripsit cel. vir Leopoldus Caldanus disserens de ossium humanorum et bovinorum structura (2): nempe ossa neque formari a periosteo, neque ab eo reproduci, uti experimentis ipsi probatum videbatur. Insuper inter epiphysim, et diaphysim non intercedere periosteum, has tamen partes perfecte inter se conferruminari. At nuper exercitatissimus Anatomicus Gilbert Breschet variorum auctorum sententias, et observationes inter se discrepantes conciliare novis experimentis studuit (3). Observavit ille, postquam os fractum fuit, sanguinem effundi inter fracta capita, et circa eadem, nempe inter corticis ossei laminulas, et in ambitu fracturae, unde excitatur quaedam inflammatio, et rete vasculare oritur inter ipsas laminulas diaphyseos. Sed, dum os frangitur, fibrae etiam aliquot musculorum lacerantur, et in intervalla fractorum intercipiuntur, cum iis postmodum agglutinantur intercedente modico concreto sanguine, et viscido humore. Periosteum item laceratur, et ab osse sejungitur, quod deinde inflatur, rubescit et mollescit. Tum viscidum quid apparet inter os, et periosteum, quod mox vascularem indolem assumit; deinde crassescit et cum

---

(1) Pentateuch. lib. IV, c. 6.
(2) Dissertatio habita Patavii an. 1795.
(3) Recherches historiques et expérimentales sur la formation du Cal. Paris, 1819, 4.°

vicinis partibus confunditur. Ossis fractura non contingit sine textus medullaris laceratione, sanguinisque ex ejus vasculis profusione; inde juxta fracturam oritur ecchymosis. Procedente naturae labore canalis medullaris prope fracturam constringitur a substantia quadam rubra, fere carnea, ex osse procedente, quae postmodum in os convertitur. Inter haec alia substantia rubens, et tenax ossibus fractis intermedia succrescit, quae sensim eadem inter se, et cum vicinis partibus, et cum medulla conglutinat. Haec experimenta prosequendo, cognovit auctor, callum in animalibus simplicem fracturam passis non ante tertium mensem osseam naturam induere, interdum etiam protrahi ad quintum, et septimum mensem.

Ex hisce phoenomenis consequitur: callum non confici solum a fluido peculiari, qui concretus ad osseam naturam vergit; neque ab ossificatione periostei tumentis; neque a papillis carneis ex fracturae superficiebus exorientibus; sed plerumque effectum esse omnium harum circumstantiarum, aut certe praecipuarum; nempe callus effectus dici potest mutationum singularum, quae mollibus partibus fracturae proximis superveniunt, tam periostio, et textui medullari, quam ipsimet ossi, et substantiae fractis intermediae.

Accidit autem, ut intra praefinitum tempus a causis non satis notis ossa non conferveant; tunc triplex potissimum modus ad ea consolidanda proponitur. Primus est extremorum capitum fricatio, quam Celsus his verbis exprimit (1). " Si vetustas occupavit, membrum extendendum est, ut aliquid " laedatur: Ossa inter se manu dividenda, ut concurrendo exasperentur, et, " si quid pingue est, eradatur, totumque id quasi recens fiat, magna tamen " cura habita, ne nervi, musculive laedantur. „ Quod procul dubio eo fine agendum est, ut ruptis vasculis sanguis effundatur, novaque inflammatio excitetur, unde copiosius irruente humore glutinante ex vicinis partibus ossa mota conjungantur. Id tamen non semper fit sine periculo; etenim vel inflammatio vehementior esse potest, et in suppurationem abire; vel ossis capita ita retusa esse possunt, ut substantia intermedia non amplius succrescat.

Recentiores Practici machinamentis ad id idoneis ossa non conferruminata continent, artum extendunt, musculos sopiunt, ne ossa dimoveantur; aegrotorum vero pauci sunt, qui continentem artus tensionem sustinere possunt, quin dolore et taedio intolerabili afficiantur.

Withe, qui alter modus est, fractorum capitum praecisionem molitus est non sine salutari effectu. Sed non semper eundem habuit felicem successum; imo interdum non sine gravioribus sympthomatibus fuit adhibitus, uti sunt ardens febris, musculorum inflammatio, puris stagnationes, ossis corruptio. H. Callisen novem mensium fracturas non consolidatas bis abs se sanatas perhibet excisione extremorum ossis rupti.

Vir annorum 53 ex arbore praeceps ruens medium femur confractum habuit, quod malum initio neglectum artus maciem, et quatuor pollicum

---

(1) De Med. l. VIII, cap. 10; edit. Comini.

brevitatem tulit. Capitibus ossis diveregntibus substantia quaedam carnea erat interposita. Haec animadvertens Griffit Rowlands aliud praesidium in promptu non esse existimavit praeter fractorum capitum recisionem. Imposito torculari ad premendas arterias, incidere coepit ad tres latos digitos supra fracturam, quam incisionem deorsum tantundem produxit inter musculos vastum exteriorem et rectum; tum os scalpello denudatum resecatum fuit in parte superiori. Fragmentum ossis inferius musculis profundius immersum, iisque firmiter inhaerens, lente, cauteque discecando, ne arteria laederetur, solutum fuit; dein transversim abscissus fuit vastus externus, ut facilius excideretur ossis fragmentum. Extento postea membro vulneris oras adduxit auctor, et agglutinantibus ceratis conjunxit sic, ut exituro puri spatium daretur. Fascia injecta fuit, quae octodecim capita habet. Pus copiosum fuit, aeger intra tres menses convaluit, et baculi subsidio gressus movebat.

Vix consolidata fuit ulnae fractura in viro agresti, cum ob inconditum laborem ab eo susceptum callus solutus fuit. Fasciis denuo involutus artus duorum mensium spatio quieti datus fuit, sed conferruminatio secuta non est. Chirurgus Etruscus Cittadini, qui haec narrat (1) fracta capita valide inter se confricavit, ut inflammatio adhaesiva excitaretur. Verum elapsis tribus mensibus, in quibus artus extensus idoneo comprehensus erat apparatu, ossis capita non coierant. Hinc ulnae extremitates resecavit, radium praeservavit, quia aeger id prohibuit. Impositis postea duabus ferulis artus fascia pluribus instructa capitibus continebatur. Gravis secuta est inflammatio, et puris ingens copia, quod per multos abscessus ad carpum usque propagatos ultra mensis spatium evacuatum fuit. Tandem ossa et vulnera consanuerunt.

Neuter horum scriptorum brevitatis meminit, quae ob excisas artus fracti extremitates necessario orta est. Quae brevitas si in crure incessum praepedit, praestaret forsitan membrum mature abscindere, quam mota inflammatione et suppuratione membrum vexare, et inertem conservare artum consuetis muniis ineptum. Id intelligendum est de artubus inferioribus, qui incedendo oneri esse possunt; humerus vero, et ulna articulatione notha fungentes, possunt utique canaliculo ex corio, vel ligno ita sustentari, et firmari, ut muniis quibusdam obeundis sufficiant.

Laudantur denique fonticuli ad duo emissaria, quos setacea vocant tam ad movendam inflammationem, quam ad succum osseum alliciendum. Hi non ubique sine damno parari possunt; nam ubi carnes abundant, et vasa sanguinea, graves saepe haemorrhagiae, diuturnae suppurationes exortae sunt. Nec prodesse videntur ubi fracta capita divaricata sunt. Generatim vero existimamus setacea non semper esse proficua, quia succi ossei et plastici portionem auferunt et disperdunt. Ita in praegnantibus, et ubi plagae junctae

---

(1) Annali Universali di Medicina, vol. XXXVII.

sunt fracturis, hae non consolidantur, priusquam aut partus secutus sit, aut vulnus glutinatum; succus enim nutritius alio impenditur.

Hae chirurgicae administrationes ob aëris pravitatem in valetudinariis non bonum plerumque sortiuntur effectum; in fractis tamen plenior cibus, viridis aetas, et recta ossium compositio ad eorum glutinamentum multum confert, quod sequens observatio declarat:

Faber lignarius boni habitus, nondum virilem aetatem ingressus, die 16 junii anni 1816 in foro cadens confregit femur sinistrum oblique infra medium. Domum deportatus ab adventitio chirurgo inspicitur, qui sculteti fascia membrum involvit, et oxycrato fovit, neglecta extensione, et fractorum repositione. Decima sexta post fracturam die idem chirurgus membrum inspectans os aliud super aliud impositum invenit, et ad emendandum ossis positum imprudenter, et incaute ferulas injecit, quas aegre et dolenter ferens homo alium chirurgum accersivit, qui huic apparatui alium sibi proprium subrogavit, et per 40 dies sustinuit. Verum remoto hoc ipso apparatu non solum ossa cohaerere vidit, sed artum quoque esse retractum. Faber hoc periculo perculsus ad valetudinarium se traduci curavit, ubi machinamento ad id aptato membrum mensis spatio continenter extensum fuit; sed cum neque hoc modo callus perficeretur, suspicio oborta est, causam aliquam in interioribus latere, quae succi ossei secretionem prohiberet. Igitur radicem rubiae tinctoriae, et phosphatum calcis abunde sumendum praescripsimus, ut major terrearum particularum copia ad fracta afflueret, callusque indurresceret.

Additus est cibus euchimus, et roborans, vinum generosum, membrumque extensum fuit usque ad diem 8 octobris. Tunc ablato omni apparatu callus non modo duritiem osseam obtinuit, sed etiam artus naturalem longitudinem; eadem diligentia, et modo aegrotus alter sexaginta dierum quiete perfecte sanatus fuit ab obliqua femoris fractura.

FINIS